

à quibus officia cuncta manant, qui virtutes ea ratione cum vitiis permiscet, veneno fontes aspergit: vt iam inde illum, qui ex his fontibus veneno infectis potum hauserit, perire necesse sit. Ad alia.

XII. *Odiū suscitāt rixas: & vniuersa delicta operit charitas.*

195 **O**diū suscitāt rixas. Hebr. *Suscitauit contentiones.* Symmachus, *pugnās.*

*Et vniuersa delicta operit charitas.* Hebr. *Et super omnes contentiones operit charitas.* Septuaginta: *Omnes autem nō contentiosos operit amicitia.* Scholiast. *Omnes autem iniuriam facientes operit amor.*

*Operit.* Hebr. תחשך *Thechasec*, à verbo חשך *Chasach*, significat quidem proprie *tegere*: aliquando verò idem est, quod *delere & abolere*, Psalm. 83, *operuisti omnia peccata eorum*, id est, delesti prorsus, & Psalm. 31. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Hinc sanè libauit D. Petrus in 1. can. cap. 4. verba illa. *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes. Quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Et Iacobus c. 5. *Qui conuertit fecerit peccatorem, operiet multitudinem peccatorum.*

Psalm. 83. num. 3.

Psalm. 31. num. 1.

Iacob c. 5. num. 20.

196

Communis expositio Iansenii, Rodolphi, Hugonis, Caietani, & aliorum, verba ista capit, vt sonant. *Odiū suscitāt rixas.* Inter eos scilicet quorum animi odio distrahuntur, leuissimis de causis oboriuntur rixæ, contentiones, & iurgia: animus enim odio faucius eius, quem inuisum habet, omnes actiones vitio vertit, & leuissimas culpas ingentes ducit: & vbi nullum crimen adest, ipse inuenit. Quod quidem elegantissima oratione prosequutus est Diu.

D. Nazianzenus.

197

Gregor. Nazianzenus in oratione de pace. *Quemadmodum (inquit) eadem terra stat quidem sanis, mouetur autem veriginosis, & qui se circumuoluerunt: cum videntium passio ad id, quod cernitur, transmutatur. Aut si manus, quemadmodum idem columnarum intervallum manus quidem his, qui prope sunt, & considerat, minus vero distantibus apparet: quia aer suffragatur distantia, visu ea, quæ crassiora sunt connectente: ita & nos facile decipimur inimicitiiis, &c.* Contra vero *vniuersa delicta operit charitas*, delicta scilicet eius, quem diligimus, quantumuis magna charitas non extenuat tantum, & eleuat, sed operit, atque tegit. Ea enim est amoris natura, vt magnas etiam iniurias sibi illatas facile condonet.

Chrysostomus.

197

Quod quidem exposuit Chrysostomus exemplo ignis, qui non modo stipulas, stupasque adurit facile, sed syluam etiam ingentem, quam semel corripuit, incendit, atque in cineres redigit. Hac ratione vniuersaliorem sententiam ex hoc loco eliciunt præfati interpretes. Alij vero eandem paulo magis adstringunt & de præteritis delictis, de antea actis, sopitiisque iam inimicitiiis, & iurgiis captant, ad hunc modum, *Odiū suscitāt rixas*, id est, odium qualibet ex causa incidens præteritas, imo iam obliuioni traditas discordias denuò reuocat, & memoriam refricat delictorum. Appendo vocem illam *suscitāt*, pro qua Hebraicè est, תעורר à radice עורר *ghur*: significat autem proprie à somno excitare: inauit verò, quod licet veteris iniuriæ, ac rixæ sopitæ sint, & in altissimū soporem demersæ, eas nihilominus incidens excitat, atque expergiscit odium. Nam iniuriæ, quibus proximum tuum læcessisti, nō sunt abolitæ, sed dormiunt, & qualibet ex causa excitari solent. Vnde Plautus in Parmeno. *Hominiū (inquit) in mortalis est infamia, & tunc vinit, cum mortuam esse credis: dormire quidem bene potest, emori non potest.* Subdit Salomon. *Et vniuersa delicta operit*

*charitas*, id est, eadem ratione amor, & dilectio superueniens præteritas delet, obliteratque dissidij & contentionis causas, iniurias, & delicta contra se commissa condonat. Itaque nomine delictorum nō culpæ, & peccata in vniuersum capienda sunt: sed iniuriæ, quæ contentionum, & iurgiorum causas, & fetetem administrant. Atque de his Petrus in sua canonica interpretandum esse sentio, cum ait: *Ante omnia mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes. Charitas enim operit multitudinem peccatorum. Hospitales inuicem sine murmuratione.* Et plura alia subdit ad dilectionem spectantia: Ita que sensus est: mutuam charitatem amplectimini: hæc enim vbi animum occupauit, operit peccatorum multitudinem: culpas scilicet, & iniurias, quibus alij alios inuicem prouocamus atque læcessimus, quibus, inquam, alij in alios peccamus, contegit, atque inuoluit.

Cæterum quamuis huic interpretationi, vt à me expedita est, plurimum tribuant: tamen alia subest (nescio an sit accommodatior, tu videris) quam luculenter satis tradit Lyra hanc sententiam cum superioribus duabus haud incongruè nequens. Itaque cum iam inde supra libertatem admonendi, & consulendi suaserit: nunc quidem modum præscribit, quo admonitio, & adhortatio tradenda est, vt utilis, & proficua sit. *Odiū (inquit) suscitāt rixas*: ea nimirum, quæ ex odio, aut iracundia proficiscitur admonitio, & correptio, non corrigit mores: sed prouocat potius, irritat, & in farorem agit, animosque dissociat, & *vniuersa delicta operit charitas*, id est, quæ cum amore, & beneuolentia coniuncta est animaduersio, *operit vniuersa delicta*: cunctas scilicet contentiones, & iurgia sedat (sic enim habent origines, *operit cunctas contentiones, vel rebelliones*, vt conuertit Caietanus.) Quasi dicat, admonitio illa leuior, quam odium, aut ira suadet, rixas, & contentiones ciuit: quæ vero beneuolentiam, & amorem præferunt, excitatas prius contentiones & rixas lenit, & sedat. Audi Augustinum in Epistol. ad Galatas. *Quidquid iacerato (inquit) animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis: dilige, & dic quidquid voles.* Et quidem Salomonis verba de consulente, atque admonente exponenda esse subodorari mihi videor ex illo Iacobi 5. vbi ait: *Fratres mei si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum: scire debes quoniam qui conuerterit peccatorem, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Quibus verbis existimo Apostolum Iacobum non vnū tantū, sed duo scripturæ testimonia ad suam asciusse sententiam: alterum Ezechiel. 33. vbi Propheta multis agit de doctore, & magistro sub his verbis: *Qui alium conuersi facit à via sua mala.* Et modum illū dicendi *saluare animam & liberare*, semel atque iterum vsurpat. Alterum verò ex hoc loco producit.

Itaque sensus Iacobi talis est, fratres mei agnoscite omnino quantum his debeatis, qui vos monitis suis, ac correptionibus ad meliorem frugem conuertit. Qui enim ea ratione conuersus est, *scire debet, quoniam qui conuerterit, &c.* Quasi dicat, meminisse iste debet, quia quicumque suis monitis, & consiliis illum conuertit, eius animam saluat, liberat, eripitque à morte (vt tradit Ezechiel) Et rursus *multitudinem peccatorum operuit*, (vt docet Salomon.) Itaque non tam recitauit hæc duo loca, quam ad ea allusit. Et sane verba Apostoli aperte innuunt, non de peccatis & delictis ipsius doctoris sermonem haberi, quasi is monendo, & consulendo propria peccata sua delet: sed de peccatis & culpis eorū, quos bonis consiliis, & cohortationibus iuuat, atque emendat: quas culpas qui monet, ac consult, ope-

198

199

rire, & tegere dicitur, id est, delere, & abolere. Explicat enim Diuus Iacobus debitum, quo peccatores obstringuntur erga illos, qui eos suis præceptis, & doctrina ad bonos mores traducunt. His vero duplici de causa deuinctos esse dicit peccatores. Primo, quia saluant eorum animas, & neci eripiunt. Secundo, quia peccatorum multitudinem operiunt: delent scilicet, atque obruunt, vel potius sanant. Aptissimè ergo admonens, & exhortans, eius peccata operire, ac tegere dicitur, quem suis exhortationibus ad pietatem transfudit. Quia Diu. Augustin. in Psalm. 31. ad illa verba: *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum reuera sunt peccata,* addit modum, quo Deus tegit peccata huiusce verbi *Deus* (inquit) *tegit vulnera tua, non tu. Medicus tegat & curet: emplastro enim teget, sub tegmine Medici sanat vulnus.* Ergo ad eum etiam modum, qui hortatur, & corripit, tegitque delicta optimo, & salutifero emplastro sub quo ad sanitatem ocyus veniunt: exhortatio enim, atque correptio optimi ad instar emplastri, obtinet. Itaque *tegere delicta aut peccata,* nihil aliud est, quam alligare, & inuoluere ad sanandum, quemadmodum Chirurgi vulnera. Vbi obiter monentur superiores, subditorum flagitia ne retlegant, & in vulgus spargant: sed magis occultant & operiant, vt ritu vulnerum sanentur.

200 Aliter etiam extrema verba accipere licet cum Lyra, qui sic habet: *Quia sicut odium per rixam manifestat delicta aliena, sic charitas celat, nisi quantum correptio fraterna requirit.* Itaque illa verba, *vniversa delicta operit charitas,* sic exponit: charitatis est deprehensa delicta proximi tegere, & velare, cum secreta sunt. Augustinus super illud Matthæi: *Si peccauerit in te frater tuus, &c. Ipsa* (inquit) *charitas postulat vt secreto corrigantur, que peccantur secretius, vbi contingit malum, ibi moriatur. Nam si solus nosti: & vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor.* Obserua illa verba, *Vbi contingit malum, ibi moriatur,* est enim venusta allusio ad quasdam leges, quæ iubent aliquando fontem eo loco occidi, in quo crimen perpetravit. Sed tamen qua ratione tegenda sint ex charitate delicta proximi, pulchrè docuit

Chrysofostomus homilia de habenda cura proximi. *Arguendi sunt* (inquit) *in secreto, ne si palam argueremus, impudenciores illi fierent. Quapropter & Medici non solum secant, sed etiam vulnera obligant.* Elegans sane similitudo. Vulnera cum Chirurgi fasciis tegunt, & obuoluunt, quia ventis, atque aura afflata & ventilata corrumpuntur, ac deteriora fiunt. Ita enim experimento didicimus vulnera, quæ non obligantur, breui intabescere, & saniam trahere. Et quidem fama auræ, & vento conferri solet. Iam intelligis, quo tendam. Sicut vulneribus aura, ventusque magnopere offiunt, ideoque obligantur, & teguntur: sic etiam delictis fama, & rumor, ideoque celanda, & obtegenda sunt. Quantum vero diffamatio delictis afferat nocumētū, satis innuit Chrysofostomus illis verbis: *Ne si palam arguamus, impudenciores fiant.* Nam statim atque vidit quis sua in vulgus prodi scelera, exuto, elutoque pudore, qui illum ante in officio coërebat, & fama bonæ existimationis deperdita audacius admittit delicta, à quibus perpetrandis iam nõ reuocat illum verecundia, & timor infamiae. Et quidem Apostoli in suis constitution. libro 2. de correptione delicti agentes, cap. 45. eandem similitudinem ligandi, atque operiendi vulnera vsurparunt. *Tu igitur* (inquit) *vti clemens Medicus peccatores omnes cura viciens accommodatis ad salutem medicamentis, non modo secando, vrendo, nauaculam adhi-*

**A** *bendo: sed etiam alligando, exsticcando, inspicendo medicamenta lenia, cicatricem obducentia, emolliendo sermonibus consolatoris.* Et quidem extrema ista verba aliam offerunt expositionem illorum verborum. *Et vniversa delicta operit charitas.* Ita scilicet operit, vt nullum eorum vestigium appareat. Nam duplici modo vulnus aliquod sanitati reddi potest. Prior est, ita vt cicatrix illius maneat: tunc vero sanum esse dicimus, non vero tectum, & operit, quia cicatrix illud prodit, ac detegit. Posterior est, cum post curationem vibicis, & cicatricis nullum vestigium superest: tunc autem non modo sanum, sed etiam tectum vulnus censemus. Obserua ergo vim charitatis, quæ non modo vulnera delictorum sanitati restituit, sed etiam tegit vibices, ac cicatrices delet: quod tunc quidem præstat superior, testimonio Apostolorum, cum in suis correptionibus verba adhibet lenia, & consolatoria. *Inducendo* (inquit) *medicamenta lenia cicatricem operientia, & molliendo verbis consolationis.* Hæc charitas sola, & propria vis quando lenioribus medicamentis vitur: scilicet secreta animaduersione, & arcanis monitis, quibus nihil est lenius, & mollius. Nam auftera & acria mendicamenta, & fomenta (qualis est publica obiurgatio, & diffamatio) delictis cicatricem aliquando inducunt: non tamen illud tegunt, quia macula, & labes semper manent. Hinc autem nõ minimū periculum subest, ne forte iterū exulcerata parte vulnus refricetur. Audi Hieronymum in Epistola ad Pâmachium. *Sanato vulnere, & cicatricem superinducta carnè, si medicus colorem reddere voluerit, dum pulchritudinem corporis querit, sæpe plagam doloris instaurat: ita & serus consolator verendum est ne importunus loquatur, & atrectans vulnus pectoris agroti, quod tempore & ratione curatum est, commemoratione exulceret.* Pariratione, qui ita vulnus publica animaduersione sanauit, cicatrice manente, in causa est, vt multi alij importuni admonitores colorem fortasse vulnere reddere, & pulchritudinem vlceri querere volentes, dum iterum delictum commemorant, sapius plagam refricent, & instaurent. In causa inquam est, vt dum multi scelus diffamatum commemoratione frequentiori atrectant, sæpe sapius illud exulcerent. *Charitas ergo vniversa delicta operit.* Sic nimirum sanat, vt nec vibicis labem, aut maculam reliquam faciat, quia secretas semper admonitiones, & animaduersiones præfert.

Septuaginta interpretum translatio denique librandam est, qui sic conuertunt: *Odiū suscitatur contentiones: omnes autem non contentiosos operit amicitia.* Prior pars concinit cum vulgata lectione: posterior nonnihil ab illa discedit. Sic autem edisserenda est. Omnes illos, quorum animi nullo dissidio distrahuntur, amicitia operit, id est, protegit, tuetur, ac defendit. Ecclesiastici 6. *Amicus fidelis protectio fortis, &c.* Itaque sententia integra sic conformanda est. Odiū plurimarum contentionum causas immittit, & occasiones adducit: atque adeo multis vulneribus hominem exponit: eos vero, inter quos nulla intercedit discordia, amicitia ipsa tuetur, atque protectos munit. Sed de ista amicitia tutela alibi nobis agendum est.

XIII. In labiis sapientis inuenitur sapientia, & virga in dorso eius, qui indiget corde.

**I**n labiis sapientis inuenitur sapientia. Hebraicè: *Et virga super cor eius, qui minus est corde, vel qui caret.* Aliqui vero sic extulerunt. *In labiis*

*sapientia reperitur sapientia, & eadem virga est in corpore eius, qui indiget corde.* Chaldaeus: *Qui indiget intellectu.* Septuaginta: *Qui de labiis profert sapientiam, virga percutit virum excordem.* Theodotion concinit cum nostra.

Locus iste non pauca interpretationes capit. Prima est Bedae, quam ipse hisce verbis tradit. *Virga in dorso est vindicta in posterioribus, id est, in sequenti vita: qui ergo non vult virgam in dorso portare, portet in labiis sapientiam, loquatur laudes Christi, & praecepta depradicet.* Sed haec allegoricè dicta sunt. Secunda expositio est Rodolphi ad hunc modum. *In labiis sapientis inuenitur sapientia: id est, sapientis ab ore addiscere licet sapientiam: insipiens vero, & excors, cum audire, & monitis illius obtemperare contemnit, poenas tandem corpore suo luet, & flagris, verberibusque sapere cogetur.* Tertia est Caietani, quæ sic habet. *Ex ore intelligentis viri sapientia: id est, sermones eruditi, & sapientis viri sponte fluunt: at stultus vsque adeo alienus est à sapientia, vt nunquam verbum aliquod sapiens, & prudens proferat, nisi illud verbera extorserint, flagraque compulerint.* Quarta est Iansenij. *Sapientia (inquit) sapienter eloqui facit eum, qui ipsa pollet.* At per insipientiam fit, vt in dorso stulti inueniatur virga: vt scilicet, propter multa, quæ insipienter agit, ac dicit, poenas luat grauiiores. Quintam expositionem reliquis præfero hunc ad modum. Salomon sapientiae, & insipientiae duo signa, & externa documenta complexus est his verbis. Itaque ait, *In labiis sapientis inuenitur sapientia: id est, Sapientis sapientiam testantur verba, quibus vitur: insipientis vero, & excordis stultitiam, & fatuitatem verbera, & flagra, quibus tunditur, verberum inquam vibices, atque plagarum liuores, qui impressi remanent. Id sibi volunt illa verba. Et virga in dorso eius, qui indigere corde supple inuenitur: id est, virgae vestigia. Compendio dixerim, Sapientiam intelligentis verba: fatui vero stultitiam verbera testantur. Et quidem Latino idiomate haec sententia expressa venustiore euadit, propter elegantem verborum, ac verberum inflexionem. Sed non caret etiam lepore suo originalis lingua. Sicut enim verba, & verbera consonant: sic etiam *ספח* Saphah: id est, labia, & *שבט* Sebet: id est, virga non parum vicina sunt.*

Sextam aliam interpretationem peperit illa lectio iam præmissa. *Et labiis sapientis inuenitur sapientia, & eadem virga est in dorso eius, qui indiget corde:* quæ vulgata etiam translationi accommodari potest. Sic autem habet: Sapientia quidem in labiis, hoc est, in verbis sapientis spectatur: tunc scilicet, cum docet atque monet alios. Haec vero, quæ in labiis sapientis tam spectabili est sapientia, virga est in dorso stulti. Vel quia non secus omnem admonitionem, & correptionem stultus execratur, quam si virga seuerius caderetur & flagris tuderetur. Vel certe (& fortasse melius) quia eidem pro virga est ad illum impellendum, & regendum, ita vt sicut iumentum virga, & flagris regitur, & impellitur: sic etiam fatuus correptione, & animaduersione sapientis impelli debeat. Hunc sensum reddit translatio Septuaginta, quæ sic habet. *Qui labiis suis profert sapientiam, virga percutit virum excordem:* quæ cum vulgata etiam lectioni aptari possit, & cum antecedentibus congruat, mihi aptior videtur. Sed expendo verba & singulares partes.

*In labiis sapientis inuenitur sapientia.* Hugo in hunc locum. *Inuenitur (inquit) sicut thesaurus in agro.* Sane quotquot aliquid sapiunt, thesaurum in corde defossum habent: non tamen apud omnes thesaurum istum inuenire integrum est. Quidam

enim ita penitus abscondunt, vt in reperire non liceat, in quos iactatur illud Ecclesiastici. *Thesaurus absconditus, & scientia inuisa: quæ utilis in utrisque?* Quibus verbis sapientia, quæ ita celata est, vt nullis externis signis sese prodant, quæ scilicet ad erudiendos edocendosque alios non adhibetur, cum thesauro componitur abscondito, cuius reperiendi nullum est vestigium. Hic ergo thesaurus sapientiae, qui in quibusdam nullo indicio manifestatur, non alibi prodi, & manifestari potest, quam in labiis, verbis nimirum, atque sermonibus, docendo, ac consulendo. Propterea Salomon ait. *In labiis sapientis inuenitur sapientia.* Nam locus, vbi thesaurus deponitur, ac defoditur, signo aliquo notari solet, ne opus sit plura loca rimari, aut multis in locis altas fossas ducere. Sed quænam isthæc signa? Augustinus de ciuitate Dei, de quo alibi diximus, carbonibus desuper iactis thesaurorum foveas designari olim solitas docet. Algerus vitri fragmenta olim adhibita affirmat, & alij alia. Carbores vero, vitri fragmenta, & alias eius generis propterea ad signanda thesaurorum loca adhiberi solebāt, quia incorruptibilia, & imputribilia sunt, atque nullo vnquam æuo carpuntur, aut tabescunt. Itaque thesaurorum signa incorruptibilia esse oportet. Ergo cum sapientes in labiis suis signa thesauri in animo delitescens gerant, illud quidem magna cura animaduerti, & obseruari debet, an verba habeant incorrupta, quibus vitia carpere, & crimina obiurgare & veritatem vbique serio pronunciare, & obuiocere audent: Hæc sunt enim latentis thesauri certissima notæ. Nam ille, cuius verba adulatio, & assentatio corrumpit: cuius sermones lenti sunt, ac molles, satis prodit nullum in suo animo sapientiae thesaurum abscondi, aut celari. Luculentius dixerim; Qui sapientiae magnam vim veluti thesaurum mente claudit, in ore suo, ac labiis (vbi signa, & notæ ostendenda sunt) carbonibus gerat, & vitri fragmina, verba scilicet incorrupta. Carbores inquam, verba nimirum, quibus, cum opus sit, maculet, denigretque famam eorum, qui sceleratè viuunt: & vitri fragmina, verba scilicet aceria, quæ tractari nequeant sine vulnere, ac sanguine. Addo etiam veteres loca, vbi thesauros defoderant, vrticis designare solitos, quas pro signo repositæ ibi pecuniæ propterea adhibebant, quia vbi semel radices egerunt, nullo sæculorum decursu intermoriuntur, & humore aluntur exiguo, nisi forte penitus extirpentur. Id vero aliqui ex sacra scriptura aucupari sibi videntur, dum ait. *Desiderabile aurum eorum vrtica hereditabit:* id est, tunc cum ab ea hostibus captiui deportandi erunt, adigentur quidem aurum suum, argentumque defodere, & vrticas in signum thesauri absconditi complantare. Quorsum hæc? Vt constet sapientem, qui in labiis suis notas depositi, & latentis in animo thesauri gestare debet, vrticas signi loco ore suo geminaturus esse: verba scilicet acerbata, & peccata correptiones. Illa enim verba seueriora, quæ lacerant, & pungunt vrticas merito appellare possumus: hæc enim sunt, quæ latentes in animo sapientiae diuitias, & copias multo melius, ac certius significant, quam vrticæ defossas tellure pecunias. Ergo quicumque audis est sapientiae, illiusque thesaurum optimum vestigat, hæc signa in primis obseruare debet: labia quædam diligenter vestiget, quæ verba incorrupta præ se ferant, instar carbonum denigrantia, instar vitri fragminum vulnerantia, & sanguinem effundentia, vrticarum in morem pungentia, & lancinantia. Labia inquam vestiget, quæ vitia carpant, scelera incusent, peccata redarguant, & quæ nullis adulationibus remollescant.

*Et virga in dorso eius, qui indiget corde: de-*

doctrina scilicet *ḥ* oris ore pronūciata pro virga est ad corripendum, tundendumque stultum. Vox illa *וּוּוּ* *Sebet*, de qua supra, non modo virgam, sed etiam lanceam, & venabulum sonat Regum. 2. ca. 14. *Et tulit tres lanceas in manu sua, & fixit illas in corde Absalon.* Quapropter quidam adnotarunt verti etiam posse, *Et lancea corpori indigentis corde.* Quasi dicat, doctrina sapientis fatui corpus, velut telum transfuerberat. Quasi dicat: *Es un dardo que le arrabiassa el cuerpo.* Nota emphasim. Non quidem cor, sed corpus eo telo configi dixit. *Quia stultus indiget corde.* Verba enim tunc cor icu suo vulnerare, & figere dicuntur: cum illud antea ceteræ vitæ pœnitentia percussum ad honestatem, & pietatem traducunt. Stultus ergo non corde (quia corde indiget) sed corpore vulnus excipit doctrinæ: quia doctrina configit eum, & percellit; sed non mouet, ac suadet. Apertius dixerim. Sentit doctrinæ vulnera, dolet, atque mœret: sed non corrigitur, aut emendatur. Lege Hugonem.

XIV. *Sapientes abscondunt scientiam: os autem stulti confusio proximum est.*

212. **S**apientes abscondunt scientiam. Hebr. *Abscondunt scientiam.* Septuag. *Sapientes occultabunt sensum.* Aquila: *cooperient scientiam.*

*Os autem stulti contritioni proximum est.* Hebr. *Os autem stulti contritio propinqua.* Septuag. *Os autem temerary contritioni appropinquat.* Chald. *Consumptio proxima.* Addit Rodolph. verti posse: *Et oris stulti clades vicina.*

Prima interpretatio huius loci est Caietani, qui originalem lectionem sequutus sic edisserit. *Sapientes abscondunt scientiam:* hoc est. Parcunt sermonibus, doctrinamque loco, tempori, & personis accommodant. *Os autem stulti contritio proxima:* id est, similis est ruinæ iam propinquæ: quia in proximo est, ut verbis suis maledicis vicinum quemque conterat, atque proscindat.

Secunda expositio est familiaris aliis interpretibus. Eam tradunt Hugo Cardinalis, Beda, Rodolph. Iansen. & alii. *Sapientes scilicet abscondunt scientiam:* id est, non temere animi sui sensa proferunt, sed tempeſtiue, & opportunè loquuntur: atque adeo verbis nunquam labuntur. *Os autem stultorum confusio proximum est:* quia cum temere quidquid in buccam venerit pronūciare soleant, confusionem, & pudorem sæpius sibi accersunt ob imperitè dicta.

213. Tertia vero interpretatio, in quam non nihil propendit Iansenius, mihi accommodatior videtur, ad hunc modum. Dixerat Salomon sapientiam inueniri in labiis sapientis, & probi hominis: suadens nimirum, ut quotquot sapientiam vestigant, ibi illam diligenter quærant, tandem aliquando inuenturi. Nunc addit rationem propter quam diligenter vestiganda est: quia nimirum sapientes non venditât, & ostentant sapientiam, sed potius illam celant, atque abscondunt: quæ vero abscondita sunt, non nisi adhibita diligentia reperiuntur. Imò eam notam ad sapientem à stulto dignoscendum Salomō assignat, quod sapiens celat, tegitque sapientiam suam: at stultus statim prodit suam fatuitatem. Audi Socratem apud Stobæum serm. 31. *Multarum* (inquit) *rerum cognitione aut valde iuuat, aut valde lædit habentem: iuuat quidem virum dextrum, & commodum: lædit autem eum, qui facile quiduis apud quemuis eloquitur.* Quibus verbis sapientiâ ipsam, & rerum multarum cognitionem, nisi lingua infenetur, & colibeatur, non modo non vtilem, & com-

modam, sed etiam nociuam esse dicit. Ideo Salomon: *Sapientes* (inquit) *abscondunt scientiam.* At inquires: *Theſaurus inuisus, & scientia abscondita, quæ vilitas in vtrisque?* Respondeo sapientum esse celare sapientiam, non quidem ut omnibus incomperta sit: sed ne ab omnibus æquè videatur. Quomodo vero, quantumque abscondenda sit sapientia, non incondite tradit hoc loco Hugo Cardinalis. Lege ibi.

214. *Os autem stulti contritioni proximum est:* sic plerique legunt pro confusio. Sequuti sunt Septuag. interpretes, qui habent. *Os autem stulti contritioni appropinquat.* Possumus vero ita exponere, ut similitudo ducta sit à vase cōtrito, & pertuso. Quasi dicat, in proximo est, ut vasis adinstar tenuis, conteratur, & pertusum effluat, & perſillet, quoadusque conceptum omnem liquorè effundat. Et quidem eos, qui conceptos sermones, & sententias cōtinere, & premere non possunt, cum pertusis, ac perforatis doliis esse cōponendos auctor est Chrysoſt. & Hieronym. (ut interim Plutarchum dimittam) quorum omnium verba alibi dedimus. Sed cur id stultitiæ tribuit, & insaniam? Rationem obtulit Euripides à Clemente Alexandrino ascitus lib. 6. *Stomatium* his verbis.

*Ego pereffluentem explere neuiquam possim,  
Si dicta non sano infundam.*

215. Obserua leporem extremi carminis. *Si dicta non sano infundam:* quia non sanum dicitur vas, quod pertusum est, & perſillat: & stultus etiam non sanus, vel insanus dicitur. Itaque sensus est; insano qui aliquid secreti, & arcani committit, & infundit, perinde facit, ac si vasi alicui non sano liquorè pretiosum instiller. Quibus verbis innuit insanos appellari stultos, & vecordes, ducta similitudine à vasis non sanis, id est, pertusis, & perforatis. Stulti ergo propterea nihil animo, & mente continent, sed pereffluentes omnia effundunt, quia insani sunt, id est, amphorarum instar rimas habentium non sani. Aliter etiam licet præfata illa verba explicare, *Os autem stulti contritioni appropinquat:* id est, stulti, & vecordis os temere, & sine consilio promens omnia, quæ in buccas veniunt, non longe est, ut illi à quoquam indignabundo homine ob suam petulantiam conteratur os, aut dentes. Vulgo dicemus. *Vn necio hablador cerca está, de que alguno le de vn tapa boca, que le quiebre los dientes.* Non longe etiam ab hac sententia Euripides in *Bacchis.* *Infrenis oris, & illegitima stultitiæ finis est infortunium, & dentiſragium.* Denique vtraque vox, confusio, & contritio, quasi actiue sumi possunt. *Os nimirum stulti confusio, vel contritioni proximum est,* quia videlicet ob suam procaciam, & effrenem loquendi licentiam semper in promptu est, ut probris suis, & maledictis confusionem, & pudorem aliis paret, ut eosdem conterat, & proscindat. Quem ad sensum accedere videtur originalis *Flectio,* quæ habet. *Os stulti contritio proxima:* id est, vbicumque adest stultus loquens, contritio, & confusio imminet auditoribus.

XV. *Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius, pauperum egestas eorum.*

216. **S**ubstantia diuitis vrbs fortitudinis eius. Hebraicè concinunt Septuaginta: *Possessio diuitum ciuitas munita,* Theodotion: *fortitudinis eius.* Sicut vulgata.

*Pauperum egestas eorum.* Hebr. *Contritio, aut fractio exhaustorum egestas eorum.* Septuaginta. *Contritio impiorum pauperum.* Schol. *Pauperum paupe-*

perū: vt nostra. Chaldaus; totam sententiam sic extulit. *Possessio diuitis vrbs est, diuitiarum eius, & pauor pauperum necessitas eorum.*

Ambros.

Præmittam allegoricas duas expositiones: alteram Ambros. in Psalm. 118. *Substantia* (inquit) *diuitis vrbs fortitudinis eius*: id est, *vrbs cælestis Hierusalem, quam diues ingreditur bona sua, & fortunas pauperibus liberaliter, & effusè distribuens.* Vbi discrimen hoc constituere videtur inter diuites, atque alios, qui cælestem urbem aggrediuntur. Duobus enim modis vrbs aliqua capi potest: aut vi armorum, irruptione facta, verberatis mutis, &c. aut muneribus: corruptis videlicet custodibus, ac ducibus: hæc enim ratione deditio vrbs sapius fit sine sanguine, sine discrimine. Ambrosius ergo ait. Reliqui quotquot cælum ingrediuntur (ex his sunt, de quibus dicitur. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*) arietibus, tormentis opus habent, ad murum cælestis illius vrbs labefactandum: ac demum non sine sanguine illam accipiunt. Apertius dicam, labore n, mortificationem, voluntarios cruciatus, & tormenta adhibere debent. Diuites autem si sapiant, muneribus eandem cælestem urbem obtinere, atque ingredi possunt: nimirum bona sua, & fortunas in pauperes impendentes: his enim muneribus custodes, ac duces illius æternæ vrbs facile corrumpuntur, & deditio cogitant. Quapropter integrum diuitibus omnino est, sine conflictu, & sine sanguine id assequi, quod aliis multo sanguine constat. *Quia substantia diuitis vrbs fortitudinis eius*: id est, fortissimam illam urbem cælestis Hierosolymæ suis facultatibus, & fortunis facile obtinent. Addit. *Et pauor pauperum egestas eorum*: vel vt habent Origines. *Fractura seu contritio pauperum.* Quæ verba ad eandem sententiam allici possunt. Quasi dicat, egestas pauperum affert illis multam contritionem: quia cum illam urbem muneribus aggredi non possint, labor, contritio, pugna, & sanguis illis necessaria est.

217

Secunda expositio allegorica est Bedæ ad hunc modum. *Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius*: id est, qui secundum Deum diues est, bonorū operum, ac virtutum affluentibus copiis: is quidem inexpugnabilem urbem nactus est, vt à nullo possit hoste superari. *Et pauor pauperum egestas eorum.* Quæ verba, cum sint ancipitia, ita accipi possunt, vt pauor egestatis causa sit, aut rursus egestas pauoris occasio. Ergo Beda priorem sensum amplexus, ita subdit: *Qui noxio pauore duos pro Domino labores tolerare verentur, hi spiritualium bonorum inopia laborant, & egestate premuntur.* Cæterum qua ratione virtutum, & spiritualium diuitiarum affluentia, & copia urbem quandam inexpugnabilem, & fortissimam homini parent, haud inuisite tradit Hugo Cardinalis hisce verbis. *Hæc affluentia est vrbs electorum, cuius vallum est contemptus terrenorum, murus spes, antemurale patientia, turris humilitas, fons turrim muniens luctus, rivulus huius fontis aqua lacrymarum, speculator prudentia, ianitor obedientia, Rex charitas, custodes milites iustitia, temperantia, & fortitudo.* Sed litterales sensus aucupemur.

218

219

Duplex alia subest interpretatio. Quidam enim hæc pro diuitiis pronuntiata fuisse volunt: alij contra diuitias. Ex his ergo, qui hæc ad diuitiarū commendationem referunt, Iansenius, & Rodolphus sic edisserunt. *Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius.* Quasi dicat, sane vitandum, & fugiendum est otium, atque iustis laboribus, & industria opes conquirenda. Hæc enim hominem vsque adeo muniunt, vt illi pro vrbe sint tutissima, atque omni murorum, mi-

litumque præsidio cincta ad obfistendum hostibus. infortuniis, calamitatibus, & reliquis malis. Iuxta illud Ecclesiast. *Sicut protegit sapientia, sic protegit & pecunia.* Subdit. *Pauor pauperum egestas eorum*: id est, inopia, atque penuria in causa est, vt pauperes aliorum vim, & iniurias metuāt, hæc enim illos inermes, & imbelles infortuniis, & laboribus omnibus exponit. Diuitiarum quanta laus sit, tradit Aristoteles lib. 1. Rhetor. cap. 6. *Opulentum* (inquit) *& locupletem esse in parte aliqua virtutis ponitur.* *Est enim opulentia possessionis virtus, ex qua habent plurima commoda oboriuntur.* Sed expendamus singulas partes.

Eccles. 7  
num. 12

Aristot.

220

*Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius*: elegans similitudo ad signandam vim, & robur, quo diuitiae suos possessores muniunt. At iniquies eam similitudinem non satis diuitiarum vim exprimere, quia vrbs robur, & fortitudo omnis ad defendendum, & obfistendum spectat: non autem ad offendendum, & inferendum aliis bellum. Imò potius Salomon agens hic de recto, & honesto vsu diuitiarum, illas cum munitissima vrbe ideo contulit, vt totam earum vim, roburque non quidem ad aliud, quam ad defensionem, & tutelam referendum esse doceat. Quod enim aliquando ad offendendum, & inferendam aliis perniciem assumuntur, abusus est, & non vsus. Quapropter longe melius Salomon, quam Aristoteles, qui opum pecuniarumque præfidia cum exercitu composuit: quod scilicet diuitiæ, & acies vnum, atque idem *copiarum* nomen ferant: acies enim non solum tutelæ, & defensionis gratia, sed etiam ad offendendum, & nocendum instructæ sunt.

*Pauor pauperum egestas eorum.* Supra quidem ad illa verba. *Qui nititur mendaciis, hic pascat ventos, &c.* docuimus ex Aristotele pauorem sanguinis inopia accidere, & animantia valde exanguia timida imprimidis esse. Timotheus ergo, (vt auctor est Brusius lib. 5. cap. 10.) pecunias, atque opes homini pro sanguine esse dicebat. *Quid igitur mirum, si pauper ob sanguinis istius inopiam extimescat, & pauore rigescat?*

221

Cæterum alij sunt, qui verba Salomonis non diuitibus, sed contra diuites, atque illorum opes pronuntiata fuisse malunt. In his Hugo Cardinalis, & Caietanus, quibus ergo assentior, & interpretor ad hunc modum. *Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius.* *Pauor, seu contritio pauperum egestas eorum.* Quasi dicat, diuitiæ quidem diuites extollunt: paupertas vero pauperes frangit, & euertit. Itaque Salomon, vt commedaret mediocritatem, quæ paucis, & necessariis contenta est, duo extrema vituperat, & infestat: scilicet copias ingentes, & nimiam paupertatem. Ait autem. *Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius*: id est, diues, qui amplissimas opes adeptus est, fortem, atque munitam urbem se nactum fuisse putat: atque adeo in diuitiis spem suam collocans effertur, & audacior fit. Contra vero, *Pauor pauperum egestas eorum*: id est, paupertas animos fractos nimium deicit, ac deprimit. Ex quo fit mediocritatem esse præferendam iuxta illud. *Diuitias, & paupertas e ne dederis mihi: sed tantum victum meo tribue necessaria.* Hanc expositionem reliquis anteponendam esse existimo. Primò, quia cum sequentibus melius concinit, vt statim patebit. Secundò, quia lectio Septuaginta melius cum ista interpretatione concordat. *Possessio diuitum ciuitas munita, contritio impiorum paupertas.* Nam vt accommodata sit sententia nomine diuitum, aut superbos, aut etiam impios intelligit (in scriptura autem diuites pro superbis passim accipi consueverunt.) Tertio, quia cum eandem sententiam Salo-

Brusius.

222

mon uſurpet infra c. 18. ibi eam contra diuites profert. Ait enim. *Subſtantia diuitis urbs roboris eius.* Deinde affluit. *Et quaſi murus validus circumdandus eum.* Ex originibus autem ad uerbum ita conuertere licet. *Et ſicut murus eleuatus in imaginatone eius:* quæ uerba ad elationem pertinent; & ſupercilium, quod diuitibus copiæ afferre ſolent, qui ſpem in ſuis operibus locantes efferuntur, & intumescunt. Cum igitur diuitiæ nimiam ſuperbiam, & factum: paupertasitem animi depreſſionem, & deiectionem pariant, ſit mediocritatem præferendam eſſe. Quam non immerito auream appellauit Poëta.

*Auream quiſquis mediocritatem  
Diligit tutus, caret obſoletè.  
Sordidus teſti, caret inuidenda  
Sobriam aula.*

Verè enim aurea mediocritas eſt. Accipe rationem non ineruditam. Quia id intereſt inter aurum, atque alia metalla, quod exiguum ualde auri pondus magnam aliorum vim compenſat: ditioſiorem enim reddit (uerbi cauſa) libra auri, quam argenti decupla quantitas, aliorum uero metallorum inſana pōdera longe ſuperat. Mediocritas igitur iſta: mediocritatē autem appello exiguum cenſum, qui ad uiuendum ſatis ſit in homine, qui ſorte ſua contentus eſt, quamuis exigua ſit: tamen ampliffimas ditiffimorum hominum facultates uincit, ac ſuperat: eſt enim aurea quædam portio, non quidem cum argento, ſed cum plumbo collata. Ita enim ingentes diuitias cum plumbo contulit Chryſoſtomus: quia nimirum oneris plurimum, emolumenti uero parum afferunt, cuius uerba alibi dedimus. Hac igitur mediocritate ditioſes multo ſunt tenuis cenſus homines, quam opulentiffimi Cræſi. Sed pergo ad alia.

223  
D. Chryſ.

*XVI. Opus iuſti ad uitam: fructus autem impij  
ad peccatum.*

224

**O**pus iuſti ad uitam, &c. Hebraicè: *Prouentus impij ad peccatum.* Septuaginta: *Opera iuſtorum uitam faciunt: prouentus autem impiorum peccata.* Aquila, Symmachus, Theodotion: *Genimina impiorum.* Circa lectionem Septuaginta admonent Scholia Vaticana addendam eſſe propoſitionem *ad*: eſt autem apud Græcos in pluribus codicibus ἀμφοτέρω in nominandi cauſa, ita ut non poſſit reuocari ad uerbum *faciunt*, ſed ita accipienda ſunt illa uerba, *Prouentus impiorum peccata*: nimirum ſunt. Complutenſis habet, ἀμφοτέρω πεccato ſcilicet in auferendi caſu, ut ſenſus ſit. *Prouentus impiorum peccato ſit*, aut abundat.

225

Primam igitur interpretationem huius loci præbet Caietanus ad hunc modum. *Opus iuſti ad uitam*: iuſtus ſcilicet ob intentionem rectam, qua perficit opera ſua, uitam aſſequitur, tum gratiæ, tum gloriæ. *Fructus autem impij ad peccatum*: id eſt, prouentus eorum impiis peccatorum materiam, & ſegetem exhibent. Caietanus ergo (ni fallor) nomine *operis* ſignificari putat lucra, quæ in diuſtria, & negotiatione pariuntur: nomine autem *fructus* eos prouentus frugum, aut ſegetum, quos terra exculta edit colono ſuo. Animaduerte igitur, quod ſupra docuimus uerſ. 4. nimirum, qui agros colunt, & ex agricultura uictum quærunt, uitam innocentiffimam eſſe: contra eorum, qui negotiatione, & in diuſtria lucra aucupantur, totam uiuendi rationem multis fere peccatis obnoxiam eſſe. Id ergo diſcriminis iuſtum inter, atque improbum intercedit (inquit Caietanus,) quod *opus iuſti ad*

**A** *uitam*: id eſt, negotiationem alioqui periculofam, & peccatis obnoxiam iuſtus innocenter peragit, ita ut negotians uitam æternam lucretur. At uero, *Fructus impij ad peccatum.* Impius ſcilicet agriculturam agens, quod per ſe innocentiffimum eſt, & à culpæ alienum, innumeris peccatis ſeſe obſtringit. Sic enim ait Caietanus. *Impij autem uituperantur merito, quia prouentus frugum eorum cedit illis in peccatum: tam praua ſiquidem eorum eſt intentio, ut bonis etiam, quæ natura ſponte profert, abutantur.* Hæc ille. Cuius expoſitio ad hunc modum explicata non diſplicet mihi. De his Chryſoſtomus homil. 35. in primam ad Corinthios. *Sicut qui febricitant, ab omnibus offenduntur: ita qui ſunt animo corrupto, & deprauato, ab omnibus læduntur.* Agit autem Chryſoſtomus de his, qui bonas alioqui, honeſtas, & iuſtas lucrandi rationes ob animi ſui prauitatem ad malitiam conuertunt. Hos autem fabricantibus ſimiles eſſe dicit, quos ſalubria etiam alimenta lædere ſolent.

Chryſoſt.

**B** Secunda interpretatio communis uerba iſthæc accipit, ut ſonant, *opus iuſti ad uitam*: æternam ſcilicet promerendam. Hæc enim eſt merces bonorum operum, & denarius operas ſuas in agro Domini nauantium. *Fructus autem impij ad peccatum*: id eſt, in diuſtria, & labor impij multorum peccatorum illi ſegetem adminiſtrant. De his fructibus ſic Paulus ad Romanos 6. *Quem ergo fructum habuiſtis in his, in quibus nunc erubeſcitis?* Hanc expoſitionem tradunt Hugo, Dionyſius, & Arboreus, qui fere externam uerborum faciem contemplantur: in penitiores autem reſceſſus perarè inſpiciunt.

226

Paulus 6.  
num. 21.

**D** Tertia expoſitio, quæ uerbis his accommodari haud inepte poteſt, ſic habet. *Opus iuſti, &c.* diſcrimen inducit inter eum, qui labore ſuo, atque in diuſtria uictum quærit, atque illum, qui cum ampliffimos prouentus quotannis numeret, otioſam, & inertem uitam tranſigit. Luculentius dixerim. *Pone differentia entre aquellos que uiuen, y ſe ſuſtentan de lo que ganau con ſu trabajo, y los que por tener grandes rentas no han menester trabajar.* Nam uoces illæ *opus*, & *fructus*, ſi origines conſulas, id ſonant, *opus* enim mercenarij eſt: *fructus* autem, ſeu prouentus eſt id, quod uulgo dicitur *Renta*, Ait igitur Salomon. *Opus iuſti ad uitam, &c.* Quæſi dicat, beatior, atque felicitior eſt mercenarius aliquis, qui operas ſuas elocans uictum quærit, quam qui otioſus ingentes capit prouentus. Illi enim labor ad uitam con ducit, uel ad uitas (ut habet textus Hebræus) quia nimirum per laborem illum uitam corpoream tuetur, uitam gratiæ adipiſcitur, & uitam gloriæ promeretur. Huic uero abundantia, & affluentia rerum omnium, atque iners otium ad peccatum conferunt: quia uidelicet plurimorum peccatorum ſegetem offerunt. Itaque Salomon hæc uerba cum ſuperioribus connexuit. Cum enim ſupra mediocritatem, & tenuem cenſum commendaffet: nunc equidem illius conditionem præfert, qui ob incolumem ualitudinem ſuis operis, ac labore uictum ſibi parare poteſt. Hæc enim eſt mediocritas omnibus aliis uiuendi rationibus anteponenda.

227

**F** Quarta denique expoſitio eſt Ianſenij, quæ mihi non parum etiam probatur. Hic ergo *uitæ* nomen non ad gratiam, uel ad æternæ uitæ meritum refert: ſed de uita huius temporis accipit. *Opus (inquit) iuſti ad uitam*: id eſt, iuſtus ſane non laborat, ac negotiatur, ut habeat, unde luxurietur, & delitiis affluat: ſed ut uiuat, ut ſcilicet id tantum obtineat rei, quod ad uitam tuendam ſatis ſuppeditet: hæc enim eſt mediocritatis meſſura.

228

Fructus

*Fructus vero impij ad peccatum*: id est, improbus homo non satis ducit, si ad victum opportuna, & necessaria adeptus sit, nisi etiam affluat ad luxum; ad indulgendum scilicet, obsequendumque iniustis quibuslibet desideriis. Id enim peccati nomine intellexit. Lectionem vero Septuaginta, tum ad hanc, tum etiam ad superiorem expositionem allicere integrum est: vtraque enim accommodata est.

*XVII. Via vite custodienti disciplinam: qui autem increpationes relinquit, errat.*

229

**V**IA vite custodienti disciplinam. Hebraicè: *Semita ad vitam custodiens correptionem*, id est, *custodire correptionem*. Septuaginta: *Vias iustas custodit disciplina*. Scholiast. *Via vite custodit innocentes*. Chaldaus: *Via vite custodit disciplinam*. Sed quamuis hæc dissidere videantur, tamen eandem omnino sententiam reddunt. Qui enim *custodit disciplinam*, viam vitæ init (sic nostra) & eam, quam semel iniuit, *disciplina ipsa custodit* (sic Septuaginta) hæc enim efficit, ne homo ab illa via exorbitet. Ac demum via ipsa iam inita *disciplinam custodit*. (Sic Chaldaus) qui viam hanc semper tenere in causa est, ne disciplinam vnquam adiciamus. Itaque diuersæ istæ translationes non euertunt, sed potius illustrant eandem sententiam.

230

*Qui autem increpationes relinquit, errat*. Hebr. *Et differens increpationem faciens errare*. Septuag. *Disciplina autem carnis increpatione aberrat*. Aquila, Symmachus, Theodotion, & Chald. concinunt cum nostra.

Profecto si originalem lectionem sequamur, que sic habet. *Semita ad vitam custodiens disciplinam*: hunc sensum reddere videtur: ille ipse, qui seruat, exequiturque serio legem, & doctrinam, semita est & via ad vitam. Nimirum ea ratione, qua Christus Dominus semetipsum viam appellauit, cum dixit. *Ego sum via, veritas & vita*. Ioan. 14. via scilicet exemplo: veritas doctrina: & vita mercede, & præmio. Sic fere Patres, & alij interpretes. Quapropter si disciplinæ, legisque serium obseruatorem, vitæ semitam esse dicamus, sensus erit illum aliis ad bene, pieque viuendum exemplo suo viam præstare, atque munire: qui enim exemplo præit, semetipsum (vt ita dicam) præbet, ac sternit, quia virtutem in seipso tritam exhibet, atque adeo in viam redactam: via enim terendo fit. Hæc addidi propter Rodolphum qui huius lectionis, & interpretationis meminit.

Ioan. 14.  
num. 6.

231

In scriptura anceps est significatio *discipline*, & *correptionis*: aliquando sumitur pro admonitione, quæ verbo, & doctrina exhibetur: nonnunquam pro laboribus, & flagellis, quibus Deus animaduertit, aut exercet suos Iob 5. *Increpationes Domini ne reprobes*. Et alibi.

Iob. 5.  
num. 17.

Prima igitur expositio est Hugonis, qui nomine disciplinæ, & increpationis plagas à Deo Optimo Maximo immittas accipit ad hunc modum. *Via vite custodienti disciplinam*: is nimirum, cuius animus tribulationibus à Deo immittis infractus persistit, recta pergit ad vitam. Nam labores, atque tribulationes, *ipse sunt Regia ad cælum via* (verba sunt Gregorij Nazianzeni in oratione de plaga Grandinis.) *Qui autem increpationes relinquit, errat*: id est, qui tribulationes repudiat, labores refutat, hic certe toto cælo aberrat: quia ab illa via, quæ in cælum tendit, deuius ir. Et quidem la-

Tom. 1.

bores, & angustia: optimæ sunt ad cælum viæ, per quas citius, atque certius peruenire licet ad patriam: viæ scilicet Basilicæ, & Regiæ, vt ait Gregorius. Profecto viæ quædam maiores, & ampliores Regiæ viæ dicuntur. Sed ratio huius appellationis non vna offerri potest. Quidam ob eam causam regiam viam appellari volunt, quia omnes aliæ, quæ hinc inde semitæ sunt, aut orbitæ, ad illam tandem perueniunt, & in illam desinunt: quas ipsa excipit, & quodammodo regit, ac dirigit. Et sanè ob hanc rationem tribulatio merito Basilicæ ad cælum viæ nomen tulit. Quia cum aliæ, atque aliæ in cælum ferant semitæ secundum varias, & dissimiles viuendi rationes: tamen omnes in hanc vnâ tribulationis viam desinunt, quæ exceptas illas corrigit, & ad patriam recta perducit. Nulla enim conditio, status, aut viuendi ratio tribulationis experta est: hæc autem est via regia, quæ omnes alias excipit, corrigitque vias. Secundo alij existimant eo nomine notari, quia prædia, & agri vicini illi obseruiunt. Quotiescumque enim publica, & regia via detrita, aut labefacta est, per vicinos agros, ac prædia irrumpere, atque illa obterere, & sibi adiungere potest. Itaque quia vicina illi seruiunt, ideo regia via dicta est. Quadrat etiam hoc in tribulationis, & patientiæ viam, quæ reliquas virtutes seruitute quadam mirabili sibi subiicit, per omnes enim irrumpit, & magnam earum partem terit. Nulla enim fere virtus est, quæ laboris plurimum non habeat: atque adeo patientia non indigeat. Ob eam causam Chrylostomus *caput ac reginam virtutum patientiam* appellauit: non quia vere dignitate cæteris præstet (id enim verum esse non potest) sed quia nulla virtus est, quæ seruitutem istam non habeat, vt magnam illius partem patientia, tanquam regia via terere possit. Quid enim sublimius, atque celsius charitate? Quid immunius? Nihilominus tamen per hanc etiam viam suam, regit patientia, teste Paulo 1. ad Corinth. 13. *Charitas pater est, benigna est, &c.*

232

Paul. 1. ad  
Cor. 13. n. 4.

233

Tertio, Regiæ viæ appellationem quidam aliunde petunt: scilicet quia Reges per illam ire soleant, cum iter faciunt, ac regnum inuisunt, & propterea easdem Prætoriales, & Consulares dictas volunt. Ideo ad populos spectat eiusmodi vias aperire, purgare, ac reficere. Merito sane ob hanc etiã causam tribulatio regia, & Basilica via dicitur. Nam Regum Rex Christus Dominus, cum ad nos inuisendos, & mundum peragrandam venit, per illam iter suum fecit ipsemet attestante, cum dixit Luca 24. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* sed & Proreges eius, scilicet Apostoli, atque omnes alij Ecclesiæ Consules, & principes hanc viam emensi sunt. Quapropter (liceat sic loqui) cum Ecclesia Dei populus, ac ciuitas nuncupetur, ad illam pertinet viam istam regiam reficere, instaurare, & integram conseruare: atque adeo tribulationes plurimas in ea semper esse necessum est, vt via isthæc ad cælum aperta, & trita sit. Quarto denique nonnullis placet vias regias appellari, propterea quod sub Regis ditione, ac dominio sunt. Nam vias publicas inter bona regalia, quæ scilicet directo Regum dominio subiacent, numerandas esse existat relatum in Codice, *Quæ sunt Regalia*. Itaque regiæ, aut regales viæ iuxta placitum istud ideo dicuntur, quia cū prædia, arua, syluæ & agri priuatorum sint, aut vrbium: viæ tamen publicæ sub vniuersali Regum dominio sunt. Argumento sit quod nulla vrbs, vel populus viam publicam peregrino homini interdiceret potest: posset autem, si sua esset. Ita docet cõtra Bartolum Alciatus in legem, *Quantum ad ius pertinet*. Ob eam

Luc. 24.  
num. 26.

234

Kk

causam (inquit) metiri, atque vias publicas dilatare, aut cōgere iuris est imperatorij, ac regij. Pari ergo ratione tribulationis, & patiētiae via regia est, & Basilica sub Dei dominium, atque ditionem omnino cadens. Argumento fit, quod eiusmodi viam metiri, in arctum cogere, aut etiam dilatare solius Dei est: ipse enim tribulationes, per quas iustos ducit, mensurat, nec patitur aliquem tentari supra id, quod potest. Ipse dilatat viam istam, cum ita libuit. David teste Psal. *In tribulatione dilatasti mihi.* Paulus itē Paul. 2. *Patimur (inquit) sed non angustiāmur:* ipse etiam adstringit, & coarctat, David enim ait. *Tribulatio, & angustia inuenerunt me:* id est, in perangustam tribulationis viam immisit me Deus. Deinde quia sicut Iurisconsultus vias publicas inter bona regalia numerandas esse ex eo deduxit, qui omnes per illas nullo interdiente, aut vetante iter agunt, quia nullus quātumvis peregrinus arceatur. Eodem sane argumento conficitur tribulationem, & patientiam viam regiam esse, quia alias aliarum virtutum semitas alij, atque alij terunt, alij enim hanc, alij illam exercent: per tribulationis autem viam nemo non graditur, nullus enim est, qui laboribus, & molestiis immunis sit.

235

Quod si ad extremum quæras: cur Deus Basilicam, & regiam viam ad cœlestem patriam tribulationem esse iusserit, difficilem videlicet, & accliuem, cur non potius planam, & quabilem, iucundam, & amœnam viam aperuit? Occurrit Diuus Gregorius in Moral. *Electis suis (inquit) ad se pergentibus Dominus huius mundi iter asperum fecit, ne dum quasi que vita presentis: e iuue, quasi amœnitate via patitur, magis diu pergere, quam citius peruenire eligat: ne dum oblectatur in via, obliuiscatur quod desiderabat in patria.* Hæc ille: asperam igitur, accliuem, & arctam viam peragentis laborem quid lenit? Audi Chrysof. in Matth. *Cum cœlum praparetur in premium, nihil de presentis via asperitatibus debet sentiri: maxime id labores mitigat, finis inuenit. Non ergo aspicias, quod via est aspera, sed quod ducit, neque aliam, quod lata est, sed ubi desinat.* Hunc finem attigit Salomon in hoc loco, cum ait: *Via vite, custodienti disciplinam:* vel ut est in

Psalm. 16.  
num. 4.

Hebræo, *Via ad vitam.* Quasi dicat, vel ex eo iucundissimè disciplina, & correptionis diuinæ via conficienda est: quia quamuis asperior sit, ac durior, tamen in vitam desinit, atque in vitam denique inducit. Eapropter David: *Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Perfice gressus meos in semitis tuis, &c.* Quasi dicat, propter ea bona, qua verbo tuo mihi pollicitus es, asperrimæ ac durissimæ tribulationis viæ libenter me commisi. Tuū est modò gressus meos regere, ne vnquam ab initio itinere desistam, & in amœniores deuiasque viuendi vias me conuertam. Subdit Salomon.

236

*Qui autem increpationes relinquit, errat* Hebraicè *מחנה* *Mathgheb*, qui magis significat, quā *errat*, id est, vehementissime, seu longissime aberrat. Et quidem aptè: si enim tribulatio via regia est, & basilica in cœlum, quicumque illam deserit, & delitiosam, iucundam, & amœnam viuendi rationem inquit, longissimè quidem aberrat. Si autem erroris huius magnitudinem assequi vis, contemplare refinem: sicut enim prior illa via ad vitam tendit: sic etiam hæc posterior in mortem desinit. Vel aliter non errare tantum, sed vehementissime aberrare dicuntur, quia non erronee sunt, sed aberrone. Nam ut ait Arrianus. l. Qui cum de re militari: *Erro dicitur seruus, qui vagatur sine causa, animum tamen habet redeundi ad Dominum:* desumpsit autem verba ex lege. Quis sit fugitiuus, ff. de Adilitio edicto, *Aberro* autem seu iugitiuus est,

Arrian.

qui de reditu nihil cogitat. Ergo cum ait Salomon, eos, qui à disciplina, & correptione Domini ad delicias, & voluptates se recipiunt, vehementissime aberrare, perinde est, ac si dicat illos non erronee tantum, sed aberrone omnino esse. Nam cum à Deo aufugerint, animum redeundi, ac remigrandi nullum habent, & de ritu nihil cogitant, quia voluptatum, & deliciarum illecebræ omnem virtutis, & pietatis repetendæ intentionem, imò & memoriam tollunt.

237

Posterior expositio nomine disciplinæ, & increpationis eam intelligit animaduersionem, quæ verbo pericitur. Hanc sequuntur Iansenius, Rodolphus, Caietanus, & alij. Itaque ait: *Via vite, seu via ad vitam custodienti disciplinam.* Ei scilicet, qui admonitus, atque correptus libenter audit: etiam si prauus sit, tamen via suppetit, per quam vitam, & salutem repetere possit. *Qui autem increpationes derelinquit, errat*, id est, qui correptiones non auscultat, sed illas ægrè fert, ac recusat, longissime ab ita, atque salute. Hunc sanè non tantum erronee, sed aberrone iure optimo dicemus: omnem enim animum pedem referendi, & ad pietatem remigrandi se iam deposuisse ostentat: illum verò erronee: nam licet à via virtutis exorbitans deerret, dum corripientes, & obiurgantes obaudit, animum repetendæ salutis se non abiecit: testatur: *Via igitur ad vitam custodienti disciplinam:* quia nimirum ipsa admonitio, & correptio viam monstrat, per quam ad vitam eundum est. Chrysolom. homilia de eruditione disciplinæ tomo 5. *Erudicio (inquit) disciplina custos est spiritus: & dux vi ad vitam ferentis, & spiritualium magistra virtutum, ad cœlestes repromissiones perducit, & ad diuina premia facit peruenire: hancque nos sectari oportet ad vitam, & auerti ab omni malitia: dicit enim Psalm. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.*

D. Chrysof.

238

Septuaginta habent: *Disciplina verò carens increpatione errat*, id est, doctrina, quam non vrget, & coercet correptio, & accusatio delictorum, aberrat: nimirum vaga circumfertur, quia scilicet nullus excipit, & ad neminem ipsa diuertit. Vagatur enim doctrina, seu vagabunda errat, quam increpatio ad auditoris aures, atque animum non compellit. Hæc sententia est contra quosdam Ecclesiastes, qui putant se satis bene in concionibus suis versari, si doceant, & à seuerioribus increpationibus, & correptionibus abstineant. Quorum sanè doctrinam, vagam & erroneam esse dixerim, quia in nullum diuertit, nulli animo sedet: *Disciplina enim carens increpatione errat:* increpatio enim illam quodammodo in animos auditorum impellit ac regit. Vnde Paulus ad Timotheum secunda, capite 4. *Prædicauit verbum, iusta opportune, importune, argue, obsecra, increpa, &c.* Hæc enim ratione, doctrina, velut ieta, & stimolata, in auditorum animos se immittit, atque insinuat.

Paulus ad  
Tim. 2. c. 4  
num. 2.

Obseruari etiam debet aliquos extrema verba sic extulisse: *Et deserens increpationem faciens errare*, quia nimirum verbum originale est in Hithphael, quæ verba accipi possunt de doctore) aut præceptore, cui propterea quod correptionibus, & increpationibus pepercit, error discipuli adscribitur. Vel de auditore, qui cum abiecit disciplinam & correptionem, non modo ipse ab erroribus suis ad saniolem mentem, & meliorem frugem non reuocatur: sed etiam in eisdem errores plurimos alios secum rapit.



XVIII. *Abcondunt odium labia mendacia: qui profert contumeliam insipiens est.*

239

**A** *Abcondunt odium labia mendacia*, Hebraicè. *Operiens odium labiis falsitatis*. Septuaginta *Operiunt inimicitiam labia iusta*. Aquila, & Symmachus, *labia mendacis*. Theodotion, *labia iniusta*. Credibile etiam est Septuaginta aliquando habuisse, etiam *à d'cala* & à quopiam adeptum est illud *à negans*: hac nimirum mente, ut prior hæc pars cum posteriori per antithesim pugnaret, ut in aliis fere carminibus accidit. Et quidem consensus aliarum interpretationum suadet textum Septuaginta, ex ea parte restituendum, & emendandum. Quod si id non placet, quamuis verba sibi aduersari videantur: sententias tamen non pugnare postea docebo.

*Qui profert contumeliam, insipiens est*, Hebr. *Proferens infamiam ipse stultus*. Septuaginta. *Qui autem proferunt contumelias insipientissimi sunt*. Aquila, & Symmachus, *vituperationes*. Chaldaus integram sententiam sic absoluit: *Insidiatur inimicus labiis mendacij, & qui profert detractionem, stultus est*.

240

Prima interpretatio est Hugonis, qui verba hæc de adulatione exponit. Vult enim describi à Salomone adulatoris ingenium, qui fere presentibus blanditur, de absentibus detrahit: sapius enim assentatio detractionem sibi sociam adiungit. *Abcondunt odium labia mendacia*, id est, adulator suis assentationibus, ac lenociniis amicitiam simulans, & celans intus odium, mendax est: verba enim illius cum animo, & mente dissident. Item verò, cum absentis famam nota aliqua inurit, insipientiam testatur suam. Quia famam illius, cui probari, & cuius gratiam inire velis, lædere stultum est: sic enim tumet tibi metipsum derogas. Sicut enim probari à probato, & honesto viro laudabile est: ita etiam ab improbo probari in vituperatione ponitur. Hac ratione usus est Plutarchus aduersus illos adultores, qui presentibus blandiuntur, ut gratiam eorum, & benevolentiam sibi concilient, & absentes arrodunt, & mordent: *Stultum est* (inquit) *ab illo probari, & laudari velle, cui tumet ipse detrahendo fidem adimis, dum famam lædis*. Ita que adultores mendacij, atque stultitiæ appellat Salomon. Cæterum hæc expositio pluribus eget adminiculis, ne collapsa ruat. Pergo ad aliam.

Plutarch.

241

Secunda est Iansenii, qui vulgata lectioni non satis tribuens docet melius longè verti posse. *Abcondunt odium labiis mendacij, & proferens infamiam stultus est*. Putat ergo duplex lingua vitium à Salomone inculcari, quod ex odio accedere solet. Alij enim odium tegunt, & verbis suis simulat amicitiam: alij verò ex odio in contumelias, & probra aliorum prorumpunt. Vtrumque autem, inquit, stultum est. Sed tamen nescio cur interpretatio isthæc adeò insulsa, tantopere arrisit Iansenio, ut propter illam invulgatam lectionem inuehi non dubitauerit: cum præsertim vtramque partem, nimirum celare odium simulatis verbis, & ex odio probris aliquem petere, stultitiæ vertere difficile sit. Profecto melius alij interpretes, scilicet Beda, Caietanus, & Rodolphus, qui priorem partem simulationi, seu astutiæ: posteriorem stultitiæ tribuunt hoc modo: *Abcondunt odium labia mendacia, &c.* id est, astuti, ac veteratoris est conceptum animo odium, & inimicitias simulatis benevolentis verbis tegere: eadem autem inimicitias contumeliis, ac probris taciendis prode, & palam profiteri stultum est. Ita

Tom. I.

**A** que hoc in loco suadere vult Salomon, ut odium deponamus, & inimicitias: aliter enim, aut mendaces, aut stultos esse necesse est. Si enim illud simulatione celemus, mendacij, & astutiæ insimulamur: si autem indignatione, & contumeliis proferamus, stultitiæ arguemur: ex quibus in alterum incidere necesse est: vtrumque autem turpe, sed primum turpius, atque nocentius: *Abcondunt odium labia mendacia*. Cassiodor. in Psalm. quinquagesimū quartū, *Gravissimum inimicitia genus est, esse corde aduersarios, & lingua se simulare de ueros*. Et Boëtius libro tertio de Consolat. *Nulla*

242

Cassiod.

Boëtium,

**B** (inquit) *pestis est efficacior ad nocendum, quam familiaris inimicus*. Venena enim, quæ vino admiscetur ocysus perimere, paulo ante diximus: Nam vinum suapte natura cor petens virus secum trahit. Ita etiam dolus, & odium amicitie admixtum præsentissime nocet. Seneca in Prouerb. *Gravior est inimicus, qui latet in pectore, grauius malum est omne quod sub aspectu latet*. Nam cum, qui palam est aduersarius, facile cauendo vitare possis. Troianus equus ideo fefellit, quia formam misericordiam mentitus est. Contra verò, qui odium suum prodit, illum extingui cupit. Vnde idem Seneca alibi: *Amarum* (inquit) *agnosci amat, qui odium ostendit*.

**C** Dicam luculentius: inimicitie, atque odia arcana, & abscondita habentem perimunt: educta verò in lucem ipsa perimuntur, & extinguuntur. Huius rei similitudinem non inelegantem exhibuit idem Seneca ab incendio sumptam: si quando enim domus aliqua exarsit, quamdiu ignis internus est, nemine prohibente vrit lares, atque penates: vbi verò flammæ extulit super tecta, omnes vicini occurrunt velocius, ut grassantem ignis vim infusa aqua restinguant. Haud aliter odium, quamdiu latet, animi penetralia nullo verante adurit: vbi autem flammæ suas palam fecit, intercedentibus amicis sopitur, & pax redit. Age igitur, quid melius ducis inimicitias ipsas, aut hostem tuum perimi? Satius profecto est inimicitias interimere. Nā & Christus Dominus nequaquam aduersus hostem: sed aduersus inimicitias bellum suscipiendum esse exemplo suo docuit: *Inferens scilicet inimicitias in semetipso* (sic enim Paulus ait ad Ephesios secundam.) Melius igitur est inimicitias, & odia aperire, quam celare. Nam celata, & tecta odia tuam ipsius, vel eius, quem odisti, necem moliantur: proditis verò, & detectis, mors, atque crux eisdem paratur. Id sibi voluit Diuus Augustinus, qui in epistola quadragesima septima, ita scripsit: *Inimicitias simulatione officij immortalis tegebat*. Nam vel idem certe immortales erant, quia tecta, & simulata.

243

Paul. ad Ephes. 2.

**D** Heu stulti, & miseri quotquot vestra odia, & inimicitias immortalitate donatis, & vosmetipsos animaque vestram configitis, ac necatis! *Seruatus enim dolor contra proximum*, ait Gregorius lib. 10. Mor. *occidit: mente namque ut gladius figitur, & micro-*

August.

Gregor. Magn.

**E** *ne illius ipsa viscerum occulti aperforantur: Abcondunt igitur odium labia mendacia*, in suam ipsius perniciem. Neque verò odium probris, & contumeliis in aduersarium euomendis aperiendum, & manifestandum est. Addit enim Salomon: *Qui profert contumeliam, insipiens est*. Itaque contumeliis aduersarios petere summæ stultitiæ esse docet Salomon. Concinit Seneca epistola septuagesima septima. *E quo animo* (inquit) *audire da sunt imperitorum conuicia, & ad honesta vadenti contemnendus est ipse contemptus*. Item Ecclesiastici 23. *Vir assuetus in verbis improperij, in omnibus diebus suis non erudietur*.

Seneca.

Eccles. 23. Num. 19.

Cæterum quamuis hæc expositio mihi non omnino displiceat: tamen aliquid in ipsa desidero, quod iam aperio. Salomonem tam in hoc, quam

Kk ij

In sequentibus carminibus de moderatione linguæ verba facere exploratum est. Quapropter præmissa expositio ex eo mihi minus apta videtur: quia hæc verba aduersus odium prolata fuisse, & per eadem pacem, & amicitias suaderi docent illius patroni. Ego autem reor Salomonem non tam odii, atque inimicitiarum rationem habuisse, quam linguæ: hanc enim moderari volebat. Et quidem linguæ vitia ad tria ferme capita reuocari possunt: nimirum *falsitatem, maledicentiam, & multiloquium*. Falsitas enim continet mendacium, si nulationem, adulationem, periuriam, & alia id genus. Maledicentia cohibet conuitia, detractiones, contumelias, iniurias, & similia: Multiloquium vana, inania, scurrilia, & his cognata verba coërcet. Ergo Salomon hæc tria capitalia linguæ vitia paucis verbis damnat, & ab his ad tres alias eiusdem linguæ virtutes pergit. Hanc existimo esse mentem illius ab hoc versu 18. vsque ad 21. Ait ergo: *Abscondunt odium labia mendacia: vel ut est in originibus: Operiens odium labiis falsitatis: quasi dicat: Ille, qui falsa loquitur, callidus est, & vafer: id enim significat operiens odium, iuxta illud quod infra cap. 12. occurrit: Qui autem dissimulat iniuriam, callidus est. Itaque in hoc priori hemystichio, qui falsa loquitur, quicumque ille sit, siue mendax, siue adulator, &c. astutiæ, & calliditatis arguitur. In posteriori autem maledicus insipientiæ, & stultitiæ simulatur, siue is sit contumeliosus, siue detractor, &c. Constat enim pro contumelia alios infamium, alios verb detractionem conuertisse. Vox enim Hebraica hæc omnia suæ significationis ambitu complectitur.*

245 De lectione Septuaginta iam inde supra iudiciū tali: non enim vacat suspitione mendii. Si tamen retineamus, ut iacet, sensus erit: *Operiunt inimicitia labia iusta: quæ nimirum à conuitiis abstinēt, quæ detractionibus parcunt, quæ bene, & decore de aliis loquuntur: hæc sanè sunt labia iusta. Eiusmodi igitur labia operiunt inimicitiam, hoc est, delent omnino: ita ut nullum earum vestigium reliquum sit, eo modo, quo supra exposuimus illa verba: Charitas operit multitudinē peccatorum. Quod sanè verissimum est, non solum, quia facilè quis in gratiam redit cum eo, qui nec detractione, nec contumelia famam illius læsit (præsertim si nouit eundem bene, atque magnifice de se loqui) sed etiam, quia si ab odiis, & inimicitias absint conuitia, & detractiones, redeunte gratia omnino operitur, ac tegitur verus inimicitia. Nam ut eleganter Plutarchus in Moral. Amicitia post conuitia mutua, & fama lacerationes inuicem datas, aut non coeunt, aut cicatricose coeunt: semper enim vestigium antea discordiæ impressum omnino manet, tanquam vibex, aut cicatrix, quod dum memoria refricatur, vulnus præteritum instaurat. Aptè igitur Salomon: Labia iusta operiunt inimicitias: tum quia dissidentes animos concordia facili reddunt: tum etiam, quia efficiunt, ut nulla veteris discordiæ cicatrix, nullumq; vestigium supersit, vnde odium exulcerari, & iterum repeti possit.*

XIX. In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.

246. **I**n multiloquio non deerit peccatum. Hebraicè: *In multitudine verborum non cessabit prauaricationem, aut peccatum.* Caietan. *Non prohibebit rebellionem.* Septuaginta. *Ex multiloquentia non effugies peccatum.* Sic habet D. Cyprian. August. verò, Hieronym. Gregor.

Magnus, & alij plures, de quibus infra, legunt. *Ex multiloquio.* Symmachus: *Non effugies vitium.* Chaldeus: *In multitudine verborum non cessat peccatum.* D. Isidorus in Soliloquio: *Multiloquium non effugiet culpam.*

*Qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.* Hebraicè: *Et prohibens labia sua intelligens est: sic habet Chaldeus. Septuaginta: Parcens autem labiis sensatus erit.*

Mitto expositionem Hebræi apud Caietanum, quia mihi insulsa, & incondita videtur: comparat enim locum istum cum superiori illo: *Et vniuersa delicta operit charitas, sine lepore, ac sale.* Sanè coëcor, atq; vnanimis, tum Patrū, tum etiā interpretum conspiratio docet ista verba de verborum inanum multitudinem capiēda esse. Cresconius Grammaticus hoc testimonium scripturæ proferebat contra eloquentiam, & orationis elegantiam: sic enim ipse efferebat: *Ex multa eloquentia non effugies peccatum.* Augustinus verò lib. 3. contra eundem Cresconium cap. 1. pro eloquentia sic pugnat. *Dictum (inquit) non est ex multa eloquentia, sed ex multiloquio. Multiloquium autem est superflua loquutio: vitium scilicet loquendi amore contractum. Plerumque autem loqui amant, etiam qui nesciunt quid loquantur, vel quo modo loquantur.* Hæc Augustin. quibus multiloquij finitionem attigit. Sed eandem luculentius tradidit lib. 1. Retractat. cap. 1. *Abstine, ut multiloquium depretem, quando necessaria dicuntur quantalibet sermonum ac verborum multitudine, ac prolixitate dicantur: sed quando ea, que dicuntur, conuincuntur non necessaria.* Alibi etiam in tractatu de conflictu vitorum, ac virtutum (si tamen opus illud spurium non est) cap. 21. verba quæcumque inania, & otiosa, etiam si pauca sint, & rara, ad multiloquium spectare docet: *Quia que mala sunt (inquit) etiam si rara, plura sunt, quæ oportuit: atque adeo multa.* Hanc sententiam inter Comicos Græcos Philemon Syracusanus patris carminibus eleganter dedit, quæ ex Græcis fideliter expressa sic habent.

*Eum, qui nihil opportunè dicit, Longum existima, licet duas tantum syllabas pronunciarit. At benè dicentem ne longum existimes, Et si multa dixerit, & longo tempore. Huius iudicium Homerum accipe. Is enim nobis myriades scribit versusum. Nullus tamen Homerum appellauit longum.*

Habes iam quid sit multiloquium, nimirum superfluum quemlibet sermonem: complectitur autem inania, otiosa, & scurrilia verba, & nugas, & alia huius generis. Postquæ ergo falsam, & maledicam linguam superiori versu accusauit: iam nunc aduersum multiloquium, & loquendi prodigam linguam sic pronunciat.

*In multiloquio non deerit peccatum.* Nonnulli putant hîc agi de peccatis leuioribus. Quasi dicat, qui nimis multa, & plura, quàm oportet, verba facit, non poterit non crebrius labi in peccata leuiora: non enim poterit non multa otiosa, & superflua dicere, de quibus ratio ipsi reddenda sit in iudicio. Sic interpretatur Diuus Bernardus in sermone de Custodia linguæ, & Clemens Alexandrinus libro secundo Pædagogici capite sexto, vbi nomine multiloquentiæ meras nugas intelligit. Sic enim ait: *Inepta etiam nuga sunt silentio prætereunda.* Nam scriptura ait. *Ex multiloquio, &c.* Adde etiā Augustinum locis citatis. Accedit Sanctus Ioannes Abbas Raythic. & Diui Ioannis Climaci Scho-

247

Cres. Græ.

August.

August.

248

Philem. Syracus.

249

Bernard. Cle. Alex.

August. S. Ioannes Abbas.

hastes, qui sic scribit: *Oculum anima dicit intellectum, sed hunc silentio adiuvare constat: eo quod multiloquium calorem spiritus extinguit, & fluxus faciendi naturam habet.* Obscuriora sunt hæc ver-

Climacu.

ba, sed iam explico. Dixerat Climacus animi peracrem oculum esse intellectum. Subdit Ioannes Abbas, eum oculum silentio plurimum iuvari, & roborari: multiloquio verò plurimum lædi, quia multiloquium internum animi calorem restinguit.

Quapropter sicut his, quorum præcordia non satis calent, atque adeo alimenta non decoquunt, fluxus, seu reumata euenire solent, vulgò, *Corrimentos*, quæ cum ad oculos fluunt, ac com-

250

meant, lippitudinem, hubila, hebetudines, ophthalmias, & alios plerosque oculorum morbos efficiere solent. Haud aliter (inquit) postquam ex multiloquio calentes animi motus frigerunt, tanquam ex crudis, & indecoctis alimentis fluxus accidunt, qui licet plerasque animi partes alias, id est, potentias infestent (nulla enim est, in quam multiloquium labe, & fordes non influat) sed tum maximè animi oculum, mentem videlicet, atque intellectum lædit. Nam ex illo innumeræ partim otiosæ, & inanes, partim turpes cogitationes ad mentem confluunt, quarum fluxu lippire, obnubilari, hebetari, & caligare necesse est. Caterum si de leuioribus culpis, quæ ex garrulitate, nugis, & scurrilibus verbis accidere solent, locum istum capiamus verba illa: *Non deerit peccatum*, non quidem sic accipienda sunt, quasi dicant: vnum, aut alterum, aut etiam multa peccata ex multiloquio eueniunt: sed illud *non deerit* perinde est, ac semper aderit: vel vt habet Origenes: *Non cessabit peccatum*, id est, non intermitteretur. Nam cum otiosa, inania, & nugatoria verba ipsa peccata sint, quamuis leuiora: quicumque eiusmodi verba assiduo, & sine intermissione necdit, assiduo, & non intermissa peccata necdit. Hoc verò ita affirmandum est, nisi quis dicat hoc nomen *multiloquium*, non modo verba otiosa, & superflua: sed etiam honesta, & vtilia complecti. Ita vt sensus sit: *In multiloquio non deerit peccatum*, id est, qui multa verba facit: etiam si quædam vtilia, & honesta proferat, nonnunquam inutilia, & superflua miscabit. Lingua enim labilis admodum est, & ab vtilibus verbis ad inutilia facile resilit. Sic videtur intellexisse Pseudo ille Augustinus in tractatu illo de conflictu virtutum, atque vitiorum, vbi sic addit: *Dum multa bona proferri videntur, sepe contingit, vt à bonis locutio inchoata ad aliquod prauum deriuetur. Hoc ipsum sancta Scriptura ait. In multiloquio non deerit peccatum.* Sed quid inde? Attextit: *Tenendus ergo modus in loquendo, & ab ipsis nunquam vtilibus verbis parcendum, sicut Psalmista legitur fecisse: dicit enim. Humiliatus sum, & silui à bonis, &c.* Nihil profecto est, quod ocyus, ac facilius à bono in malum demigret, quam sermo, qui inter ipsa linguæ, & oris interualla tabescere, ac corrumpi solet. Eleganter Ambrosius in libro primo de Officiis: *Alliga (inquit) sermonem, ne luxuriet, ne lasciuat. Qui multiloquio peccat, sese colligat, sit restrictior, & ripis coerceatur: cito lutum colligit amnis inundans.* Sic Ambrosius, qui suam sententiam eleganti similitudine con-

Origenes.

251

Pseudo August.

Ambros.

252

duit. Ferunt piscem quendam ex mari extrahi, qui vbi ex aqua adductus est, ferè inter ipsas piscatoris manus tabescit, & nunquam sine corruptione ad horæ quadrantem peruenit: quod verum ne sit, ignoro. Illud scio accommodatissimum nobis exemplum, symbolumque præbere ad sermonis, & orationis naturam declarandam: qui

quidem perraro ad horæ quadrantem sine sanie, atque corruptione peruenit: pauci enim sunt, qui eo spatio sine crimine verba misceant: plerumque enim accidit, vt inter ipsas manus, vel vt vulgo dicitur, *de manus à boca*, sermo corrumpatur, & ab vtilibus ad inania transeat.

Verum enim verò si tenenda sit Augustini finitio, qui putat multiloquium superuacua solum, & inania verba claudere, bona autem, & vtilia excludere, accommodatior sensus euadet: si dicamus hîc nomine peccati grauius aliquod crimen intelligi ad hunc modum: *In multiloquio non deerit peccatum*, id est, qui loquendi prodigus est, & superuacua multa verba miscet, labente lingua innoxia, atque mortifera defultabit: nimirum in detracti-

onem, calumniam, contumeliam, aut quid simile prolabetur. Sic loci istum interpretatus est Chrysostomus in omilia in Psalm. centesimū quæ dragesimum, & Ambrosius libro primo de Abel, & Cain, capite nono, vbi sic ait: *Nos autem claudamus ostiū, ne culpa intret, ne lapsus aliquis sermonis exeat: intrat culpa, si lapsus exierit. Audi quomodo intret culpa. Ex multiloquio, inquit, non effugies peccatum: exiit multiloquium, peccatum intrauit: quia in multiloquio nequaquam, qui exiit, sermo trutinatur: imprudenter labitur, licet ipsum vltima membrum loqui grande peccatum non sit.* Quibus verbis Ambrosius mentem suam aperuit, & rationem etiam obtulit, propter quam ex multiloquio fere grauius aliquod crimen euenire solet. Itaque ait multiloquium, hoc est, præter mensuram effusus sermo peccatum est, nec leue admodum: sed illud imprimis perniciosum, quod fere grauius aliquod peccatum asportet. Nam multiloquium tunc euenit, cum verba non appenduntur, & statera rationis librantur: ei autè qui non trutinat, atque ad amussim examinat verba sua, inter leuia multa facile excidit aliquod grauius, quod vel famam proximi denigrat, vel scandalum immittit, &c. Ad hæc Diuus Gregorius Magnus Pastoralis Curæ tertia parte, admonitione decimaquinta eandem expositionem, & nouam rationem offert, propter quam ex multiloquio ad grauiora peccata homines prolabi consueuerunt: *Admonendi (inquit) sunt multiloquio vacantes, vt vigilanter aspiciant, à quanto rectitudinis statu depercant, dum per multiplicia verba dilabuntur. Humana etenim mens aque more circumclusa ad superiora colligitur: quia illud repetit, unde descendit, & relaxata deperit, quia se per infima inutiliter sparsit. Quod enim supernacuis verbis à silentij sui censura dissipatur, quasi tot riuus extra se ducitur: unde & redire interius ad sui cognitionem non sufficit: quia per multiloquium sparsa à secreto se intime considerationis excludit.* Vide ibi plura: tota enim Gregorij in eo vertitur ratio, vt ostendat per multiloquium vires animi, quasi emissis hinc inderiuulis dissipari: vnde facile deinde, velut exhaustis viribus in tentatione succumbit. Et quidem recte. Nam vires, & nerui, quibus animus ad reluctandum, & obistendum peccatis munitur, ac roboratur, non sunt alij, quam bonæ cogitationes, & auxilia à Deo immissa: per multiloquium verò omnem sanctam, piam, & vtilem cogitationem effluere, & abire exploratum est. Vnde Abbas Dorotheus doctrina vigesima quarta de compunctione, sic habet: *A multiloquio abstine: hoc enim extinguit cordi aduenientes cogitationes, rationales, & celestes.* Rursus quamuis aliæ leuioribus culpæ ad lethalia peccata animum paulatim disponant, quatenus per illa charitatis calor deferuet, & intepefcit, atque adeo rigor illius debilitatur: tamen nullum

254  
Gregor. Magn.

255  
Abb. Dor.

peccatum ex leuioribus calentem feruorum charitatis magis remittit, quam multiloquium: atque adeo nullum ad grauiora peccata magis animum disponit, ne dicam fleat. Accipe verba Diui Antiochi in homilia ceterima secunda de silentio: vbi qua ratione loquacitas vires animi elidat, docet his verbis: *Immoderata, & effranis verborum prolatio, qua periclitatur mentis tranquillitas, non solum circa operationem spirituales lentescere facit eam, ac desiderare: sed & molestissimo demoni acidia mancipat illam, ac dedit. Et quemadmodum ex estuantis balnei fores continenter aperte sint, intimum calorem ocyus efflant, & expellunt in ea, que sunt extrinsecus: ita etiam anima, &c.* Diuus Dorotheus eandem sententiam similitudine clibani, qui aperto ostio breui calorem exhalat, & paulo post friget, eleganter expressit. Nec pratereundus est Iacobus Bilius vir pius, qui in sua sacra Anthologia sic carmine lusit ab hypocautis, vulgè estuphas, similitudinem deriuans.

*Urque suum sensum perdunt hypocautis calorem.*

*Ni studeas clausus semper habere fores.*

*Sic quoque, quam par sit, si sapiens ora recedat,*

*Paulatim e medio pectore feruor abit.*

Abeuntem feruore, & intepescente charitate ad grauiores casus, & culpas animus magnopere lentescit. Merito igitur Salomon ait: *In multiloquio non deerit peccatum:* quia illum, qui multa verba temere, atque inaniter effundit, grauiores tandem ruina excipiunt ob premissas rationes.

Septuaginta habent: *Ex multiloquio non effugies peccatum:* ita ferè omnes Patres supra adscripti. Sententia est eadem: sed non idem lepos. Quasi dicat, illum, qui multa temere, & incaute loquitur, culpa & insequitur, & assequitur. Ratio est in promptu. Quia vt ait Diuus Ambrosius libro primo de Officiis: *Silentium est animi tutum asylum, quam plures vidi in peccatum loquendo incidisse, vix quemquam tacendo.* Itaque silentium asylum est, quod cum animus se recepit, in tuto est: qui verò hoc tutissimum abyssum non petit, sed per inania, & inutilia verba spargitur, & vagatur, hic peccatum effugere non potest: illum enim extra refugium positum sepius inuadit, ac tenet. Adde Senecam, qui satis acutè obseruauit (etsi ad rem aliam) eorum, qui fugiunt, proprium esse tacere, atque opprimere os: *Qui fugit (inquit) silentia noctis captat, silens pergit, & non solum opprimit verba, sed etiam halitum, putans omne illud ab aliis audiri posse, quod ipse audit. Pedes suspensio gressu mouet, neu perstrepani planta, &c.* Aperte igitur Salomon: *Ex multiloquio non effugies peccatum:* peccatum scilicet, quod homines assiduo infestatur. Hoc ergo garrulus, aut loquax effugere non poterit, quia ille quicumque fuga sua salutem consulit, silentia captare, silentio pergere, atque omnem denum strepitum vitare solet. Multiloquus verò absone vocibus vbique perstrepat, & verbis streperis semper insonat: atque adeo culpas fugere, & latere nequaquam potest. Quapropter Plutarchus in Moralibus à Graiuis ad silentium deriuat appositam similitudinem: quæ cum Taurum montem aquilis copiosum transuolant, calculos ore suscipiunt, vt strepitus illos, quos volando edere consueuerunt, opprimant, ne forte vox illas hostibus suis fugientes prodant. Ergo si culpas vnicuique aquilis velociotes, & sauiiores effugere cupis, sile: tacentem enim elabi, & transuola-

re licebit: loquentem verò etiam volentem culpa assequetur. Quid plura?

*Qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.* Septuaginta clarius expresserunt sententiam: *Qui parcat labia suis.* Non enim linguæ moderationem, & regimen in vniuersum Salomon præscribit his verbis: sed id, quod opponitur multiloquio, scilicet pauliloquium (liceat sic dicere) aut si malis breuiloquium appello. Is igitur (ait) qui parcat loquitur, prudentissimus est. Primum, quia ipsum non eloqui sapere est: iuxta illud proloquium: *Stultus si taces, sapiens:* quod Cleanti adscribit Maximus in cap. de silentio, & taciturnitate. Accedit Seneca in Proverbiis: *Taciturnitas stulto homini sapientia est.* Si ergo in stultum taciturnitas reddit sapientem, si quis sapit, simul ac tacet, merito hic prudentissimus, ac sapientissimus appellatur in gradu superlatiuo. Secundò is, qui parcat loquitur, aut tacet, sapientissimus dicitur: quia cum magna sapientia sit ornate, atque decore eloqui, longè maioris est tacere. Ita docet Diuus Ambrosius in libro primo de Officiis, vbi ita ait: *Tacere nosse difficilius est, quam loqui, sciunt bene loqui plerique, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil proficit. Sapiens ergo valde est, qui nouit tacere, &c.* Ergo sapiens, & prudens est, quisquis bene, & opportune loquitur: qui verò opportunè silet, prudentissimi nomen fert. Si tamen nonnunquam prophana miscere integrum est: accipe hac de re non iniucundum Alciati Emblemata.

*Cum tace: haud quidquam differt à sapientibus amens:*

*Stultitia est index linguæque, voxque sue.*

*Ergo premat linguam, digitoque silentia signet, Et se se Pharium verteret in Harpocratem.*

*XX. Argentum electum lingua iusti: cor autem impiorum pro nihilo.*

*Argentum electum lingua iusti.* Hebr. *Argentum purum* Septuag. *Argentum igne examinatum lingua iusti.* Aquila, & Sym. cōcinunt eū nostra. *Cor autem impiorum pro nihilo* Hebr. *sicut modicum.* Sed quia modicum (inquit Caietan.) pro nihilo reputatur, idè vulgatus interpres conuertit *pro nihilo.* Septuag. *Cor autem impy deficiet.* Aquila *ὡς οὐδέν.* Theod. *ὡς μὴ πῶν.* sicut nimium, vel sicut parum. Symmachus valde ad rem *ὡς πᾶν*, id est, vtile, & nullius pretii. Chald. *Et cor impiorum contritio est.*

In argento quidem puro tria, vel quatuor contemplari licet: scilicet nitorem splendidum, sonum gratum, puritatem defæcatam, valorem pretiosum. Hæc igitur quatuor totidem istius loci expositiones obtulerunt. Hugo & Caietanus duò priora obseruarunt, scilicet nitorem, & sonum. *Eloquia iusti* (ait Caietanus) *puri ad instar argenti splendore pulchre, & sonant rectè.* Splendor autem verborum est ornatus, & decor, quasi dicat, verba iusti decora sunt, nihil habent indecens, aut turpe, sed omnia nitida, & pura. Constat quidem argentea vasa, cum primum ab igne prodierunt, nondum splendescere, quoad lapillo affricata, & attrita ad nitorem, splendoremque adducuntur. Quomodo autem splendor iste verbis, & doctrinæ iusti conciliabitur? Ego quidem verba Doctoris tunc maximè nitere, ac splendescere argenti in morem dixerim, cum doctor ea, quæ docet operibus exequitur. Non statim doctrina bona cum primum oris, aut pectoris fornicem euasit, & adulterina omnia deposuit, splendet, ac nitet: sed tunc enitet, ac micat cum operibus assidua

Antioch.

Dorothe.

Iacobus Bilius.

256

Ambros.

Seneca.

Plutarch.

257

Maximus

Seneca.

Alciati.

258

259

exercitatione teritur. Hæc enim sunt, quæ verbis splendorem, & speciosam quandam elegantiam auferunt. Hæc de nitore.

Secunda expositio Caietani, atque Hugonis dicitur ex sono argenti, propter quem sonum prædicationem argento notari, pluribus in locis docuit D. Greg. Sed quis iste sonus, tam gratus, qui argentum commendat? Ego quidem argenti sonum, non tam ex gratia, & dulcedine commendari crediderim, quam ex veritate. Numularius enim ex sono certissimo indicio colligit, an nummus sit adulterinus, an syncerus: imò & valorem ex sono certissime aucupatur. Itaque ex eo laudem fert argenti sonus, non quia dulcissime, sed quia verissime resonat: alia enim metalla fortasse dulciorem sonum reddunt, nulla veriorem. Ergo cum Salomon linguæ vitia, & sordes supra enumerasset, inter alia quidem falsitatem recensuit, *Abcondunt odium labia mendacia*. Huic ergo vitio oppositam legem obiciens ait, *Argentum electum, vel purum lingua iusti*: argentum nimirum recte sonans, quod scilicet sono puritatem suam, & valorem verissime nunciant. Quasi dicat, verba iusti vera, & sincera, quæ sono suo animum, & mentem dicentis produnt: non odium abscondunt, non simulant amicitias, neque mendacia veris obtendunt: sed sonus ipse verborum sinceritatem animi, & valorem prolatae sententiæ aperte inlinuat. Non ineleganter Theognis apud Clement. Alexandr. quædam nominam quandam exposuit libro sexto Stromatum.

*Argentum reprobum, atque aurum falsasvè monetis.*

*Ex sonitu sapiens vir reperire queat.*

*Mentem autem chari faciendum fallat amici*

*Callidus atque intus corda dolosa legat.*

*Qua non à superis res est mage reproba, nosse,*

*Inter res omnes est mage difficile.*

Item apud eundem Clementem Alexandrinum sic Euripides.

*O Iupiter cur adulterinum, quod fiet*

*Argentum, dedisti signa aperta inter homines:*

*Sed quoqueat signo malus cognoscier,*

*Est insitus nullus character corpori.*

Itaque id dolent, & queruntur veteres isti Sophi, quod cum argentum, aurumque sono, aut quibusdam aliis indicio conditionem suæ naturæ certissime prodant: tamen astutus, & callidus nullum suæ fraudis satis verum, ac certum signum ostendet. Vnde sæpè cogimur hostes inter amicos numerare, & accipere grauiori multo detrimento, quam si falsos, & adulterinos nummos multos inter synceros, & integros accipiamus. In eo igitur iustus præstat (inquit Salomon) quod lingua eius argenti, & auridolo expertem naturam refert, imò vincit, ac superat. Nam de argenti & auri sinceri notis non quiuis decernit, sed numularius, vel artifex. Syncetissima verò iusti verba quilibet dignoscit, nemini non explorata, & perspecta sunt. Vnde hoc habent; Ex sono ipso, atque tinnitu: nescio enim quæ ratione verba iustorum sono ipso sinceritatem, & candorem suum omnibus produnt. Audi Gregor. Nazianz. orat. i. *Prudenti utique homini, & cordato illud imprimis curandum erit, ut argenti, atque auri instar omni ex parte versatus, atque in omnibus temporibus, & rebus, nusquam adulterinum, aut subaratum quiddam tinniat.*

Tertia expositio sumitur eo modo, quo argentum igni excoquitur, & conflatur. Hanc exhibet lectio Septuaginta, qui verba ista sic extulerunt, *Argentum igni examinatum lingua iusti*. Sed tamen dum explicant, quid excoctio, atque conflatio ista argenti significet, non omnibus eadem mēs.

A Hugo, qui etiam illam attigit, & superioribus adiunxit, ad spiritualem discretionem, & prudentiam refert, quæ verba iusti ignis in morem excoquit, & depurat: ne quid illis sordium, ac rubiginis hæreat: sed candida sint, ac munda. Alij per ignem, aut fornacem, in quo argentum istud defæcatur, charitatem accipiunt erga Deum, & proximum (in his Lyra.) Charitas enim iusti verba, velut ignis conflatur, & quidquid Deo displicere, aut proximum ledere potest, excoquit, & absument. Alij septuplicem illam excoctionem, quæ excogitavit Diuus Aug. stinus ad illa verba Psalm. vndecimo, *Argentum igne examinatum, probatum, terra purgatum septuplū*, in hunc locum transferunt. Sic enim addit Aug. *Purgatū septuplū per septē scilicet dona Spiritus sancti: per timorem Dei, per pietatem, per scientiam, per intellectum, per fortitudinem, per consiliū, per sapientiam*. Et quidem apte. Nam cum Spiritus sanctus ignis sit: ad illum spectat per sua dona labia iustorum ignire, sordes detergere, & fæces absumere. Alij verò, in quibus est Rodolph. de veritate interpretantur, quæ verba iusti, tanquam electum argentum omni mendacio, & simulatione, ceu adulterinis metallis expurgat. Ad eum modum exposuit D. Ioannes Chrysostr. illa verba Psalm. vndecimo, *Argentum igne examinatum*. Basil. Theodoretus, & alij. Audi vnum Chrysostr. *Quemadmodum argentum igne nihil habet alieni, & adulterini. Sic pura sunt eius verba à mendacio, & simulatione libera*. Ego quidem ita reor, his verbis notari veritatem, aut veracitatem linguæ iusti. Similitudinem tamen aliter conformandam esse suadent mihi verba, quæ adhibent Septuaginta, *Argentum igni examinatum lingua iusti: cor autem impij deficiet*. Existimo igitur similitudinem duci à probatione, & examinatione argenti. Quasi dicat, *Argentum igni examinatur*. Tunc autem purum, & defæcatur esse constat argentum, cum ab igne ad trutinam rediens, ne modicum quid defecisset, & ponderis nihil amisisset deprehenditur. Ad eundem modum si verba iusti hominis examini subiiciantur, quantumuis sæpe, ac sæpius igne, & trutina explorentur, nullum in illis defectum, aut vitium inuenire licebit: quin imo post examina, & probationes semper sibi similia, & æqualia euadent, sicut argentum purum, quod ab igne ad lancem veniens à semetipso pondere, & momento non diffidet.

B

C

D

E

F

Aurust.

263

Chrysostr.  
D. Basil.  
Theodor.

264

Psalm. 16.  
num. 3.

deprehensa in me æqualitas aliqua, sed mihi simili, & compar omnino inuentus sum. Id ipsum luculentius, & accommodatius ad rem nostram translatione sua expressit Diuus Hieronymus, qui ita conuertit, *Probasti cor meum, uisitasti nocte, conuisti me, & inuenisti cogitationes meas non transire os meum.* Ex quibus uerbis excipere licet modum, quo uerborum ueritas, & fides examinatur à Deo. Est enim iucunda, & elegans allusio ad rationem explorandi argentum, & aurum. Solet enim aurifex duas eiusdem ponderis portiones ex eadem auri, uel argenti massa excindere: ubi uero æquales esse libras decreuit, alteram in conflatorium **B** vas mittit, deinde ad lancem reuocat, & cum altera componit: & siquidem iam inde postquam excocta est, alterius pondus non attingit, adulterationis arguitur, & per illas duas exiguas particulas de reliqua massa decernitur. Ergo ad eundem modum inquit Dauid (secundum lectionem Hieronymi:) Tu Domine ueritatem meam explorare uolens, uerba cum mente in eadem tui iudicij, & æstimationis trutinâ, tanquam duas eiusdem metalli particulas composuisti, *Et inuenisti cogitationes meas non transire os meum*, id est, post tuam probationem & examen liquidè constitit mentem meam, nec leui momento à uerbis dissidere. Ad do etiam quod quemadmodum aurifex per duas illas particulas, quas examini subiecit, de reliqua auri, uel argenti massa iudicium fert: ita etiam Deus examinatis mente, ac lingua, sic de toto homine decernit, sicut hæc uel æqualia, uel inæqualia euaserunt. Ac propterea Septuaginta absolute dicunt, *Et non est inuenta in me iniquitas.* Nam ut ait Iacobus in sua canonica capite quarto, *Quicumque uerbo non offendit, hic perfectus est uir.* Quapropter examinatis, & probatis uerbis nihil ultra examinare, aut probare necesse est.

D. Hieron.

265

Iacob. in ep. cap. 4.

266

Sed licet hæc expositio cum superioribus duabus collata mihi accommodatior semper uisa sit: nihilominus tamen quarta mirum in modum probatur, quæ scilicet ab æstimatione, & pretio argenti petitur: tum quia optimè nescitur cum superiori uersu: tum etiam quia exprimit vim nostræ, atque originalis lectionis. Cum ergo Salomon præmiserit ex multiloquio multa euenire peccata: cum uero, qui parit uerbis suis, qui scilicet pauca opportune loquitur; ad prudentiæ culmen peruenisse, affuit discrimen, quod intercedit inter utriusque uerba, & sermones, *Argentum* (inquit) *electum lingua iusti*, quasi dicat. Verba eius, qui parce loquitur, pretiosa sunt, & argenti pretiosissimi æstimationem exæquant, sunt enim pauca, & opportuna. Vtrumque uero, paucitas scilicet, & opportunitas, pretium auget, *Cor autem impiorum pro nihilo.* Impium uocat multiloquium, id est, uerba quibus loquacissimus homo effundit cor suum, nullius pretij sunt, pro nihilo scilicet habentur: nimirum quia multa sunt, & inepta. Vtrumque autem, multitudo uidelicet, atque ineptia pretium extenuant. Infra cap. 17. occurrunt similia quedam uerba, *Qui moderatur sermones suos, doctus, & prudens est: & pretiosi spiritus uir eruditus.* Obserua spiritum sumi pro uerbis, sicut etiam cor capitur pro sermone, cum dicitur, *cor autem impiorum pro nihilo.* Itaque ait illius, qui parce loquitur, sermones ex eo pretiosi sunt, & per magno æstimantur, quia pauci, & tempestiue deprompti. Pergo ad alia.

A

XXI. *Labia iusti erudiunt plurimos: qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.*

**L**abia iusti erudiunt plurimos. Hebraicè, *Labia iusti pascunt plurimos.* Septuaginta, *Labia iustorum sciunt excelsa.* Aquila concinit cum uulgata. Chaldaus, *Labia iustorum pacant plurimos.* Hebr. est ירעו רבים *Irghu Rabim*, prior, uox est à radice רעה *Raghab*, quæ significat *pascere*, aut *pasci*: inde רעה *reghab*, uel רע *Reangh*, id est, amicus, & socius, quasi conuescens: quia nimirum societates, amicitia, atque commercia, seu pacta conuescendo celebrari, & sanciri olim consueuerunt. Propterea Chaldaus illud *pascunt plurimos*, ea ratione extulit, *pacant*, uel *paci*, & concordia reddunt *plurimos*: quasi dicat, labia & sermones iustorum longe firmiterem, & iucundiorum pacem inducunt inter dissidentes, & discordes, quam epulæ illæ, & comotationes, quæ fœderibus sancendis adhiberi solent. Rursus posterior illa uox *Rabim* רבים fluit à radice רכב *Rabab*, quæ significat multiplicare, & magnificare. Itaque *Rabim* plures significat, saepe etiam *magnos*. Septuaginta igitur eam uocem non ad multitudinem, sed ad magnitudinem referentes, eiusmodi sensum illis subesse existimarunt, *Pascuntur magnis*, pro quo ipsi metaphoram soluentes, *sciunt magna*. Noster autem interpres Aquilæ præmens uestigia, uocem *Rabim* ad multitudinem retulit, & pascere metaphorice dictum existimauit pro erudire aut docere, ut non semel alias in sacris literis Hieremiæ 3. *Et pascunt uos scientia, & doctrina*, apud quem Doctores passim pastorum nomine censentur.

267

C

**Qui autem indocti sunt, in cordis egestate morientur.** Hebræa concinunt. Septuaginta adimunt particulam illam *cordis*, atque ita habent, *Inspicientes autem in egestate morientur*: tamen Aquila illam inseruit.

Hierem.

E

Tres illæ translationes, quas paulò ante expendi, eundem nobis exhibent interpretationes. Chaldaus enim, qui legit, *Labia iusti pacant plurimos*, præstantissimam linguæ bonæ, ac moderatæ laudem attingit: quæ scilicet non solum non irritat, aut lacessit aliquem uerbis suis, sed potius dissidentes animos emollit, & in concordiam adducit. Frustra id multis comprobem, cum ex se notum, & exploratum sit. Ecclesiast. 6. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua eucharis in bono homine abundat.* Plura dicam ca. 15. ad illa uerba, *Lingua placabilis lignum uitæ: interim accipe pauca uerba Chrysostomi in sermone de mansuetudine, tomo 5. Si capitales* (inquit) *inter se inimici sunt mansueti uiri correptione placantur, & mansuescunt, etiam si natura in iram, & furorē propensi sint. Qui uero per hunc conciliari nequeunt, intractabiles plane sunt, nulloque honore digni, & post pauca. Mox ut uiderit, mitigat furibundus: neque enim multis ei uerbis, uel admonitionibus opus est, sed pagē priusquam loquitur persuadet. Quemadmodum solis iubar, ut primum apparet, fugat tenebras: ita benignus, & iustus sua præsentia res turbulenta componit, quietasque, ac tranquillās reddit. Est autem & hoc dignum recenseri, quod Christus solū pacificos filios Dei uocat. Et quare suum uocabulum pacificis comunicat? Quis solus hic Filium Dei pro uiribus imitatur, qui pacis, & amicitia autor aliū sit. Et breui interstitio uerborum adhibet Chrysostom. accommodatissimam pacifici hominis similitudinem. Porro, quod in corporibus nostris nerui, hoc pacificus in domo, in Ecclesia, in ciuitate: Paulus enim more suo fratres uocat,*

268

Ecc. 6. n. 5

Chrysost.

269 *corpus, & membra inuicem. Vnde verum est illud, quod pacificator eandem habet virtutem in domo, Ecclesia, & vrbe, quam habent in corporibus nerui dispersa & separata coniungentes, & connectentes. Et quidem non tam ipsum, quam eius verba, & rationes, quibus pacem tranquillitatemque suadet, pro neruis esse dixerim (argumenta enim validiora, & fortiores quasdam rationes neruos dicimus.) His igitur neruis vir iustus membra cuiuslibet communitatis, & societatis astringit, & copulat. Sed obseruanda est vis originalis verbi, de qua paulo ante dixi, *Labia iusti pascunt plurimos*, id est, longe melius foedera, & amicitias confociant, quam epulae, quae in pactis, & societatibus stabilendis adhiberi, seu praemitti solent. Et quidem more comparatum fuit apud veteres, cum forte pacisci, aut foedera iungere opus erat, lautiores epulas, & vini copiosiores calices praemittere: vt scilicet animi epulis, ac vino iucunde oblectati hilaritatem, & mititatem conciperent, mærores, sæuitiamque deponerent, ac sic denique pactis constituendis aptiores, & hilariiores essent. Ergo Salomon ait, *Labia iusti pacificant, vel pascunt plurimos*. Multo scilicet melius verbis suis propinantes, & sermonibus suis pascentes dissidentium animos ad gratiam, & concordiam ineundam comparant, quam vinum, & splendidiores epulae, animos enim mitius leniunt, iucundius oblectant, & sæuos motus compescunt.*

270 Secundam expositionem exhibet nobis translatio Septuaginta, quæ sic habet, *Labia iusti sciunt excelsa: insipientes autem in egestate moriuntur*, id est, labia iusti de rebus excelsis, & magnis scite, atque eruditè loquuntur. Et sane Septuaginta verbum illud *pascunt*, aut *pascuntur* (quod in primitiuo est) perinde acceperunt, ac *ruminant*, vel *ore concipiunt*: atque ad eam sententiam integri carminis ad hunc modum conformanda est. Labia iusti nobiles, & excelsas res concipiunt, quæ velut depasta atque ruminata inter dicendum dulces sapiunt, atque alunt dicentem: at stulti vana loquuntur, & inania. Quapropter, *in egestate moriuntur*, hoc est, velut fame enecti peribunt: ea enim, quæ dicunt, nec saporem, nec alimentum præstare possunt. Possunt etiam verba Septuaginta ad sententiam nostræ vulgatæ translationis facile alicui.

271 Igitur vulgata interpretatio vnam, & alteram expositionem offert. Prior est Caietani, & Iansenij ad hunc modum. *Labia iusti erudiunt plurimos*, seu *pascunt multos*, quod idem est, ac si dicat; Iustus propter vim sapientiæ, atque doctrinæ, qua affluit, multos suis monitis, atque doctrina alere, atque innutrire potest. At contra stulti, & insipientes, *inegestate cordis moriuntur*: tantum scilicet abest, vt aliis doctrina sua alimenta præstare possint, vt vel ipsi egestate, & inopia consilij enecti pereant. Quid certius quam sapientes suis velut copiis eos alere, quos doctrina, ac præceptis ad bene viuendum informant? (Seneca discipulos, quibus Philosophiæ documenta instillabat, sæpe *clientes suos* vocat: est autem *cliens*, qui alienis sumptibus victitat. Paulus item non semel diuini verbi ministros sumptibus, & copiis fidelium alendos esse ex eo conficit, quia hi doctrina sua fidelibus alimenta spiritalia impertiuntur.) Eos autem, qui inopia sapientiæ, & consilij pereunt, his similes esse, qui egestate, & fame enecti immo iuntur.

272 Posterior autem vulgatæ lectionis expositio huic assimilis est, *Labia iusti erudiunt plurimos*, vel pa-

*scunt*, id est, doctrinæ pabulo reficiunt. *Stultus autem in egestate cordis morietur*, id est, illi plane stulti, qui cum possint hoc tam salubri pabulo innutriti, ac sapientum doctrina refici: nihilominus tamen doctrinam detestantes, velut fame enecti miserime depereunt. Vtraque expositio est accommodata: sed tamen superiori magis tribuo.

XXII. *Benedictio Domini diuites facit, nec sociabitur eis afflictio.*

B *Benedictio Domini diuites facit.* Hebraicè. *Benedictio Domini ipsa ditabit.* Septuaginta. *Benedictio Domini super caput iusti, hæc dicit.*

*Et non sociabitur eis afflictio.* Hebraicè. *Et non adiciet dolorem secum.* Septuaginta. *Et non adicietur eis afflictio.* Iansenius existimat lectionem vulgatam correctione indigere, & pro his verbis, *Et non sociabitur eis*, subiiciendum, *Et non sociabitur eis*: sed post correctionem Vaticanam textus habet *eis*, & ad sententiæ vim ea mutatio nihil facit.

Prima expositio est Caietani ad hunc modum. *Benedictio Domini diuites facit*, id est, Deus sua liberalitate copias ingentes donat, cui vult: *Et non iunget dolorem suum* (sic ipse legit) id est, nunquam illum facti pœnitet, nimirum quia teste Paulo sine pœnitentia sunt dona Dei. Quæ quidem expositio haud insulsa erit, si tamen addas Salomonem id sibi voluisse: non tædet, aut pœnitet Deum donationis suæ cum aliquem sua benedictione ditauit, id est, quæ semel donauit, nunquam ex pœnitentia aufert. Quod sane dici potuit ob discrimen bonorum, quæ quis iniuste lucratus est. Nam passim in hoc libro docet Salomon iniustos diuitiarum acquiretores iactura bonorum suorum multandos. Itaque ait, cum bonis iniuste partis defraudare diuites soleat Deus: ea tamen, quæ ipso benedicente, & donante iuste parata sunt, nequaquam ex pœnitentia adimere, aut imminuere solet. Sic enim expositio isthæc ad vulgatæ sensum fortasse a lii poterit, vt postea dicam, aliter in illam non cadit.

Ergo Rodolphus aliam excogitauit, quæ sic habet. *Benedictio Domini diuites facit*, quasi dicat, diuitiæ quidem à Deo petendæ, & exorandæ sunt: cuius est, cum volet, subito honestare pauperem, id est, multis copiis augere, & cumulare tenuissimum quemlibet hominem. Vbi tacite (inquit Rodolphus) suadetur misericordia, & elemosyna, quia benedictionem Dei affluentius percipit, qui liberalis existit in egenos: iuxta illud Pauli 2. ad Corint. 9. *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Itaque diuitias non tam industria, & labore, quam oratione, & meritis à Deo obrinendas esse dicit. Addit verò, *Et non sociabitur eis afflictio*, id est, quicumque hac ratione à Deo opes quarit, omni afflictione, & molestia vacat, quia illi misere anguntur, quotquot in sola sua industria fidem omnem, ac spem reponunt.

Possumus tamen aliter explicare. *Benedictio Dei*, id est, illius fauor, & beneuolentia ad instar est diuitiarum omnium. *Nec sociabitur eis afflictio*, id est, quicumque suas in Dei beneficentiam, & fauorem copias contulit, nullum laborem, molestiam, & angorem experitur. Itaque laudari videtur hic voluntaria paupertas, quæ omnium thesaurorum loco ducit diuinam benignitatem, & liberalitatem, à qua pender. Hæc enim libera est, & immunis ab omnibus afflictionibus, & angoribus, quibus diuites premuntur, & obruntur: diuitiæ enim atque opes curas innumeras secum asportant. Qui vero diuitias

273  
Variationes.

Iansen.

Caietani.

274  
Rodolph.

Paul. 2. ad  
Cor. 9. n. 6.

275

spereuit, ac diuinæ largitati, & beneficentiæ se commisit, is curis, ac molestiis omnibus vacans quotidianum sine angore victum capit. Hanc expositionem suadet lectio originalis, quæ si verbo ex verbo exprimat, sic est efferenda, *Benedictio Domini ipsa diuites facit, vel ditat*: vbi illud pronomen ipsa, satis exprimit non sumi causaliter, sed (vt aiunt) formaliter. Quasi dicat ipsa est pro diuitiis, ac facultatibus immensis, imo superat omnes opes: hæ enim exhauriri possunt: at illa inexhaustam quandam assiduo suppeditat affluentiam. Vnde Chrysostr. diuinæ prouidentię largitatem voluntariis pauperibus loco amplissimi matrimonij esse dixit, & alibi, *consum pauperum* eandem appellat. Et sane, si liberalitas isthæc census est, addere possumus istius census hypotecam non aliam esse, quam Dei ipsam bonitatem, qua nihil aut immobilius, aut fecundius.

276

Extrema interpretatio illa verba, *Benedictio Dei ipsa diuites facit*, accipit causaliter, id est, causa est ditescendi. Quæ tamen duplicem ad sensum vocari potest. Prior est Iansenij ad hunc modum. Diuina beneficentia multo melius ditat, quam industria: & quidem sine angore, & sollicitudine. Nam quæ per industriam quærentur lucra, multo labore pariuntur. Itaque suaderi existimat Iansenius non tam industriæ, quam diuinæ beneficentiæ fidendum esse illi, qui ditari desiderat.

Posterior vero sensus, qui mihi accommodatio videtur, ita habet, *Benedictio Dei diuites facit, & non sociabitur, &c.* quasi dicat; Inter diuitias, quas quis ex Dei beneficentia accipit (sunt autem isthæc bene, ac iuste partæ: nam quæcumque ea ratione parantur, Deo annuente, & donante acquiri dicuntur) & inter illas, quæ iniuria, & vi colliguntur, hoc interest, quod male parta male pereunt, atque adeo cruciant animum, cum amittuntur. Deinde etiam, quandiu habentur non minus animum lacerant, quam cum amittuntur. Chrysostr. *Quid est* (inquit) *quod inuideas diuiti, qui seipsum pluribus curis subiecit: quod difficiliori seruituti: quod sexcentis catenis veluti canis quispiam suis pecuniis alligatus est. Aduenit vesper, successit nox: huic vero solatiij, & requie tempus, fit tumultus tristitia, & maroris, & sollicitudinis tempus. Maiori torquetur sollicitudine, quam ille, qui perdidit. Nam ille quidem semel perdidit, ac dolorem accepit, deinde vero curam deposuit: hic vero perpetuo secum illam gerit.* Obserua extrema illa verba, *hic vero perpetuo secum illam gerit*: nam respondent ad vnguem illis, *& sociabitur eis afflictio*: semper scilicet velut comes aderit. Solent quidem quæstuum anidi conquiritores contractus, seu pactiones societatis inire cum aliis, vt lucra partiantur. Ergo Salomon ait, *non sociabitur eis afflictio*, scilicet iustis, quasi dicat; Iniusti, & auari, qui contra fas copias adepti sunt, veluti quodpiam societatis pactum cum marore, & afflictione ineunt: atque adeo maror, & afflictio maximam lucrorum, & quæstum partem auferunt, dum illis perfrui non sinunt. Non ita illi, qui ex iusta industria ditescunt: *His enim non sociabitur afflictio*, atque adeo indiuisa, & indistributa lucra capeffunt.

277

Sed examinanda est lectio originalis, *& non adijciat dolorem secum*. Verbum *adycere*, in scriptura sumi solet, pro *lucrari*: supra cap. 1. *Audiens sapiens sapientior eris*. Hebraicè, *addet sapientiam*, id est, lucrabitur. Eccles. 37. *Qui abstinentes est, adijciat vltimam, & Eccles. 2. Vt addat & congreget, & tradat ei qui placuit, Deo*. Sane in iure adiectiones dicuntur incrementa, seu additamenta pretij, quæ in licitationibus fiunt, vulgo *pujas*, nimirum, *Quando la*

*A cosa, que est a puestas por uno, otro la puja*. Quamuis alij accommodatius dicunt, hoc nomine cenferi eas sortes, quas vulgo dicimus, *prometidos*: cum quis videlicet pretium auget ea conditione, vt quicumque æstimationem à se constitutam cumulare volet, sibi certam pecuniæ quantitatem addere debeat. Lege Briffonium de verbor. signification. Salomon ergo de iusto quæstu ait, *Non adijciat dolorem secum*. Nam quicumque iniustis lucris augent bona sua, nullum sane lucrum referunt, aut quæstum reportant: quin vice additamenti, vel adiectionis vulgo *prometido*, maximam afflictionum, & marorū vim pendere cogantur. Optime Chrysostr. homil. 53. ad populum, postquam diuitū debitores enumerauit: *Ventrem scilicet, inanem gloriam, & intemperantiam*, quibus suas credunt facultates, addit: *Hi namque sunt diuitum debitores, has sorti iungentes vsuras, & adiectiones presentia mala pœnasque futuras*. Haud aliter de lucris iniuste partis dicere licet. Hæ sunt quidem supra sortem vsuræ, & adiectiones, presentia mala, & pœnæ futuræ: hæc autem in dies augentur, & cumulantur.

XXII. *Quasi per risum stultus operatur scelus: sapientia autem est viro prudentia.*

*Quasi per risum stultus operatur scelus*. Hebraicè, *Veluti ridere stulto facere scelus*. Septuaginta, *In risu insipiens agit mala*. Symmachus concinit cum nostra. Chaldæus, *Quando ridet stultus, operatur scelus*. Addit Rodolphus ex Hebræis aliquos conuertisse, *Quasi per risum stultus operatur cogitationem*. Nam vox זמח *Zamach*, significat scelus, & cogitationem.

278

*Sapientia autem est viro prudentia*. Hebraicè, *Et sapientia viro intelligentia, vel cognitions*. Septuaginta, *Et sapientia viro parit prudentiam*. Chaldæus, *Et sapientia est viro prudenti*.

Prior interpretatio est Rodolphi, qui translationem illam, *Quasi per risum stultus operatur cogitationem*, sic edisserit: stultus in rebus agendis nulla deliberatione vitur, sed temere cuncta exequitur. Vel aliter: quemadmodum in cachinnos, & risu stulti ac leues homines sæpius repente, ac temere, & nulla de causa profiliunt: sic etiam stulti temere aggrediuntur, quæ cogitant. Sed tamen si mihi ea placeret translatio, mallem sic interpretari, *Quasi per risum stultus facit cogitationem*: stultus videlicet nihil serio, & seuerè, sed omnia ridicule, & iocose operatur: contra vero *sapientia viro prudenti*, id est, vir scilicet, qui pollet sapientia, omnia prudenter agit, hoc est, maturè, ac serio cuncta perficit: nam sua ipsius sapientia illum prudentem, & cautum reddit.

Rodolphi.

Secunda interpretatio est Iansenij, Lyra, & Caietani, *Quasi per risum stultus operatur scelus*, hoc est, ridiculam rem, & nullius momenti ducit scelera admittere: contemnit scilicet, ac parui pendit.

279

Iansen.

Lyra.

Caietan.

Hugo.

Tertia est Hugonis ad hunc modum, *Quasi per risum, &c.* id est, gaudens, & cum multo risu, & cachinnis scelus perpetrat stultus. Vel aliter, stultus, id est, improbus scelus data opera admittit: cum vero in scelera deprehensus est, addit *ludens, vel ridens feci*. Sed tamen quamuis istiusmodi interpretationes mihi probentur: tamen aliam, atque aliam expositionem his verbis subesse puto, quas ex translationibus Septuaginta, & Chaldaica petere licet.

Chrysostr.

Chrysostr.

Prou. c. 1.

Eccles. 37.

num. 34.

2. n. 26.



280

Septuaginta ergo sic conuertunt, *In risu infipiens agit mala.* Chaldaus item, *Quando ridet stultus, operatur scelus,* quæ verba hunc sensum reddunt. Stultus interim dum ridet, & arri det, dum se hilarem, & iucundum præbet, scelus architectum perficit: nomine autem stulti improbum intelligit, ut sæpe aliàs, *Sapientia autem est viro prudentia,* id est, viro prudenti sua ipsius sapientia cautionem præbet, ne se deludi aut circumuèniri patiatur. Id sibi volunt Septuaginta, cum addunt, *Et sapientia viro parit prudentiam,* nimirum ut sibi ipsi prospiciat, & consulat. Hunc vero ad sensum verba nostræ vulgatæ lectionis alluci posse satis liquet. Interpretationem istam illustrant verba Senecæ, quibus docet viros prudentes, & cautos ex risu potissimum, tanquam ex clarissima nota animos, & mentes aliorum venari, *Est enim (inquit) risus, caohinni, arri-ssio, & subrisio. Rident synceri, cachinnos edunt stulti, arriident adulatores, irriident scurræ, subriident callidi, & dolosi. Hæc prudentes viri perspicue discernunt.* Aptè igitur Salomon, postquam dixit stultum cum ridet, seu arri det, scelus suum moliri, attexit, *sapientia vera parit prudentiam,* nimirum ad cognoscendum ex risu ridentis animum, atque mentem.

281

Posterior expositio est ad hunc modum, *In risu, seu quando ridet stultus, operatur malum,* id est, risus, & iocis opportunitatem sceleribus magnis præbent. Cuius rei optima ratio suppetit ex Aristotele lib. 4. cap. 8. *Quia risus licentiam, & liberio rem quandam facultatem administrat, & inter risum, & iocos abit pudor, verecundia discedit.* Pseudo Aug. serm. 39. de diuersis, qui numeratur 97. de tempore, eandem rationem attigit, *Risus frequens corrumpit mores, relaxat enim nervos rigoris adstrictos: seuerus autem vultus custos est discipline.* Chrysof. homil. 62. ad populum, percurrit quædam loca, ubi risus liberior est, & in his maxima quæque delicta euenire docet: scilicet in theatris, in conuitiis, atque eiusmodi aliis. Ad hæc tum Aristoteles ubi supra, tum Plato in libro trigesimo quarto de legibus, ex risu, & iocis conuitia imprimis nasci tradunt. Et quidem Plato sic addit, *Ex his pene omnes ad id deuenire solent, ut ridiculum aliquid dicant in aduersarios. Quæ in re quicumque se assuefacit, aut bonos mores perdit, aut magnanimitatem maxima ex parte amittit. Eum ergo, qui in hoc deliquerit, magistratus harum re, um præsciis libere puniat: quod si non fecerit, tanquam legum proditor præceptorumque legislatoris strebetur ad publici cuiusquam muneris certamen, quasi de virtute certaturus nunquam ascendat.* Ergo Salomon ait, *In risu infipiens operatur malum:* quia nimirum risus effusior conuitiis, aliisque magnis sceleribus, soluto animi rigore, & laxato pudoris freno, opportunitatem accommodat. At verò *sapientia viro parit prudentiam.* Viros scilicet sapienti sua ipsius sapientia prudentiam affert: ut scilicet ferio res agat, & seueritatem adhibens risu, ac iocis sobrie, ac prudenter vtatur. Aristoteles quidem ubi supra querit, vtrum pro risu & iocis lex aliqua ferenda sit, ac subdit, nullam ratam, & constantem legem imponi posse. Ac demum ait, *Vir itaque graciosus, ac liber ita se habebit, quasi ipse sibi lex sit in ioco: talis est enim ipse medius, siue dexter, siue urbanus, siue comes dicatur.* Hæc sane fuit Salomonis mens, & non alia, cum ait, *Sapientia viro prudentia,* id est, ipsamet sapientia, qua pollet vir, iocis, ac risui modum imponit, leges præscribit, ne forte excessus peccandi licentiam, & libertatem adducat.

282

A

XXIV. *Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum iustis dabitur.*

XXV. *Quasi tempestas transiens non erit impius; iustus autem quasi fundamentum sempiternum.*

**Q**uod timet impius, veniet super eum. Hebraicè, *Formido impij ipsa eueniet ei.* Septuaginta, *In perditione impius circumfertur.* Chaldaus concinit cum nostra.

*Desiderium suum iustis dabitur.* Hebraicè, & *desiderium iustorum dabitur.* Septuaginta, *desiderium autem iusti acceptabile.*

*Quasi tempestas transiens non erit impius.* Hebraicè, *Sicut transitus turbini, & non impius.* Septuaginta, *Prætereunte procella deletur impius.* Chaldaus propius ad nostram accedit, *sicut transit turbo, sic transibit impius.*

*Iustus autem quasi fundamentum sempiternum.*

Hebraicè, & *iustus fundamentum sæculi.* Septuaginta, *iustus autem declinans saluatur in sæculum.* Aquila, Symmachus, & Theodotion hærent nostræ vulgatæ. Hispanica, *como cimiento del mundo.*

Prius quidem singulos versus expendam, deinde vtrumque copulabo: nam ex vtroque (ni fallor) vna sententia integra coalescit, *Quod timet impius, veniet super eum.* Locus iste cum superiori sic nectendus est. Præmiserat Salomon stultos inter risum, atque iocos maxima quæque scelera perpetrare. Iam nunc addit ipsum non prorsus metu, & timore vacuum animum gerere: quamuis enim effusè, & laxè rideret, iocaturque: interim tamen conscientia sceleris stimulatus animus timet supplicium. Rursus dixerat sapientem seueros, & gratos mores præ se ferre, à iocis, & risu abstinere. Iam nunc addit illum severo, ac subtristi vultu maximorum bonorum spem celare. Quapropter ait, *Quod timet impius, veniet ei,* id est, illa mala, quæ interridendum, & iocandum ob scelerum suorum conscientiam metuit impius, tandem aliquando euenient ei, *Et desiderium suum iustis dabitur,* id est,

bona item illa, quorum spem animus nullius sceleris conscius sub seueritate, & grauitate morum, atque vultus alit, demum contingent illi. Quasi dicat, qui viderit hilarem, & ridentem impij vultum, & seueram, imo subtristem iusti faciem, credat fortasse illum metu vacare, & spes certissimas alere: hunc contra timore concuti desperare, & angere. Longè aliter, inquit Salomon, *Nam quod timet impius, eueniet ei & desiderium suum iustis dabitur.*

Ille scilicet hilari vultu metu, hic mæsta facie spem celat: vterque autem reportabit, ac refert: ille quidem quidquid timet: hic vero quidquid sperat. Hanc quidem existimo Salomonis mentem esse in priori versu, à qua non longè abit Iansenius, & Rodolphi interpretatio. Addit vero Iansenius non solum de cæteris suppliciis, sed etiam de aliis huius vitæ infortuniis præmissa verba capi posse. Timent enim, inquit, homines, ne illorum scelera prodantur, ne quid contra eorum vota, & desideria accidat, verentur fortunarum amissiones, honoris iacturas, & alia eiusmodi; hæc autem, quæ timent, sæpissime illos occupant, & opprimunt. Contra vero iusti, si quid boni ex temporalibus sperant, id tandem Deo auspice capeffunt. Cæterum extrema illa verba, *Et desiderium suum iustis dabitur,* alium ad sensum

Pseudo.  
August.  
Chrysof.

Plato.

283

284

285

vocari posse censuit Rodolphus. Nimirum tunc cum Deus immisissis malis omnibus, quæ improbi verebantur, de illis vindictam sumpserit, annuet quidem votis, ac desiderijs iustorum: qui id optabant, & expetebant, iuxta illud Psalm. 119. *Quando facies de persequentibus me iudicium.* Et de iustis iam regnantibus scribitur Apoc. 6. *Vidi subtrus altare animas interfectorum, &c. Et clamabant voce magna dicentes. Vsq̄uequo Domine sanctus, & verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra?* Sed præferenda est prima interpretatio. Pendamus singula.

*Quod timet impius, veniet ei.* Non semel id minitatur Deus improbis, supra cap. 1. *Et subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit.* Et Job 3. *Quia timor, quem timebam, euenit mihi, & quod verebar, accidit.* Sanè cum præmississet Salomon impium ridere, lætari, ouare: ne quis illum propterea scelicem putaret, subdit eundem risus inter & gaudia metu percelli: atque aded eius risum, & gaudia hebetari, & languescere. Nam vt ait Plu-

Plutarch. *Timor hebetem facit latitiam, perinde atque flammam statu vehementiori inhibitam.* Sed vnde & quorsum timor iste?

Albinus. Alcuin. Alcuinus in responsis ad Carolum Imperatorem, timorem istum, quo Deus impiorum mentes percellit, antequam supplicium immitat, *diuina ira Feciale* appellauit: & quidem apte. Nam Feciales olim erant Sacerdotes, qui bella denuntiabant, antequam signa, & manus confererentur. Timor igitur *diuina vindicta*, atque *ira Feciali* dicitur, quia Deus supplicia, quibus in sceleratos animaduertere decreuit, præmissio timore tanquam Feciali denunciat, & nota facit. Non abit longe ab hac sententia Job cum ait cap. 6. *Terrores Domini militans contra me.* Hebraicè, *ordinant contra me*, id est, mihi bellum indicunt, & confertissimam laborum aciem à Deo immisissam in me iam iam incurrere significant. Accommodatè igitur Salomon ait, *Quod timet impius, eueniet ei*, id est, supplicium, quod ira Dei per timorem, tanquam per Fecialem denunciant, ipsam opprimit, &c. Rur-

sus cum ait euenturum impiis id, quod verentur, magnitudinem supplicij exaggerat. Nam vt ait Laurentius Iustinianus in lib. de ligno vitæ cap. 3. *Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus: sic etiam omne infortunium instat timentis.* Nescio enim, qua ratione labores, & infortunia animos eorum, quæ eadem ante timebant, magis, ac magis prostermit, ac labefactat: vel potius scio, ac noui. Ratio enim in promptu est, quia timor scilicet cum animo ante infortunium occupauit, illius robur soluit, & constantiam elidit. Quapropter succedens labor, aut dolor, solutum, & coniternatum animum acerbius cruciat, grauius impellit. Ad hæc Sapientia 17. dicitur, *Cum pax sit, semper insidias suspicatur: & cum sit timida nequitta, dat testimonium condemnationis*, id est, timor ipse damnationis prælagium est. Subdit, *Semper enim præsumit sana perturbata conscientia. Nihil enim aliud est timor, nisi præsumptionis adiutorium.* Itaque æt animum criminis conscius non leuia mala, sed leuissima vereri, ac præsumere solitum. Reddit autem rationem: quia timor præsumptionem, vel suspicionem mali adauget.

Primo, quia mala ipsa timentis grauiora apparent, quamuis leuiora sint. Secundo, quia timor ipsam mali expectationem fouet, alitque. Tertio demum, quia animus timore concussus non leuia mala, nec leues ærūnas, sed grauissimas, a que læuissimas sperat. Ergo cum Salomon ait,

*Quod timet impius, eueniet ei*, id est, supplicium, quod ira Dei per timorem, tanquam per Fecialem denunciant, ipsam opprimit, &c. Rur-

sus cum ait euenturum impiis id, quod verentur, magnitudinem supplicij exaggerat. Nam vt ait Laurentius Iustinianus in lib. de ligno vitæ cap. 3. *Quemadmodum perniciosior est hostis fugientibus: sic etiam omne infortunium instat timentis.* Nescio enim, qua ratione labores, & infortunia animos eorum, quæ eadem ante timebant, magis, ac magis prostermit, ac labefactat: vel potius scio, ac noui. Ratio enim in promptu est, quia timor scilicet cum animo ante infortunium occupauit, illius robur soluit, & constantiam elidit. Quapropter succedens labor, aut dolor, solutum, & coniternatum animum acerbius cruciat, grauius impellit. Ad hæc Sapientia 17. dicitur, *Cum pax sit, semper insidias suspicatur: & cum sit timida nequitta, dat testimonium condemnationis*, id est, timor ipse damnationis prælagium est. Subdit, *Semper enim præsumit sana perturbata conscientia. Nihil enim aliud est timor, nisi præsumptionis adiutorium.* Itaque æt animum criminis conscius non leuia mala, sed leuissima vereri, ac præsumere solitum. Reddit autem rationem: quia timor præsumptionem, vel suspicionem mali adauget.

Primo, quia mala ipsa timentis grauiora apparent, quamuis leuiora sint. Secundo, quia timor ipsam mali expectationem fouet, alitque. Tertio demum, quia animus timore concussus non leuia mala, nec leues ærūnas, sed grauissimas, a que læuissimas sperat. Ergo cum Salomon ait,

*Quod timet impius, eueniet ei*, id est, supplicium, quod ira Dei per timorem, tanquam per Fecialem denunciant, ipsam opprimit, &c. Rur-

**A** *Impiis ea mala euentura esse, quæ timent, satis declarat hæc mala grauissima, atque læuissima fore. Subdit.*

*Et desiderium suum iustis dabitur.* Pari ratione bona, quæ diu desiderantibus, & operantibus contingunt, iucundiora, & gratiora esse constat. Sicut enim timor infortunium, & laborem auget: sic etiam desiderium expectati boni magnitudinem amplificat: nimirum ex iisdem capitibus. Nam primo bona, etsi magna non sint, si tamen ardentè desideranti contingant, iucundissima sunt. Secundo, quia desiderijs & votis plerumque magna, imo ingentia bona complecti solemus: ita enim fert humani cordis amplitudo. Tertio, quia desideria boni expectationem fouent, & spem alunt. Ob eam causam Deus, vt beneficia sua modis omnibus augeat, & amplifcet, non solum iustis magna bona impendit: sed vt bona isthæc illis gratiora, & iucundiora eueniant, eorumdem impensum ardensque desiderium prius immittit. Nam fit inde, vt dona illius magna cum sint, accedente desiderio mirum in modum excrescant. Id sibi vult illud, *Et desiderium suum iustis dabitur.* Deinde cum mensuram desiderij explendam esse dicit, satis innuit beneficiorum suorum magnitudinem. Nam in hominibus iustis tam latè patet cordis amplitudo, vt votis, ac desiderijs maximas semper res concipiant. At iniquis illud sane beneficia Dei extenuat, quod vota nostra plurimum differt. Imo potius id Deo debemus, quod differendo maiora faciat, vt postmodum explendo, & cumulando maiora dona impendat: dilatio enim desiderium auget: desiderium verò animum ampliolem reddit.

**B** *Accipe verba Aug. tit. 4. in primam epistolam Beati Iohannis, Tota vita boni Christiani sanctum desiderium est. Quod autem desideras, nondum vides, sed desiderando capax efficeris, vt cum venerit, quod vides, implearis. Sicut enim si velis implere aliquem sinum, & nosti quam magnum est, quod dabitur, extendis sinum, vel sacci, vel vtris, &c. & si vides, quia angustus est, extendendo facis capaciorem: sic Deus differendo extendit desiderium, desiderando extendit animū, extendendo facit capaciorem. Desideremus ergo fratres, quia implēdi sumus. Quid illustrius? Subdit:*

*Quasi tēpestas transiens non erit impius, &c.* Non vna huius loci expositio est. Primo aliqui ita ediferunt, si quando impius in iustū, ac probū hominem incurrit, atque illū subuertere contendit, haud diffidet à turbine violento, & tēpestate vehemēti ex his, quæ ocyus pertranscunt. Iustus vero inter aduersa omnia ad instar æterni cuiusdam fundamenti immotus, & inconcussus perstat.

**D** *Quasi tēpestas transiens non erit impius, &c.* Non vna huius loci expositio est. Primo aliqui ita ediferunt, si quando impius in iustū, ac probū hominem incurrit, atque illū subuertere contendit, haud diffidet à turbine violento, & tēpestate vehemēti ex his, quæ ocyus pertranscunt. Iustus vero inter aduersa omnia ad instar æterni cuiusdam fundamenti immotus, & inconcussus perstat.

**E** *Quasi tēpestas transiens non erit impius, &c.* Non vna huius loci expositio est. Primo aliqui ita ediferunt, si quando impius in iustū, ac probū hominem incurrit, atque illū subuertere contendit, haud diffidet à turbine violento, & tēpestate vehemēti ex his, quæ ocyus pertranscunt. Iustus vero inter aduersa omnia ad instar æterni cuiusdam fundamenti immotus, & inconcussus perstat.

**F** *Quasi tēpestas transiens non erit impius, &c.* Non vna huius loci expositio est. Primo aliqui ita ediferunt, si quando impius in iustū, ac probū hominem incurrit, atque illū subuertere contendit, haud diffidet à turbine violento, & tēpestate vehemēti ex his, quæ ocyus pertranscunt. Iustus vero inter aduersa omnia ad instar æterni cuiusdam fundamenti immotus, & inconcussus perstat.

*Quasi tēpestas transiens non erit impius, &c.* Non vna huius loci expositio est. Primo aliqui ita ediferunt, si quando impius in iustū, ac probū hominem incurrit, atque illū subuertere contendit, haud diffidet à turbine violento, & tēpestate vehemēti ex his, quæ ocyus pertranscunt. Iustus vero inter aduersa omnia ad instar æterni cuiusdam fundamenti immotus, & inconcussus perstat.

Psalm. 119.  
num. 84.  
Apoc. 6.  
n. 6. n. 9.

286

Plutarch.

Albinus.  
Alcuin.

287

Job 6. n. 4.

Laurent.  
Iustin.

288

Sapient.  
17. nu. 11.

289

290

August.

291

292

Matt. 7. n.  
24.  
Luc. 6.

qui adifi-

qui edificauit domum suam super arenam, & descendit pluuia, & uenerunt flumina, & flauerunt uentri, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & facta est ruina illius magna. Præfert expositionem istam, atque lectionem Iansenius uulgatæ translationi, sed immerito: hæc enim longe uenustiore, & accommodatiorem sententiam claudit. Conatur præterea Iansenius ad eum sensum uersionem Septuaginta interpretum uocare: sed reuera vim uerborum non attingit, & illis uim non minimam affert. Subiugio ueram interpretationem.

Prætereunte procella non erit impius iustus autem declinans saluatur in sæculum, quasi dicat: Inter impium, atque iustum hominem hoc dissidere certum est: quod morte magna adinstar procellæ, ac turbinis ingruente impius quidem non erit (phrasia est scripturæ) id est, omnino tollitur de medio, & transferetur ad inferos; iuxta illud Psal. *Vidi impium eleuatum, & exaltatum sicut cedros libani, transiit, & ecce non erat, & non est inuentus locus eius.* Et alia passim. Contra uero, *iustus declinans*, id est, moriens, saluatur in sæculum, id est, in æternam uitam, & felicitatem asseritur. Itaque secundum lectionem Septuaginta, tam iustus, quam impius unam, & eandem mortis procellam, & tempestatem subire dicuntur: discrimen autem hoc est, quod hic naufragium patitur: ille tempestate transacta portum legit, & anchoras æternæ stabilitatis iacit. Sed accedo ad uulgatam lectionem.

*Quasi tempestas transiens non erit impius.* Hebræicè pro tempestate est *Suphab*, à radice *Suph*, id est, deficere, finire, & desinere. Pagninus addit hanc uocem proprie significare uentum ualde frigidum, & uolentem: sed tamen radix ipsa, ex qua fluit, suadet eam uocem secundum germanam significationem tempestatem aliquam uolentem, cito tamen abeuntem, ac deficientem notare: nubem scilicet aliquam, aut nimbum ex his, quo tempore æstiuo ocyus coguntur, & ocyus soluantur. Ad hæc aliqui nomen illud deducunt à *Suph*, id est, iuncus: putant autem significari proprie oboram in mari tempestatem, quæ iuncta, & algas conuellit, ac fluctibus immiscet: aut uentum, qui non aliter arenam ab uno loco in alium transferat quam uide iuncta, & algas marinas: iuxta illud Maronis:

*Et terras turbine uersat.*

Sed non audiendi: Prima igitur huius carminis clausula eum sensum reddit: *Quasi tempestas transiens non erit impius*: id est breuissime deficient. Est quippe impius similis tempestatem alicui, uel nimbo, qui subito cogitur, atque ocyus desinit. Accipe uerba Iob c. 7. quæ pro commentatio huic sententiæ inseruient. *Sicut consumitur nubes, & pertransit, sic qui descendit ad inferos, non ascendet, nec reuertetur ultra in domum suam, neque cognoscat eum amplius locus eius*, id est: Quemadmodum nubes aliqua ex humidis uaporibus concretescens uento diffatur, uel soluta in pluias ad ima decidit: sic impius breuissime interit, & in sepulcrum abit. Simile est illud Iacobi 4. *Quæ est uita uestra? Vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Emphaticam habet lectio Septuaginta, qui superiorem locum Iob sic extulerunt, *Sicut nubes expurgata de celo*: id est, sicut nubes, quam Aquilo impellit, ac soluit. Aquilo, inquam, qui diffatis nubibus ocyssime cælum purgare, & euertere solet. Ergo cum nubes quælibet ex his, quæ cito concretescunt, & dissipantur, cuiuslibet hominis uitam perbreuem adumbret: profecto impij, atque scelerati hominis uitam non nubes tantum, sed nimbus, & tempestas quædam subito exorta, & ocyus soluta, & dissipata

accommodatissime notat. Componitur autem optime impiorum uita cum procella, ac nimbo, propter uolentiam, & horrorem: quia in maximis nimbis fulgura emicant, tonitrua insonant, fulmina decidunt, flumina exundant, & tota late terra non fecundatur, & irrigatur: sed potius diripitur, & spoliatur: quæ omnia uolentos, atque furentes impiorum mores aptissime exprimunt. In quibus illud tantummodo solatiij est, quod æstiuarum tempestatum in morem citius soluto horrore dissipantur, ac transeunt. Nam licet per aliquod tempus, tamquam uapores à terra leuati, in sublime ferantur, & inde tempestates, nimbosque in alios sibi subiectos effundant: tamen non diu permanent, sed perbreui interuallo dissoluti, diffatque dissipantur.

Quod si uelis uocem illam *Suphab*, non tam horrentem nubibus tempestatem, ac nimbum, quam uentum significare, aut ualde uolentem, ut tradit Rabi Dauid, aut ualde frigidum, ut docet Pagninus (quia nimirum fere in sacris literis ea uox ad uentum notandum asciscitur) non reluctabor.

Quapropter si à uento ualde uolento, & furenti ducitur similitudo, sententia sic conformanda est.

*Quasi tempestas transiens non erit impius*: id est, tota uis, potestas, & uita hominis impij uelocius pertranst, ac præterit, quam uelocissimi uentorum flatus tunc cum maiori impetu feruntur. Quid enim aliud sibi uoluit Iob c. 7. cum ait: *Memento Domine, quia uentus est uita mea, & non reuertetur oculus meus, ut uideat bona*: quia scilicet uento similis est, qui postquam uelocissimo lapsu fugit, iterum reuocari non potest. Cui ad simile est etiam illud Psalm. 77. *Recordatus est, quia caro sunt, spiritus uadens, & non rediens*: id est, uenti adinstar obtinuit, qui fuga irremediabili pertransit. Quod si uentum non furentem, sed frigidum notari malis, qui rigore suo uirit, tabefacitque uernantia, & uirrentia gramina: tunc quidem locus erit originali lectioni. *Cum transferret uentus, aut turbo, non erit impius*: hæc enim omnino concinit cum illo uersu Psalm. 102. *Quoniam spiritus pertransiit in illo, & non subsistet*: quæ uerba per comparisonem effe-

renda sunt (ut communis fert interpretum conspiratio) ad hunc modum. Sicut flos marcescit, & tabescit, cum illam uentus gelidus attingit, perfluit, ac decoxit, ita ut uestigium illius nullum reliquum sit in eo loco, in quo antea felici prouentu uicebat: haud aliter is, in quem diuina uindicta frigidi adinstar uenti incurrit, etli felicissime in mundo floreat, & uirescat, subito marcescit, atque interit. Eundem omnino sensum reddunt ista uerba. *Cum transferret turbo, aut uentus frigidus, non erit impius*: Quia uero in superiori uersu Salomon dixerat impij felicitatem - & fortunam metu, & timore immunem non esse, quin potius semper illum magna uereri mala, iuxta illud: *Quod timet impius, ueniet super illum*: licebit quidem illam uenti frigidi similitudinem ad timoris istius uim, & effectus significandos alligere. Accipe uerba Chryostomi homil. 6. in Epistolam 2. ad Corinth. *Quemadmodum grassante frigido uento, membra omnia concretescunt, & uelut mortua sunt: Sic etiam animus in peccatorum frigore, ac tempestate contremiscens nullum munus suum exequitur: ut qui uidelicet conscientia, tanquam gelu concretescit sit. Quod enim corpori frigida tempestas est, hoc animo conscientia: unde etiam rimiditas existit: neque enim quidquam homine mundantis affixio rimidius fingi potest. Nam qui eiusmodi est, cū Cain uiuit quotidie, nimirum tremens, &c.* Hactenus ille, qui merito timorem, ac metum cum algore, & frigore composuit: hæc timoris proprium est, sanguine

vindique ad præcordia ascito, membra exanguia, & frigida omnino relinquere. Hinc est illud Poeta:

*Gelidusque per ima cucurrit*

*Ossa timor.*

298

Hoc verò metus, ac timoris frigus ex gelidissimis peccatorum ventis, & malæ conscientiæ glacie accidere docet Chrysostomus, quod omnes animi potentias adstringit, nulli functioni habiles esse permittit. Ad hæc exploratum est frigidissimis ventis nubes dissipari, ac dissolui solitas. Hinc est illud, *Ventus Aquilo dissipat nubes*. Ergo cum præmiserit Salomon impium timore, ac tremore nunquam vacare: siquidem vox illa *Sophah*, frigidam ventum notet, talem sensum elicere licebit. *Cum transferit ventus frigidus, non erit impius*: id est, sicut frigidus vento flante omnia glaciali frigore astringuntur, & nubes purgato cælo diffantur, atque euanescent: sic etiam peccatis, & sceleribus gelidissimorum instar ventorum grassantibus, impij hominis mens, & conscientia timore congeliat: imo ipse impius tanquam tenuis aliqua nubes eo vëto soluitur, ac deficit. Vtique ad id spectat lectio Septuaginta, quam supra obseruauimus: hi enim verba illa Iob. *Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descendit ad inferos, & c.* ad hunc modum conuerterunt, *Sicut nubes expurgata de cælo*: id est, quemadmodum nubes, quæ Aquilone flante, & cælum perpurgante diluitur, atque distrahitur: sic impius obit, atque interit. Contra vero.

*Iustus autem quasi fundamentum sempiternum.*

Hebr. יסוד *Iesud*, fundamentum sonat, & quidquid solidum est, firmum, & inconcussum significat. Innuunt autem iustum stabilitate, ac firmitate perpetua donari. Nam huius vitæ secundam fortunam futuræ vitæ fortunatior felicitas excipit. Similes inter iustum, atque impium antitheses passim occurrunt in scriptura: quibus hic ocyus subuertendus: ille autem perpetuo duraturus asseritur. Psal. 1. & 20. Et in hoc libro non semel. Hispanica translatio habet, *Eliusto es cimiento del mundo*: quæ iusti constantiam, & stabilem fortitudinem aut similitudine terræ (quam totius mundi fundamentum appellari licet, cuius immobilitatem scriptura cõprobat, cum ait, *Terra autem in æternum stat*: & alibi) vel similitudine centri, quod propriissime orbis fundamentum dici potest, cui tota mundi moles insistit, & incumbit: quæ dum tota in centrum connittitur, stipatis, ac conglobatis omnibus suis partibus consistit. Et sanè iure optimo iustus centri nomen fert: sed hoc longioris est negotij.

*XXVI. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: sic piger his, qui miserunt eum.*

300

August.  
Ambros.  
Hieron.

**S**icut acetum dentibus, & fumus oculis. Hebræus, & Chaldæus non dissident Septuaginta longe aliter: *Sicut vna acerba dentibus noxia, & fumus oculis: sic iniquitas his, qui utuntur ea*. Augustinus infra: *Sicut vna acerba dentibus vexatio est*. Eandem lectionem attigerunt Ambrosius, & Hieronymus. Quid vero in eam lectionem Septuaginta impulerit, coniectura assequi non possum, vtramque ad trutinam vocabo. Caietanus accusat lectionem vulgatam, quatenus legit *acetum* & potius legendum esse dicit *acre*, vel *amarum*. Nam acetum (inquit) dentibus valde amicum est, adeo vt nulla fere dentibus medicina sine aceto auxilietur secundum medicos. Consonant Hispanica Biblia: quæ ita habent, *Como lo agro paralos dientes*. Hebræica vox est, *Chomast*, quam sæpè alibi

**A** acetum transtulit vulgatus. Num. 6. & Psalm. 68. Num. 6. Et quidem Caietanus vulgatam translationem hic quemadmodum alijs immeritò insectatur, adeo vt mihi ipse potius insectandus videatur ob hanc illepidam censuram. Nemo enim vnquam dubitauit acetum, imo acra omnia, & amara dentibus prodesse ad firmitatem, & mundiciem: sicut contra dulcia omnia dentes corrumpunt, & exedunt. Hic vero de stupore sermo est: quem dentes ex peracri aceto, quemadmodum ex omnibus alijs rebus amaris contrahere solent. Ad rem,

*Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger, & c.* Rodolphus planè docet isthæc nequaquam, vt sonant, esse accipienda de pigro seruo, aut nuncio, in sensu literali: sed sub parabola hæc, & similitudine serui cunctantis, ac socordis aliquid aliud notari. Sed quid illud? Lege apud ipsum multa: plura apud Bedam, Hugonem, Dionysium, & Salonium, in mystica expositione parabolarum, quibus compendio studens superledendum duxi: quia magna ex parte mystica sunt.

Lyra, Iansenius, imo, & præfatus Hugo docent literalem sensum ad pigrum, & morosum seruum, vel nuncium spectare: quibus hærent alij noui interpretes, & ego libenter subscribo. Sed dum sententiam istam expendunt, non eodem modo loquantur. Alij enim priorem illam partem sic distribuunt. *Sicut acetum dentibus, & c.* id est, quemadmodum acetum dentibus stuporem affert: sic piger his, qui illum ad aliquid peragendum emiserrunt, dolorem afferre solet, *Et fumus oculis*: id est, quemadmodum fumus ex igne efflatus ante oculos fuga irremeabili euanescit: sic etiam piger, si forte ad aliquod curandum negotium abijt, nunquam redit. Sic vulgo de nuncio, quem ad aliquid actitandum emisimus, & nimium cunctatur: apud nostrates dici solet, *Layda del humo*. Itaque interpretes isti existimant posteriorem illam similitudinem sic cum priori nectendam, vt sententia distribuatur: & sensus sit, Propterea iste, seruus his, qui illum miserunt, dolorem affert, ad eum modum, quo acetum dentibus stuporem immittit: quia sic abijt rem acturus, quemadmodum fumus ex oculis absque spe reditus discedit. Sed tamen licet hæc interpretatio acuminis habeat non nihil, parum solida mihi videtur.

Secunda igitur expositio docet hisce verbis non tam ministrorum pigritiam, & socordiam acui, quæ hominum sollicitissimorum in caducis rebus curandis acres nimium impetus carpi, & accusari: ad hunc modum, *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis*: id est, sicut dentes aceto stupefiunt, & cibis terendis inhabiles redduntur: sicut item oculi fumo obtunduntur & illacrymantur: sic hi, qui aliquid, vel scire ocus, vel citus fieri, vel absolui impense desiderant: interim dum seruus, vel nuncius cunctatur, & tardat, nec cibum libenter sumunt, nec aliquid læti vident. Quæ sanè nimium accurata sollicitudo reprehensione digna est, quia modum superpetat, & metas rationis excedit.

Tertia expositio asserit Salomonem minime aduersus dominos nimium sollicitos, sed potius contra seruos, & ministros socordes hanc sententiam protulisse. In his est Iansenius, qui sic verba, sensum que concinnat. *Sicut acetum dentibus, & c.* Vtique minister piger aceto, & fumo confectur: qui vero illum emiserrunt, dentibus, & oculis. Ergo sensus est, sicut acetum dentibus stuporem adducit, ita vt munus suum exequi, hoc est, cibos molere, ac mandere non possint: & fumus oculos adeo perstringit, vt quod ipsorum est proprium, a pertinet res intendere, & eas contemplari non possint:

301

302

303

Iansen.

fic etiam minister piger eos, qui illum emiserunt, sic suspensos tenere solet, ut interim dum alicuius negotij rationem per illum afferendam expectant, nihil omnino suarum rerum agere, vel curare possint: quæ interpretatio mihi non probatur. Subijcio ergo aliam accommodationem.

304

Quarta expositio docet similiter hæc verba contra socordes ministros concepta fuisse, sed aliter. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: sic piger, &c.* Hi sanè, quorum dentes ab aceto, vel acerbis edulij stupefacti sunt, ad stuporem deponendum solent eosdem collidere, premere, & stridere (sic enim suadet Auicena, & vsus ipse fert) ita ut is, cuius dentes obstupuerunt, similis omnino sit irato homini, qui dentibus ob furorem frendet, ac stridet. Imo cum ira vehementior est, bile ad os accedente aut subeunte, adeo lingua, & palatum arefcit, ut dentes etiam ipsi ab acerbis humore stuporem contrahant. Inde autem iratis dentium collisiones, & stridores accidere solent, & non aliunde. Quæ omnia præterquam experientia ipsa duce nouimus, ex medicis docuit Cornel. Celsus de med. li. 2. Rursus exploratum est ex ira, atque furore, cum vehementiora sunt, oculos obtenebrari, & hebescere, & iratum aliquid ab ira pati, ei ad simile, quod à fumo perpeti consueuerunt. Ipsam præterea iram fumo similem docuit Chrysostomus de sacerdotio lib. 6. *Ira enim (inquit) cum animum forte inuasit, fumi instar interiora omnia à se occupata inuoluit.* Sed luculentius Aristoteles apud Stobæum sermone decimo octauo. *Ut fumus (ait) mordicans oculos non videre permittit, quæ pedibus adiacet: sic iracundia oborions rationem offuscet, & quod bonum habitura mens fuerat à ratione, eo non sinit ipsam iracundia sine labore potiri, ac molestia.* His prædictis sententia illorum verborum sic expedienda est. *Sicut acetum dentibus, &c.* id est, ex aceto dentium stupor, ex stupore stridor, & collisio accidit: ite ex fumo oculi obtenebrascunt, & perstringuntur: sic etiam ob pigrum ministrum tardè, & cunctanter res sibi demandatas præstantem, eos, qui miserunt, aut demandarunt, tam vehemens, & acerba ira nonnquam corripit, ut illorum dentes bile excitata stupefacti strideant, & collidantur, & oculi caligantes hebescant præ furore: conceptam vero iram, atque furorem omnem in socordem illum ministrum tandem effundant. Itaque Salomon pigri ministri cunctationem, & socordiam metui furentis, & in iram ruentis domini acere, & excitare vult. Iam vero (si ita liberit) poteris hoc etiam testimonio uti aduersus hominem pigrum, & Dei mandata, vel inspirationes præ socordia morantem, qui Deo (si licet dicere) bilem mouet, & vehementissimam illius iram in se concitat.

306

Delectione Septuaginta aliud iudicium ferendum est. *Sicut uua acerba dentibus noxia, & fumus oculis: sic iniquitas his, qui ea utuntur:* quibus verbis cum acerbis botto componitur peccatum, cuius acida vis præ cæteris rebus amaris dentibus stuporem adducere solet: & fumo, qui in oculis lacrimas ciet. Priorem huius loci partem, & similitudinem attingit D. Hieronymus in c. 18. Ezechielis ad illa verba: *Patres nostri comederunt uuam acerbam. Et in Hierem. l. 6. ubi sic fatur: Peccata sunt uua acerba, ut comedentium dentes obstupescant, ut non possint eius suauitatem sentire: de quo dicitur. Gustate, & videte, quam suavis est Dominus. Sed eleganter Ambrosius in Psal. 35. Sicut uua (inquit) acerba dentibus, & fumus oculis: Ita iniquitas omnibus utentibus ea. Gravis poena, quæ cibum impedit, aspectum obducit, & quod est amplius, oculis mentis internæ tenebrasam offundit caliginem: ut quod verum est, videre non possit.*

Tom. 1.

A *fit iniustus. Sed vincit (mea quidem sententia) August. in Psal. 48. Manducatur (inquit) iniquitas, non ego dico, audi scripturam. Sicut uua acerba dentibus vexatio est, & fumus oculis: sic iniquitas utentibus ea. Qui manducauerit enim iniquitatem, id est, quæ libenter eam habuerit, non poterit manducare iustitiam. Panis enim iustitia est. Quis est panis? Ego sum panis viuus, qui de cælo descendit, ipse est panis cordis nostri. Quomodo ergo, qui manducat ore uuas acerbas, obrigesunt & obstupescunt dentes eius, & minus idoneus fit ad manducandum panem, & remanet illi laudare, quod videt, & manducare non posse. Sic is, qui iniquitate vsus est, & passus peccatis, incipit non posse manducare panem, laudat verbum Dei, & non facit. Unde non facit? Quia cum ceperit facere, laborat, quo modo sentimus laborare dentes post uuas acerbis cum ceperimus manducare. Sed quid faciunt illi, quibus obstupuerunt dentes? Temperant se aliquantulum ab uuis acerbis, & incumbunt pani: sic, & nos si volumus manducare iustitiam, temperemus nos ab iniquitatibus, & incubamus iustitiæ, & nascetur in corde non solum delectatio laudandi iustitiam, sed etiam facilitas manducandi, hoc est, operandi.* Hactenus August. cuius verba ad vsum frequentem Eucharistiæ venuste transferri possunt. Aristot. Problem. sect. 1. tradit Portulacam herbam vulgo *Verdolaga*: & sal stuporem dentium præsentissime extrudere. Sed illud obseruatione dignum, quod animaduertit idem Philosophus infra sect. 7. dentes non solum acerba comedentes: sed etiam cum aliquam rem acidam edentes aspiciamus, ex consensu naturæ obstupescere. Quod quidem innuit non eos solum, qui scelus admittunt, sed etiam qui consulunt, qui præcipiunt, qui iuuant, qui videntes etiam cum tenentur, non prohibent, æquali noxa obstringi, & simili etiam pænæ subijci.

Pergo ad posteriorem similitudinem, quæ à fumo ducitur, cui peccatum etiam confertur, *Et sicut fumus oculis: nimirum quia sicut fumus lacrymas ciet, sic etiam peccatum lacrymas tandem adducit.* D. Cyrillus in homilia 5. Ephesi dicta quærit, cur Deus legem laturus in nebula apparuit, & montem fumigare fecit. *Per tenebras (inquit) eleganter significabatur cognitionem Dei comprehendere non posse: per fumum vero enigmatice docebatur, quod omnino legem Dei contemnere volentes lacrymæ sequuntur, & essent: est enim necesse ut corporis oculus in fumo illacrymetur.* Ambrosius supra ideo peccatum fumo adumilari dixit, quia aspectum obducit, & oculis internæ mentis tenebrasam offundit caliginem. Et in l. 2. de Cain, & Abel. c. 1. sic habet: *Sicut fumus oculis, &c. Recte iniquitas fumo comparatur, quæ velut quadam seculari caligine aciem mentis obducit.* D. Basilius etiam non semel peccatum fumo contulit: sed in homilia de inuidia, & liuore sic habet: *Sicut fumus apes fugat, sic custodem vitæ nostræ Angelum lacrymabile peccatum expellit.* Accedit D. Machar. hom. 16. *Veluti domus (inquit) fumo repleta effundit illum in aëra, ita peccatum abundans in anima redundat exterius.* Mitto alia.

XXVII. Timor Domini apponet dies: & anni impiorum breuiabuntur.

Timor Domini apponet dies. Hebræa non dissonant. Septuaginta. Timor Domini addit dies. Anni impiorum minuentur.

Sententia perspicua est. Quomodo autem timor Dei vitam producat, salutem, & valetudinem afferat, iam inde supra cap. 3. & alibi docui-

Ll ij

307

August.

Cornel.  
Cel.

Chrysost.

Arist.  
Stobæus.

305

Aristot.

308

Cyrill.

Ambros.

Basilius.

Machar.

309

mus: frustra hic plura. Quod autem subdit, *Et anni impiorum breuiabuntur*: perinde est, ac si dicat morte præuenientur: iuxta illud Psal. 13. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*: dies scilicet sibi decretos, si iuste, ac rectè uiuerent, non attingent, sed præmatura morte rapiuntur ob scelera sua. Vel aliter. *Anni impiorum breuiari*: iusti uero dies apponi, dicuntur, quia licet hi paucis, illi uero permultis annis uixerint: tamen iusti breui tempore diutius uiuunt, quàm impij longissimo æuo. Ita docuit Salomon Sap. 6. *Consummatus in breui expleuit tempora multa*. Et post pauca: *Condemnat autem iustus mortuus uiuos impios, & inuentus celerius consummat a longam vitam iniusti*. De vita uero impiorum Sapient. 3. sic fatur Salomon. *Et si quidem longa uita erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit notissima senectus illorum*. Vnde in eodem libro impij, & scelerati illi sicarij uitæ suæ breuitatem magnopere dolent, & accusant, cap. 5. *Mox nati continuo desuimus esse*. Rationem autem huius rei obtulit Augustinus de doctrina Christiana: quia iusti duplici uita præditi sunt: uita scilicet naturali, & supernaturali, atque adeo duplicem quodammodo in vna uita uitam agunt: ex quo fit ut breuiori temporis spatio amplius uiuant. At iniquis uenusta sane ratio, quæ quidem euincit iustos breuiori tempore magis uiuere, non tamen diutius uiuere. Accedat igitur Augustino Seneca, cuius est celebre illud proloquium: *Satis diu uixit, qui bene uixit*: qui diuturnitatem uitæ bonitate metitur. Et quidem merito, quia tam diu solum quis uixisse dicendus est, quando honeste uixit: tempus enim ac uita, quæ sceleribus impenditur, non uiuitur, sed perditur. Hæc fuit mens illius Philosophi.

XXVIII. *Expectatio iustorum lætitia: spes autem impiorum peribit.*

**E**Xpectatio iustorum lætitia. Hebræa non dissentit. Septuag. *Immoratur iustis lætitia: spes autem impiorum peribit*: Aquila, Symmachus, & Theodotion à uulgata non abeunt.

Hugo Cardinalis quatuor huius loci expositiones excogitat. Prima est. *Expectatio iustorum lætitia*: id est, id, quod sperant, lætitia est: iusti nimirum mercedis loco cumulatissimam lætitiā in cælo expectant. Secunda est: *Expectatio iustorum lætitia*, id est, ipsamet lætitia illos expectat in cælo, quod quidem maius, ac nobilius est. Innuitur enim non modo ab ipsis beatitudinem suam expectari: sed ab ipsa etiam beatitudine, & bonorum omnium cumulo ipsos auidè sperari. Seneca alicubi docuit plurimum interesse inter illos, qui magistratum aliquem expectant, & eos quos magistratus ipse, dignitasque præstatur: illi enim sperant magistratum, & qui magistratu honestandi sunt: illos uero magistratus ipse expectat, qui ipsimet magistratui decorem, & gloriam allaturi sunt. Ergo si ita uerè affirmare licet iustum hominem à lætitia, & beatitudine expectari, erit sensus ipsamet beatitudinem à iusto possessam decorari quodammodo, & honestari. Quod quidem uerissimum est: nam sicut quædam ( uerbi causa ) honoris insignia, uel stemmata non modo splendida sunt, quia ingentes prouentus adiunctos habent: sed etiam, quia nobilibus tantum impenduntur. *Como son los tusones, que sedan à solos los grandes*. Sic tiam beatitudo non modo splendorem ha-

bet, quia ipsa per se magna, & bonis omnibus læcuples est: sed etiam ex eo mirum in modum ipsa amplificatur, & decoratur, quod non nisi iustis tantum confertur. Quapropter merito dicimus non solum beatitudinem à iusto homine, sed etiam ipsummet iustum à beatitudine auidè expectari: à quo nimirum splendorem, atque decorem sibi accersit.

Tertia uero interpretatio sic habet: *Expectatio iustorum lætitia*: id est, spem iustorum lætitia tandem excipit, cum id, quod diu expectarunt, voti compotes accipiunt. Hæc mihi præ cæteris probatur, quia accommodatius respondet posteriori parti, quæ habet. *Spes autem impiorum peribit*: id est, frustra fiet. Itaque utraque pars copulata eum sensum reddit. Iusti, quæ diu sperarunt, adepti gaudent: impij autem ab spe deiectione marerent, & anzurent: uel quia spes suas in bonis caducis posuerunt ( quam spem inanem, & fluxam, & uolaticam appellauit Augustinus ) uel quia si uere spem suam rebus æternis adiecerunt, in sceleribus suis perseuerantes uana prorsus, atque inani spe eriguntur. Nam ut tradit præfatus Augustinus, illa, quæ in bona conscientia non nititur expectatio, non est spes: sed inanis, & uacua præsumptio.

Denique quartam prioris hemistichij interpretationem tradere licet ad hunc modum. *Expectatio iustorum lætitia*: hoc scilicet mirum est in spe iusti, quia suam beatitudinem spectat: quod cum spes dilata animum angere, & cruciari soleat: tamen hæc expectatio lætitia est, id est, non cruciat, sed oblectat, delinitque animum. Vnde Paulus ad Rom. 12. *spe ( inquit ) gaudentes*. Tanta autem est huius spei lætitia, & solatium, ut ad magnas tribulationes, & ingentes labores iucunde ferendos robur præbeat. Subdit enim Paulus: *in tribulationibus patientes*: Sed audiendus Pseudo Augustinus in sermone 10. ad fratres in Eremo. *O spes tu omnia portare facis dulciter, & suauiter: per te Apostoli admortem gaudentes perrexerunt*. Sed cur ( inquit ) cum spes aliæ animum angere, & afflictere soleant, hæc contra lætitia eundem erigit, & alacritate perfundit? Rationem obtulit Diuus Ioannes Chrysostomus in sermone de fide, spe, & charitate, qui subiicitur commentarijs Epistol. 1. ad Corinth. *Certitudo ( inquit ) in causa est: quia spes, quod speratiam quodammodo cernit, uidemus nunc ( inquit ) per speculum in enigmate, nunc autem facie ad faciem, &c.* Aliam enim rerum expectatio ideo affligit, & cruciat, quia anceps est, atque dubia: hæc uero iusti spes ideo delectat, quia certa, & constans est: adeo ut hæc in re locum habeat uulgare illud apud iuris peritos: *Spes certa, & indubitata ad eundem hereditatis æquiualeat possessioni, aut retentioni*: de quo illi in lege penultima ff. quib. de libertat. prouoc. Nam certitudo huius spei, qua iusti eriguntur, eorum quodammodo beatitudinem anteuertit, & perinde beatos reddit indubitata gloriæ expectatio, ac si iam comprehendissent. Si uero hæc placuerit interpretatio prioris hemistichij: posteriori ne tendendum est, ad hunc modum: *Expectatio iustorum lætitia*: id est, non angit, sed lætitiā, & solatium adducit ob certitudinem, *Spes autem impiorum peribit*: id est, non modo incerta est, & anceps: sed omnino frustranda, atque adeo non oblectat, sed angit, & cruciat.

XXIX. Fortitudo simplicis via Domini: & paucoribus, qui operantur malum.

315

**F**ortitudo simplicis via Domini. Hebr. Fortitudo perfectio, vel integro, vel immaculato Domini: hæc enim omnia ad significat vox דָּבָר Lathom: Sic legunt Symmachus, & Theodotion. Aquila vero cum nostra concinit. Septuaginta: *Munitio sancti timor Domini.*

*Et paucoribus, qui operantur malum.* Hebraicè: *Et contritio operantibus iniquitatem.* Septuaginta: *Contritio autem operantibus mala.* Symmachus: *paucoribus, sicut nostra.*

Ex interpretibus nomine *via Domini* alij pietatem, & honestatem in vniuersum, alij legem Dei intellexerunt. Septuaginta vero timorem Dei, alij demum bonam conscientiam. Huius autem loci duplex oratione expositio occurrat. Prior est Ianfenij ad hunc modum, *via Domini*, siue hæc sit lex illius, siue pietas, & honestas, siue timor Dei, siue conscientia criminis expers, roborat, fortemque reddit, vitam integram, scelerisque purum hominẽ, & ad quidlibet audendum promptum efficit. Contra vero eadem *via Domini* ipsamet lex, pietas, timor, & conscientia paucos reddit impios, adeo ut metu perculsi hereant, & nihil aggredi audent. Itaque hæc prior expositio iterum secundo loco repetit, *viam Domini*: & hæc vel fortitudini esse, vel paucori dicit.

316

Posterior interpretatio non resumit iterum *viam Domini*: sed absolute profert. *Fortitudo simplicis via Domini*: id est, honestas, lex Dei, &c. confirmant, roborantque pium, & innoxium animum: contra vero impij semper in pauore, & metu sunt. Potest autem hæc sententia cum superiori consui ad hunc modum. Præmiserat quidem Salomon iustum spe quadam iucundissima frui: impium vero desperationem, aut perituram, vanam, & inanẽ spem animo alere. Nunc vero, ut ostendat quid iustum erigit, roboratque ad sperandum, quid item impiũ ab spe deijcit, attexit. *Fortitudo iusti via Domini*, id est, iusto quidem probitas, & iustitia robur addit, & spe donat. *Et paucoribus, qui operantur malum.* Impios scilicet sua ipsorum impietas, & vita scelerata timore perculos ab spe deijcit.

Sed ostendamus breuius qua ratione *via Domini*, iusti animum confirmet, ac roborat. Primo igitur si *via Domini* pietatem, & iustitiam significet, profectò nihil est, quod magis animum stabiliat, robustum, audacem, & fortem reddat, quam iustitia: infra cap. 28. *Iustus quasi leo confidens absque terrore erit*: vbi pluribus de hac iusti confidentia, & constanti fortitudine agemus. Secundo si bonam conscientiam accipiamus nomine *via Domini*: sane quemadmodum nihil est, quod maiori animum timore percellat, quam conscia sceleris mens, iuxta illud Sapientia 13. *Frequenter enim præoccupans pessima redarguens conscientia: cum enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis condemnata: semper enim præsumit scæua perturbata conscientia* (quem locum paulo ante expendimus) sic etiam nihil est, quod magis animum stabiliat, & impavidum ad omnes casus comparet, quam conscientia insons. Haud reticenda sunt hæc Tullij verba in oratione pro Milone. *Magna* (inquit) *est vis conscientia in vtramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiserint, & poenam semper ante oculos versari possent, qui peccarint.* Imperfectus vero homilia 52. in Matthæum sic habet. *Qui bene sibi conscius est, fiducialiter, & magnanimiter agit: quemadmodum si*

Tom. I.

**A** quis infuso oleo addat lumen lucernæ: sic & ille consideratione operum suorum, semetipsum confortat, & fidei suæ addit audaciam. Qui autem sibi male conscius est, semper pusillanimis, ac timidus est. Et quæ admodum subducto oleo minuitur lumen lucernæ: sic & ille consideratione operum suorum malorum semetipsum confundit, & infidelitati suæ diffidentiam addit. Vide etiam quæ de frigore, & glacie conscientia supra ex Chrysostomo adscriptimus ad illa verba: *Sicut tempestas transiens non erit impius.* Denique si *via Domini*, sit timor Domini, ut placuit Septuaginta, locus dandus est eorum lectioni, quæ sic habet.

**B** *Munitio sancti timor Domini*: id est, nihil æque munit, & vndique obarmat viros pios, & sanctos, sicut timor Domini. Chrysostomus in sermone de Iob, & Abraham. *Tuta* (inquit) *armatura est timor Dei, inexpugnabile scutum.* Quasi dicat, timor utique Dei non consternat animum, sed obfirmat, & roborat, & armis omnibus munit. Huc spectat illud: *In timore Domini fiducia fortitudinis*, de quo infra. Sed cur inquires cum timores alij animi robur & nervos elidere soleant, timor Dei robur & fortitudinem parit? Rationem obtulit Augustinus in Psalm. 22. quia is, qui timet Deum non homines, non humanos casus, nec aliquid aliud veretur, iuxta illud Christi Domini testimonium: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non attingunt: Deum autem timeate, qui postquam occidit corpus, animum gehennæ & æternis ignibus addicere potest.*

318

319

XXX. Iustus in æternum non commouebitur: impij autem non habitabunt super terram.

**D** *Iustus in æternum non commouebitur.* Hebraicè: *Iustus in seculum non nutabit.* Sic habent Septuaginta, Aquila: *non offendet, non operari vel non succumbet.* Symmachus, & Theodotion: *non commouebitur.* Sicut nostra, *Et impij non habitabunt super terram.* Septuaginta: *Non habitabunt terram.* *Iustus in æternum non commouebitur.* Sane sententia isthæc sepe aliàs occurrit in sacris literis Psal. 14. *Qui facit hæc non commouebitur in æternum.* Et Psal. 111. *Disponet sermones suos in iudicio, quoniam in æternum non commouebitur,* & alibi. Quidam ergo ad constantiam in aduersis referunt: quibus fauet lectio illa Aquilæ. *Iustus in æternum non succumbet*: id est, nullis laboribus oppressus corruet, aut sub onere iacebit. Secundò, alij aliter exponunt ad hunc modum, *Iustus in æternum non commouebitur*: id est, quantumuis multistentationibus petitus nõ prolabetur in culpam grauiorem. Cui expositioni hæret illa alia lectio: *non offendet.* Auxiliatur item Hispanica vetus translatio, *El iusto non res balará parrá si empre.* Cæterum præfatæ expositiones idem minus mihi arrident, quia cum altera huius sententiæ parte nullo modo innodantur.

320

Psal. 14.  
Psal. 111.

**E** Tertia igitur interpretatio priora verba de futura vita edisserit. *Iustus* nimirum *non commouebitur in æternum*: ad vitam scilicet transibit constantem, immutabilem, & æternam, id est, vitam istam caducam & mobilem, in qua fortasse laborat, & premitur, cum æterna, & immobili commutabit. *Impij autem non habitabunt super terram.* Hi scilicet, qui in hoc mundo beari, gaudere, & ouare videntur, non diu permanebunt in hoc mundo: sed ab ista temporali felicitate ad æternam miseriam citius migrabunt. Vel ut venuste lusit Hugo Cardinalis. *Non habitabunt super terram, sed sub terras, ad ortum scilicet, & tartara ibunt.* Non displicet hæc

321

L l iij

Pron. c. 28

317

Sapient. 3.

interpretatio: tamen alia perplacet, quam iam A  
subiugio.

320

*Iustus in aeternum non commouebitur, vel non nuta-*  
*bit: vt habent Septuaginta. Sanè si alia scripturæ lo-*  
*ca, in quibus hic modus loquendi occurrit, atten-*  
*tius obeas, facile agnosces his verbis constantem*  
*quandam, & inconcussam huius vitæ felicitatem*  
*notari. Est enim hæc sententia illi similis, quæ ha-*  
*betur Psalm. 36. Iusti autem hereditabunt terram,*  
*& inhabitabunt in seculum seculi super eam: id est,*  
*securi, & felices degent in terra, & bonis illius fru-*  
*tur in seculum seculi, id est, longo tempore, ad ca-*  
*nos vsque. Nota est vis illius vocis, גְּוֹלָם Gholam:*  
*quæ non semper eternam, & perpetuam, imo sa-*  
*pientius longam quandam, sed finitam durationem*  
*adsignificat. Et quidem iuxta hanc expositionem ap-*  
*tissimè posterior pars necitur priori. Impij autem*  
*non habitabunt super terram: id est, non diu mora-*  
*buntur in illa, non erunt habitatores, & incolæ, sed*  
*hospites: breui enim rapiuntur, & bonis huius vitæ*  
*perfrui non licebit. Caietanus quidem extremæ*  
*huic expositioni adhæsit: sed tamen in eo mihi dis-*  
*plicet, quod magnas in angustias illam coniecit.*  
*Afferit enim non ad alios quam ad populum He-*  
*bræum spectare, cui Salomon pollicetur futurum,*  
*vt si iusti, & æqui tenax sit, à terra promissi nis*  
*numquam exturbetur: eidem vero minuitur exter-*  
*minium, si à iustitia, & equitate desciscat. Ceterum*  
*frustra sententia terræ promissionis adstringitur,*  
*cum possit in vniuersum de qualibet temporali, &*  
*terrena felicitate accipi. Illud vero notandum*  
*(quod aliàs non semel monui) eiusmodi loca, quæ*  
*ad veteris testamenti homines relata, terrenæ &*  
*temporariæ felicitatis promissiones continent, ad*  
*noii testamenti fideles translata bonorum eterno-*  
*rum pollicitationes cohibere.*

XXXI. *Os iusti parturiet sapientiam, & lingua*  
*impiorum peribit.*

323

**O***s iusti parturiet sapientiam.* Hebraicè: *Os*  
*iusti propagabit, aut progerminabit sapientiam*  
*יָוֹב Ianub, à radice נֹב Nub: id est, fructificabit, aut*  
*germinabit, metaphoricè ad sermonem transfer-*  
*tur. Qua metaphora vsus est D. Paulus, Per ipsum*  
*ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fru-*  
*ctum labiorum consentientium nomini eius, & Isaie 57.*  
*Creauit fructum labiorum pacem. Item sumitur ali-*  
*quando transitivè, id est, propagauit, vel propagi-*  
*num instar emisit. Ergo Pagninus in hoc loco ha-*  
*bet: Os iusti propagabit sapientiam. Caietanus so-*  
*luit metaphoram, & ait, loquetur sapientiam: Alij*  
*fructificabit. Septuag. Os iusti distillat sapientiam,*  
*Noster autem habet parturiet: quia fructificandi*  
*verbum sæpè partui accommodatur. De quibus*  
*translationibus postea non nihil dicam.*

Paul. ad  
Heb. 13.  
num. 15.  
Isaie 57.  
num. 19.

324

*Et lingua impiorum peribit.* Hebraicè: *Et lingua*  
*peruersitatum, aut versutiarum excindetur: vel era-*  
*dicabitur. Est enim חִבְּרֶת Thibbereth, à radice כָּרַח*  
*Barath, id est, succidit. Cuius verbi vsus est in pa-*  
*ctis, & fœderibus, quæ casu animali sanciri sole-*  
*bant. Septuaginta, Lingua autem impiorum peribit.*  
*Sicut nostra. Chaldeus integram sententiam sic F*  
*extulit. Os iusti notam faciet sapientiam, & lingua*  
*impiorum deficiet.*

Sententia huius loci est valde perspicua. Salo-  
mon enim adnotat discrimen, quod inter linguam  
iusti, & iniusti intercedit: lingua enim iusti profert  
scientiam, & doctrinam sanam ad erudiendos, at-  
que informandos rudiores: impij vero lingua do-  
los, & versutias promittit ad inducendos in errorem

alios: quapropter illam seruari, & perennare ope-  
ræpretium est: hanc perire, & excindi. Sed expen-  
dendæ, & ad trutinam vocandæ sunt præmissæ le-  
ctiones, ex quibus aliquæ leporem habent. Vulgata  
quidem habet, *Os iusti parturiet sapientiam.* Quam  
sic illustrauit Hugo Cardinalis: iusti scilicet do-  
ctrinam, qua alios ad pietatem informat, cum gem-  
mitu, & dolore, quasi enititur: libentius enim  
(inquit) sermo, & admonitio doctoris auditur,  
quando cum gemitu, & dolore compassionis velu-  
ti parturitur. Vel aliter. Iustus sapientiam ore suo  
parturire dicitur, quia non temere effundit sermo-  
nem, & doctrinam: sed quasi meditatam, atque  
elaboratam, & veluti post menses enixam edit. Aut  
denique ideo sapientiam, & doctrinam eniti ore  
dicitur, quia doctrina qualibet, & sententia,  
quandiu in mente est, conceptus dicitur. Quia si-  
milis est fœtui in aluo existenti: atque adeo  
tunc, cum voce promitur, & in lucem editur,  
accommodatissimè partus nomine censetur. Huc  
spectat illud Ecclesiastici 19. *A facie verbi parturit*

325

*fatuus, quasi genius parvus infantis, id est, fatuus*  
*num. 11.*

concepta sententia sic parturit, sic laborat, & cru-  
ciatur, donec illud effundat: quemadmodum fe-  
mina partui vicina vtgetur, & disrumpitur, quoad  
infantem aluo inclulum prodat. At inquires, cum  
uterque, stultus videlicet, ac sapiens, verba, ser-  
monesque parturiant, quid inter vnum, & alterum  
discriminis intercedit: *Iustus enim parturit sapien-*  
*tiam.* Et *stultus à facie verbi parturit?* Subiugio  
discrimen ex Clem. Alexandr. lib. 6. Stromatum,  
qui cum sententias animo conceptas cum fœtibus  
in vtero existentibus composuisset, addit: *Quid-*  
*nam ergo ante tempus informe, & moriturum fœtus*  
*pariunt, alij expletis mensibus enituntur. Est enim*  
*tempus tacendi, & tempus loquendi.* En discrimen:  
stulti quidem ante tempus, ne dum formatam, &  
elaboratam sententiam non partu, sed abortu po-  
tius edunt: sapientes autem, & iusti animi sui sensa  
opportunè, & tempestate expletis (vt ita dicam)

326

mensibus tanquam perfectum, & bene compa-  
ctum fœtum felici partu proferunt. Et sane inter  
alia, quæ partum ante tempus cient, principatum  
obtinere cupediarum vehementes appetentiæ: has  
vero illis maximè feminis accidere solitas docet  
Auicenna, quæ stultæ, & mentis expertes sunt. Ita  
enim euenire solet, vt mens, & ratio appetitum  
coerceat. Quapropter si mens ablit, & ratio non  
vigeat, appetitus vegetior, & fortior redditur. Ita-  
que stultitia, & recordia naturales abortus femi-  
nis afferre solent. Salomon ergo ad id spectans mo-  
ralis, seu spiritualis abortus eandem causam obtu-  
lit, cū ait: *A facie verbi parturit stultus, & fatuus,*  
id est, per abortum conceptam animo sententiam  
edit, stultus nimirum ob stultitiam suam. Et quidè  
non aliunde, nisi ex concupiscentijs, & appetitio-  
nibus, vulgo *Antojos*: nam stultus vehementius res  
concupiscit, quam femina prægnans, atque fatua.  
Hinc verborum, & sermonum abortus: & ante tẽ-  
pus importuna, & intempestiuè orationes: *Sapiens*  
*v. r. parturit sapientiam,* id est tempestiuè parit, ac  
promittit. Nobis enim sapiens, cum ita opus est, coi-  
ceptam sententiam, non mensibus modo, sed etiam  
nouem annis mente coercitam asseruare: oppor-  
tunitatem pariendi expectans.

Secunda lectio est originalis, & primitiua ad  
hunc modum. *Os iusti fructificat sapientiam:* bona  
quippe arbor bonos, salubres, atque maturos fructus  
profert. Clemens Alexandrinus, lib. 2. Pædag. c. 5. *Cle. Alex.*  
*Cum verba (inquit) omnia emanent à cogitatione,*  
*& moribus fieri non potest, vt verba aliqua emittan-*  
*tur ridicula, quæ non procedant à moribus ridiculis.*

327



*Illud enim; Non est arbor bona, quae facit fructus malos; neque arbor mala, quae facit fructus bonos, hic quoque adaptandum. Sermo enim est fructus cogitationum.* Cum igitur verba fructus sint cogitationis, aut mentis, sane omnes boni fructus conditiones habere debent. Matura quidem esse debent, non indecocta: maturitas autem verborum est prudentia sermonis: dulcia non acris, & acerba, id est, ab ira, & indignatione aliena: mitia, & non austeria, id est, vrbana, & comi quadam facilitate suaui: graua non valde seuera, & rigida: sana non corrupta, aut verme perforata, & pertusa, scilicet non obscena, & turpia. Ergo cum Salomon ait: *Iustus* B *fructificat sapientiam*, perinde est, ac si dicat, verba quaedam profert matura, dulcia, mitia, sana & incorrupta.

328

Tertia lectio est, *Propagabit sapientiam*, quae venuste exprimit etiam doctrinae vim. Sicut enim ex vite vna per propagationem ductis palmitibus plures fiunt: sic etiam iustus doctrinam suam velut traducem in adiutoris animum transfert: haec autem pinguem tellurem nata regerminat, & feliciter prouenit, multique sic ex vno sapiente sapientes fiunt.

Quartam lectionem exhibent Septuaginta: *Os iusti distillat sapientiam*. Sed cur inquit stillatim promere, & non potius vbertim, & copiose effundere dicitur. Primo quidem innuitur parcitas verborum, quae maxime iustos & sapientes addeccet. Secundo cum sermo sit de doctrina, qua sapiens alios ad pietatem informat, utique accommodatum est stillandi vocabulum. Nam (vt ait Plutarchus in libro de officio auditoris) rudis adhuc doctrinae auscultator mihi disfidet a vase, cuius angustius, & astrictius est orificium, cui si totam simul infundas aquam, totam effundit: si vero guttatim instilles, totam recipit, & cohibet. Ergo Salomon vt optimi doctoris munus exprimeret, ait: *Os iusti stillabit sapientiam*, id est, stillatim, & paulatim effundet, discentium captui, & D menti sese admetiens. Tertio demum stillandi, verbum non arguit exiguam, & modicam esse iusti sapientiam. Audiendus hac super re Diuus Ioannes Chrysostomus homilia 43. in Matthaeum ad illa verba. *Ex abundantia cordis os loquitur*: vbi eleganter expendit vocem illam, *Ex abundantia*, prius quidem de his, qui praua, & turpia loquuntur: deinde verbo de illis, qui iusta, & honesta profantur. *Cum hominum* (inquit) *audias praua loquentem, noli tantum solummodo putare in animo illius prauitatem esse sitam, impudenter nimirum suis verbis manifestauit: sed multo maiorem fontem esse conijce.* Quod enim extra profertur ex illo profluit, eiusque superfluum est, quod intus est. Quasi dicat, *es el remanente de la fuente*. Et post pauca ita subdit: *Pari etiam ratione proba verba multo probatiorē virtutem intus esse significant.* Repetenda sunt illa priora verba: *multo maiorem fontem esse conijce: quod enim ex-*

Plutarchus

Chrysost.

329

*tra profertur, ex illo profluit, eiusque superfluum est, quod intus est.* Idem prorsus de isto concipere oportet, scilicet verba bona, atque honesta cum fundit, ex maiori, & vbertiore fonte intus latente tanquam eiusdem fontis superfluum emittere. Ergo quamuis Salomon dicat iusti ab ore sapientiae stillas manare, & effluere, non ideo exiguam illius sapientiam esse innuit: nam quod foras erumpit, internae scaturiginis superfluum est, *Et el remanente no mas. Ex abundantia quippe cordis os loquitur.* Eius enim doctrinae, cuius vel vnica tantum stilla foras manat, vix maxima, & abundantia deintus latet. Significat etiam eum, qui ad docendum venit, ex sua ipsius sapientia, & doctrina prius implendum, ac non nisi quod illius superfluum est, effundere debere. Subdit:

*Et lingua impiorum peribit*, Hebraice, *excindetur, vel eradicabitur*: nimirum excindi, extirparique merebitur, velut arbor sterilis, infrugifera, & vt ita dicam bismortua. Respondet enim hoc illi verbo *parturiet*, vel vt origines habent *fructificat*. Item pro lingua impiorum in originibus est *lingua versutarum*, aut peruersitarum: itaque videntur haec dicta aduersus mendacem, & fraudulentum, cuius sanè linguam praescindendam esse quis neget.

*Et lingua impiorum peribit*, Hebraice, *excindetur, vel eradicabitur*: nimirum excindi, extirparique merebitur, velut arbor sterilis, infrugifera, & vt ita dicam bismortua. Respondet enim hoc illi verbo *parturiet*, vel vt origines habent *fructificat*. Item pro lingua impiorum in originibus est *lingua versutarum*, aut peruersitarum: itaque videntur haec dicta aduersus mendacem, & fraudulentum, cuius sanè linguam praescindendam esse quis neget.

XXXII. *Labia iusti considerant placita: & os impiorum peruersa.*

*Labia iusti considerant placita.* Hebraice: *Labia iusti sciunt voluntatem.* Caietanus. *Facient scire voluntatem.* Septuaginta: *Labia virorum iustorum distillant gratias.* Aquila, & Theodotion: *cognoscunt gratias.* Scoliast. *sciunt.* Sensus quidem haud dissimilis est. Nam quod ait, *considerant, sciunt*, aut *cognoscunt placita*, perinde est ac si dicat, *considerata, cognita, scita, & prauiusa ea demum proferrunt, quae cunctis arrident, atque probantur.* Id sibi vult etiam lectio Septuaginta: *distillant gratias*: verba scilicet amena & iucunda, quae gratissima omnibus eueniunt, per quem omnium gratiam ineunt, quibus omnes applaudunt.

330

*Et os impiorum peruersa.* Hebraice: *peruersitates.* Septuaginta: *Os autem impiorum peruertit* (supple verba, vel auditorum animos.) Vt autem pars isthaec superiori opponatur, sic est edisserenda. Impiorum verba nulli non ingrata sunt, & communi omnium iudicio refutantur, & damnantur.

Caietanus aliam exhibet expositionem iuxta eam lectionem, quam sequitur. *Labia iusti faciunt scire voluntatem*, id est, iustus verax est, & ea, quae ipse vult, aliis verbo significat: voluntatem scilicet suam fraude, ac dolo nunquam celat. Contra vero: *Os impiorum loquitur reuolutiones*, sic ipse habet, id est, consilia sua fraudulentis verbis inuoluunt.



## CAPVT VNDECIMVM.

**S**TATERA dolosa abominatio est apud Dominum: & pondus æquum voluntas eius. 2. Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: ubi autem est humilitas, ibi & sapientia. 3. Simplicitas iustorum diriget eos: & supplantatio peruersorum vastabit illos. 4. Non proderunt diuitie in die ultionis: iustitia autem liberabit à morte. 5. Iustitia simplicis diriget viam eius, & in impietate sua corruet impius. 6. Iustitia rectorum liberabit eos: & in insidiis suis capientur iniqui. 7. Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes: & expectatio sollicitorum peribit. 8. Iustus de angustia liberatus est: & rideatur impius pro eo. 9. Simulator ore decipit amicum suum: iusti autem liberabuntur scientia. 10. In bonis iustorum exultabit ciuitas: & in perditione impiorum erit laudatio. 11. Benedictione iustorum exaltabitur ciuitas: & ore impiorum subuertetur. 12. Qui despicit amicum suum, indigens corde est: vir autem prudens tacebit. 13. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fœlis est animi, celat amici commissum. 14. Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem, ubi multa consilia. 15. Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo: qui autem cauet laqueos, securus erit. 16. Mulier gratiosa inueniet gloriam: robusti habebunt diuitias. 17. Benefacit animæ suæ vir misericors: qui autem crudelis est, etiam propinquos abiicit. 18. Impius facit opus instabile: seminanti autem iustitiam merces fidelis. 19. Clementia preparat vitam: & sectatio malorum mortem. 20. Abominabile Domino cor prauum: & voluntas iniis, qui simpliciter ambulant. 21. Manus in manu non erit innocens malus: semen autem iustorum saluabitur. 22. Circulus aureus in naribus suis: mulier pulchra, & fatua. 23. Desiderium iustorum omne bonum est: præstolatio impiorum furor. 24. Alij diuidunt propria, & ditiores sunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. 25. Anima, quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. 26. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. 27. Bene consurgit diluculo qui querit bona: qui autem inuestigator malorum est, opprimetur ab eis. 28. Qui confidit in diuitiis suis corruet: iusti autem quasi virens folium germinabunt. 29. Qui conturbat domum suam, possidebit ventos: & qui stultus est, seruiet sapienti. 30. Fructus iusti lignum vite: & qui suscipit animas, sapiens est. 31. Si iustus in terra recipit: quanto magis impius & peccator?

I. *Statera dolosa abominatio est apud Dominum: pondus equum voluntas eius.*

**S** *tatera dolosa abominatio est apud Dominum. Hebraicè: Bilances doli abominatio Domini. Sic Aquila, & Symmachus. Septuag. Statera dolosa abominatio Domini.*

*Pondus equum voluntas eius. Hebraicè: Et lapis perfectus voluntas eius. Septuaginta: Et pondus iustum acceptum est ei. Symmachus: Et pondus plenum. Aquila: Et pondus perfectum: omnia in idem recidunt.*

Circa sententiam huius loci illud solum in anticipi est, an verba ipsa capienda sint, vt sonant, de iustitia in ponderibus, ac mensuris seruanda: an potius similitudine stateræ, ac ponderum aliquid aliud adumbretur. Ergo recentiores Interpretes sonum verborum sectantur, & verba isthæc quandam sententiam claudere putant illi consonam, quam alia verba reddunt Deuteron. 25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius, & minus: nec erit in domo tua modius maior, & minor, pondus habebis iustum, & verum, & modius equalis, & verus erit tibi, ut longo viuas tēpore super terrā.*

Itaque hunc Deuteronomij locum luculentissimi ad instar commentarij esse existimant prædicti interpretes, atque adeo sensum esse, *Statera dolosa abominatio est apud Dominum*, id est, in modum execratur Deus eos qui in mercibus permutandis, aut vendendis pondera, aut mensuras impares, & inæquales adhibent. *Abominatio est apud Dominum*, detestationem ingentem significat: sicut è contra, cum addit, *Et pondus equum voluntas eius*: æquales, germanasque mensuras, & pondera summopere Deo placere declarat. Audi Augustinum ferm. 219. de tempore. *Ille verò non solum Christianus est, sed ipse Christus in illo habitat, qui stateras dolosas, & mensuras duplices, velut gladium diaboli percussit.* Obserua grauitatem verborum, quibus vtitur Augustinus, atque inde ei magnitudinem intelliges. Rursus quantum crimen admittat ille qui mensuras, & pondera adulterat, satis declarauit Concilium Monguntinense: vbi ita præscribitur. *Vt quicumque iusta pondera & mensuras lucri causa mutare ausus fuerit, per triginta solidos dies in pane, & aqua tantum pœniteat.* Vnde inter grauissima crimina, quæ Oseas cap. 12. obijcit Israël, illud velut insigne primo loco numerat: *Chanaan in manu eius statera dolosa calumniam dixit, &c.* Accedit Michæas, qui pari ratione exprobrat hoc crimen Israël cap. 5. Ad grauitatem etiam, & magnitudinem huius rei pertinet illud, quod Iustinus Imperator sanxit, vt in singulis vrbibus æqua pondera, & mensuræ ex ære, ferro, aut præduro lapide asseruarentur, vt per hæc vulgaria mercatorum pondera, & mensuræ examinarentur. Hæc autem non alibi, quàm in ipsis templorum sacrarijs custodiri præcepit: voluit scilicet, vt iustitiæ etiam cohereret religio, & sanctitas, & mensuras quid sacrum esse, atque adeo inuiolabile. Quod ni fallor, etiam apud Iudæos olim seruatum fuit, vt iusta pondera, & æquales mensuræ in templi adytis asseruarentur. Atq; hinc nata diuersitas, & dissimilitudo ponderum, vulgarium, & sacrorum. Nam lapsu, & de cursu temporis mercatores vulgaria pondera extriuerant, & minora in dies reddiderant: at sanctuarij, & sacrarij pondera iusta omnino, & integra perseuerauerunt.

Hebraica lectio habet *Bilances doli*, quod quidem non de duobus eiusdem libræ lancibus, sed potius

A de duabus stateris acceperunt Septuaginta: atque adeo conuerterunt. *Statera dolosa abominatio est apud Dominum.* Itaque hic duæ libræ, vel stateræ inæquales, & duplicia item pondera reprehenduntur. Sicut infra cap. 20. *Pondus, & pondus, mensura, & mensura, utrumque abominabile apud Deum.* At quænam inquires, hæc duplices mensuræ, & pondera? Sunt qui eiusmodi pondera, & libras, ita distribuunt, vt iustam vnâ, alteram iniustam esse dicant: per quas nimirum aliter quis amicis, & proximis, aliter ignotis admetiatur, & ponderet: amicis quidem iuste, & integre: ignotis verò iniuste, & diminute. Sed tamen ego duo pondera, & duas libras alio modo accipio: vtraque scilicet falsas, & iniustas, vnâ videlicet ob defectum, aliam verò propter excessum, sicut supra Deuteron 25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera maius, & minus, nec erit in domo tua modius maior & minor: Maior scilicet ad excipiendam, vel emendum: minor ad erogandum, atque vendendam.* Vtrumque enim iustitiæ aduersatur. Sic exponit Hieronymus, illa verba Amos. *Vt imminuamus mensuram, & augetimus siclum, & supponamus stateras dolosas.* Vbi ita Hieronymus: *Qui minorem in vendendis mercibus mensuram facitis, & maiora pondera in accipiendis.* Rursus Ezechiel. 45. secundum translationem Septuaginta, sic habetur: *Statera iusta, & mensura iusta & chœnix iustus erit vobis ad mensuram, & chœnix similiter vnus erit ad accipiendum, nimirum vnus, & idem ad accipiendum, & vendendum.*

*Et pondus equum voluntas eius.* Hebraicè: *Et lapis perfectus & integer.* Pondera quidem, & mensuræ olim ex lapide conficiebantur. Et quidem extat Imperatoris Valentis constitutio, vbi præscribitur, vt publicæ mensuræ, & pondera sint ænea, seu lapidea: Iam verò iure nouo, quia lapides vsu teruntur, ne ponderibus iusta inquam momenta desint, cautum est, vt ære, vel ferro semper constent, & publico caractere notata sint. Quod autem alij pondus integrum, alij perfectum, alij plenum reddiderunt, sententiam non euariat.

Alij verò contendunt Salomonem in hoc loco similitudine libræ, & ponderum aliquid aliud adumbrasse. Et quidem multi multa dixerunt. Plures expositiones conflauit Hugo Card. & Beda: ex quibus lector excipere potest. Subijcio paucas. Primum igitur nomine stateræ Hugo intelligit æstimationem hominis, quæ si æternis præferat tēporalia, dolosa est & adulterina: si verò æterna caducis anteponat, vera est, & exacta. De hac æstimatione dicitur Psalm. 61. *Mendaces filij hominum in stateris.* Secundò, intelligunt alij liberum arbitrium, quod libræ in morem concupiscentia in malum detorquet affectum: de quo nos supra c. 2. vers. 2. multa diximus ex Basilio, & Tertulliano sub eadem libræ similitudine. Tertio, alij conscientiam interpretantur, quæ velut amussis quædam in homine sita est, bonum à malo dirimens: quam peccatum quodlibet sua grauitate ab æquilibrio dimouet. Quarto, alij charitatem exponunt, quæ veluti duo vnus libræ brachia, Dei, & proximi dilectionem habet. Hanc vero iustam, ac rectam stateram esse dicunt, in qua reliqua omnia appendenda, & examinanda sunt: sed præsertim amor aliarum rerum. Ita iubet Augustinus in libro de sancta virginitate, cap. 55. *Hæc (inquit) quanti valeant cogitare, hæc in statera charitatis appendite, & quidquid amoris nuptijs vestris impendendum, & alijs rebus adijciendum habeatis, illic rependite.* Dolosam verò stateram esse aiunt dilectionem prauâ, duplici quoque brachio præditam: scilicet amore

Deut. 25  
num. 14.

Deut. 25  
num. 14.

Hieronymus

Ezech. 45  
num. 10.

August.

Conc. Monguntin.

Oseas 12.  
num. 7.

Michæas 5.

Iust. Imp.

Psalm. 61  
num. 10.

Basiliius  
Tertull.

August.

7.

sui atque amore mundi, in qua nihil iuste, & exacte ponderatur. Quinto, alij per libram sacram scripturam intelligunt, quam iustæ, & exacte stateræ simillimam dicunt. Ita loquitur Augustinus lib. 2. contra Donatistas, ubi sic ait: *Nam afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio nostro dicentes, hoc graue est, illud leue: sed afferamus diuinam stateram de scripturis Sanctis, & in illa, quid sit grauius, appendamus; imò non appendamus, sed appensa à Domino cognoscamus.* Et infra. *Vide (ait) quid homines detestentur, quid horreant, veruntamen recurrens ad illam stateram: ubi non ex humano sensu: sed ex auctoritate diuina omnia pensantur, &c.* Optima sanè, atque iustissima statera, cuius amissio est ipsa infallibilis Dei veritas. Per dolosas autem, atque mendaces stateras de quibus hinc Salomon agit, intelligunt Philosophorum veterum dogmata, atque in vniuersum illas, quas Paulus doctrinas hominum appellauit, cum ait: *Quæ sunt omnia in interitum ipso usu secundum præcepta, & doctrinas hominum, &c.*

Sexto alij ipsam met hominis conditionem, & compositionem nomine stateræ notari volunt, cuius stateræ duo brachia, sunt appetitus, atque ratio: hæc autem tandiù in æquilibrio sunt, quamdiù vtraque cohærent, & appetitio rationi obseruit. Tunc verò ab æquilibrio detorquentur, cum voluptas, ira, aut alia vehemens affectio rationem de suo statu dimouent. Itaque veracem, exactam, & (liceat sic dicere) æquilibrium stateram conficit appetitus cum ratione cohærens: dolosam autem, & iniustam appetitus rationem deflectens. Vnde Basil. in homilia de ira, sic ait: *Animus ira occupatus trutinæ est ad pondus regulæ momentum deferens: quod pari ratione de qualibet alia animi perturbatione affirmare licet.* Alibi etiam D. Basilus duas vnius stateræ lances, aut brachia animam, & corpus esse dicit: homilia scilicet in illud *Attende tibi ipsi*, ubi sic ait: *Nam quem admodum in stateris contingit vnam si de graua ueris lancem, vel uolis illi oppositam leuiorem reddes. Consimilem in modum assollet in corpore, & anima contingere: vnius exuberans copia necesse est, ut alterum imminuat, & illi addat inopiam, &c.* Septimo, Hugo Cardinalis aliquid etiam de similitudine stateræ, & crucis in hunc locum conijcit: sed tamen hæc omnia spiritualibus, & mysticis sensibus adscribenda sunt.

Basilus.

Pythag.

Clemens.

Quapropter siquidem sub hac stateræ, & ponderum allegoria aliquid aliud innuisse, ac voluisse Salomonem dicamus secundum germanum literæ sensum, præferenda est expositio Clementis Alexandr. lib. 2. Stromatum, ubi hanc sapientiæ sententiam affinem esse dicit illi Pythagoræ proloquio, *Stateram ne transfilias.* Et iterum lib. 5. sic ait: *Fam verò eorum, quæ à Moysè dicta sunt de iustitia: compendium fecit Pythagoras dicens stateram non esse transfiliendam, hoc est, non prætergrediendam esse æqualitatem, quæ versatur in distributionibus, honorando iustitiam.* Propterea Dominus: *Tollite (inquit) iugum meum super vos, quoniam benignum est, & leue.* Hactenus Clemens, cuius verba ut calleas, obserua iugi, & stateræ vnam, & eandem esse vocem Græcè: vtrumque enim appellatur. *ΰγος.* Hic et ergo Clemens vocem illam, *ΰγος* quadam interpretandi licentia non pro iugo, sed pro statera accepisse videtur: atque adeò interpres, si Clementis mentem tenuisset, extrema verba germanius sic transferebat. Propterea Dominus: *Tollite, stateram meam super vos, quoniam benigna est, & leue onus.* Nimirum imitami meam iustitiam, & equitatem, apud quæ nulla personarum acceptio, nulla iuris fraus, aut æquitatis violatio: qui prius quam onus aliquod

imponam, illud in benignissima equitatis meæ statera cum viribus hominis compono, & appendo. Propterea *onus meum leue semper, ac facile est.* Imitami, inquam, meam iustitiam, expendite onera, & nemini aliquid imponatis, quod vires, atque humeros excedat. Eandem expositionem amplectitur Hieronymus in cap. 45. Ezechiel. ubi sic habet: *In proverbis dicitur, statera dolosa abominatio est apud Dominum: quod quidem non solum in commerciis, & usu quotidianæ vitæ: sed in alijs etiã iustitiam obseruandam esse significat.* Porro in scriptura sunt pleraque loca, ubi sine controuersia similitudine stateræ suadet iustitia in vniuersum, & iniustitia inculatur. Mich. 6. num. 11. Amos 8. num. 5. Osee 12. num. 7. & alibi. Aristoteles autem iuris omnis, atque iustitiæ, naturam in æquilibrio esse dixit. Quomodo autem cum eadem sit iustitia apud omnes, tamen leges, & iura diuersa sunt, accommodata stateræ, ac ponderum similitudine exposuit lib. 5. cap. 7. Nam quemadmodum appendendi, & mensurandi eadem apud omnes ratio est (omnes quippe in ponderando æquilibrium, & in mensurando æqualitatem quærunt) attamen ponderum, & mensurarum non eadem quantitas apud omnes. Nam Attica libra (verbi causa) minor est libra Romana, & rursus Cadus Romanus Attico maior est: sic etiam iustitia, quæ per stateram innuitur, vbique & apud omnes vna est, atque eadem: at leges, & iura, quæ ponderibus conferuntur, dissimilia, atque diuersa sunt. Itaque Aristoteles iustitiam in vniuersum cum trutinâ eleganter composuit: leges autem, & iura, quibus iustitiæ æquitatis momenta exquirat, cum ponderibus contulit, quibus res in statera librantur. Quæ sententia huic loco accommodari potest, ita ut Salomon stateræ ac ponderum similitudine vtrûq; iustitiam scilicet, ac legum obseruantiam complectatur, hoc modo. *Statera dolosa abominatio est apud Dominum, id est, quicumque æquitatem detorquet, & contra ius fasque aliquid agit simulatione iustitiæ, is Deo admodum inuisus est. Et pondus æquum voluntas eius.* Nimirum legum, atque iuris obseruantia: quæ ponderibus adsimilis esse dicitur, Deo imprimis grata, & iucunda est. Vide plura infra locis supra adscriptis.

Hieron. no.

10

Mich. 6.  
num. 11.  
Amos 8.  
num. 5.  
Osee 12.  
num. 7.

Arist.

II. *Vbi fuerit superbia, ibi erit contumelia, ubi autem est humilitas, ibi & sapientia.*

**V**bi fuerit superbia, ibi erit & contumelia. Hebraicè: *Venit superbia, & venit ignominia.* Septuaginta: *Quocumque intraverit contumelia, ibi & ignominia.* Pro contumelia Græcè *ΰπερβια*, id est, iniuria. Interdum autem exponitur superbia, & insolentia quædam petulans, & contumeliosa, ut obseruauit Pollux. Chaldaus habet: *In ingrediente superbia abest ignominia.* Caietanus: *Venit impietas, & venit ignorantia.*

*Vbi autem humilitas, ibi & sapientia.* Hebraicè: *Et cum modestis, vel humilibus sapientia.* Chaldaus: *Et humilibus sapientia.* Septuaginta: *Os autem humilium meditatur sapientiam.* Symmachus: *Apud accuratos, seu eximie diligentes sapientiam.* Theodotion: *Et cum modestis, vel aquis sapientia.* In Complutensi adscribuntur hic quædam verba, quæ in plerisque alijs Septuaginta codicibus, sed tum maximè in correctiori Sixtiano postea exhibentur suo in loco.

*Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia.* Hanc sententiam triplici sensu donant Interpretes. Pri-

II

mus est. Ad eos, qui præ fastu, & superbia famam, & populi existimationem aucupantur, reditignominia, & infamia: nam superbia dedecus fere, & infamiam sibi accersit. Sic exponit Chrysost. illa verba Psalm. 122. *Opprobrium abundantibus & despectio superbis.* Huc pertinet etiam illud: *Qui se exaltat humiliabitur.* Sed quia stateræ, ac ponderum mentio præmissa est, accersendus hic est Diuus Laurentius Iustinianus, qui illam Christi Domini sententiam trutinæ similitudine exposuit. Nam Dei, & hominis æstimationem, veluti duas eiusdem libræ lances esse docuit: quapropter cum homo in sui æstimatione, & iactatione leuatur, in Dei æstimatione mira despectio deprimitur, & quadrat (inquit) in illum sententia Dauid. *Opprobrium abundantibus & despectio superbis.* Itaque Deus, ut elati animi timorem comprimat, contumelias, & probra immittit, & superbos cunctorum hominum contemptui exponit. Secundus sensus: *Vbi fuerit superbia, ibi erit contumelia,* id est, superbus læditur, & offenditur contumelijs, & iniurijs: humilis vero nec sentit quidem sibi illatas. Quantum vero contumeliæ, & infamia superbos tangere soleant, elegantis similitudine docuit imperfectus homilia secunda in Mathæum. *Sicut cacumen arborum in excelso positarum, etiam si leuis aura flauerit, mouetur. Sic sublimes homines etiam leuis infamia conturbat: humiles autem sicut in conualle plerumque in tranquillitate consistunt.* Nimirum infamiæ ventus illos nequaquam attingit.

Tertius denique sensus est: *Vbi fuerit superbia, ibi erit contumelia,* id est, superbiæ velut comes hæret contumelia, & exprobratio. Nam cum superbus reliquos omnes præ se contemnat, eos leui de causa probris appetit, & contumelijs onerat. Elati hominis ingenium ad exprobrandum proñum descripsit Gregorius lib. 14. Moral. cap. 2. *Superbi ex qualibet despectus sui suspicione protinus ad dedignationem profiliunt, & ad contumelias excitantur.* Plutarchus itidem in Moralibus superbum cum nimbo componit, quem vehemens aura coëgit, qui probra pro tonitruis, & pro fulminibus contumelias iaculatur. Id sibi vult lectio originalis: *Veni, superbia, venit contumelia,* id est, superbiæ contumelia comes adest. Vel aliter. *Ingrreditur superbia, ingreditur contumelia:* superbia enim præit, atque contumeliæ aditum referat.

*Vbi autem humilitas: ibi est & sapientia,* alibi Salomon dicit: *Qui profert contumeliam insipiens est.* Itaque contumelias, aut probra iacere insipientiæ tribuit. Possumus ergo præmissa verba sic interpretari, ut prioribus respondeant: *Vbi humilitas, ibi & sapientia.* id est, cum superbia ad conuicia, & contumelias effundendas procliuis sit: humilitas contra sapientiam aduocat, quæ probra, & contumelias penitus despicit. Vel aliter, superbi sibi contumeliam accersunt: humiles autem sapientiam, & ex hac gloriam, & decorem. Hæc alij. Ego vero ita posteriora cum prioribusnecto. Superbi contumelias ore suo iactant: at humiles sapientiam, doctrinam si licet utilem & optima viuendi præcepta ore promunt suo. Hunc sensum reddit translatio Septuaginta, quæ sic habet: *Os autem humilium meditatur sapientiam,* id est profert, atque eloquitur doctrinam. Hæc autem (ut mea mens fert) est optima, vera, atque elegans sententia: superbiorum enim verba, & sermones omnes contumeliosi, & molesti sunt, quia dedignationem contemptum, & despectum aliorum semper sonant: ac propterea nihil apte ad persuadendum, nihil consolatorium vnquam proferrunt, & fere magis ad increpandum, & corri-

piendum, quam ad leniendos animos proni sunt. Ita Gregor. in Moral. de amicis Iob, quorum superbiæ, & elationi tribuit molestam illam non ad consolandum, sed ad pungendum, lacerandumque animum sermonum, imò potius conuictorum multitudinem. Contra vero; *Vbi humilitas, ibi est sapientia.* Os (inquam) humilium meditatur, id est, promit, sapientiam. Loquitur enim sapienter, & apposite ad docendum, ad persuadendum, & consolandum. *Meditatur scilicet sapientiam,* quia non temere quidquid in buccam (vt aiunt) venit, effundit, vt fert illorum consuetudo, qui alios conuictis profcindunt: sed meditata, & excogitata verba profert.

III. *Simplicitas iustorum dirigit eos, & supplantatio peruersorum vastabit eos.*

*Simplicitas iustorum dirigit eos.* Hebraicè, *Integritas iustorum ducet eos.* Hæc verba desiderantur in correctiori textu Septuaginta: sed tamen in scholijs monemur in quibusdam codicibus Græcis sub Asterico reperiri. Forte, quia illa, quæ iniuria temporum interierant, ex Hebraicis originibus deprompta, & huc ascita fuerunt. Certè vtraque editio, Complutensis, & Regia omnino retinent, atque ex Græcis sic hanc priorem partem conuertunt. *Perfectio rectorum deducet eos.*

*Et supplantatio peruersorum vastabit eos.* Hebraicè. *Et peruersitas prauaricatorum frangat eos.* In textu Septuaginta paulò aliter habetur. *Et supplantatio contumeliam depradabitur eos, & peruersitas, & quidem peruersitas, est depradari, & captiuum abducere: inde peruersitas, quæ propriè significat teste Suida depradationem, quam milites pabulatum egressi captant. Chaldaus integram sententiam sic reddidit. *Simplicitas rectorum dirigit eos, & peruertunt direptores, tunc conteres eos.* Quæ translatio mendis suspicionem immittit, est enim minus concinna.*

Sententia huius loci perspicua est. Simplicitas, hoc est, integritas, & doli fraudisq; expers sinceritas, quæ iusti præditi sunt, illos deducet inter dolos nimirum, & astus peruersorum securos, & ab omni incommodo immunes teget. Contra vero, *Supplantatio peruersorum vastabit eos,* aut *frangat eos:* fraudes videlicet, ac doli quibus alios opprimere volunt, in ipsos recident. Vel quia sua ipsorum fraus illis perniciem adducet, vel quia fraudes fraudibus luent. Et quidem simplicitatem, & morum integritatem inter fraudes, & astus immunem, ac securam pergere paucis habeto ex Hieronymo epistola ad Pàmach. *Simplices tuti sunt inter dolones.* Sunt autem dolones virgæ, aut bacilli in quibus velut in vaginis latent gladij: à fallendo dicti, quia cum ligni speciem oculis offerant, ferrum claudunt. Vulgo *estoque;* Virgilius: *Senosque ferunt in bella dolones.* Ergo cum ait Hieronymus, simplices tutos, ac securos esse inter dolones, perinde est, ac si dicat illos integritate morum, ac candore animi sui inter astutos, & fraudulentos securos esse. Merito enim fraudulenti dolones appellantur, quia exterius bacillorum speciem gerunt, id est, amicorum similitudinē habent, quibus quasi baculis incumbere, ac niti possimus: intus vero tanquam ferrum ostium claudunt. Adde etiã D. Machariũ, qui simplicitatē colubæ, & serpentis astũ ad eũ modũ tēperanda esse docet, ex Christi Domini sētentia, vt ad dolos fraudesque vitandas satis cautionis præstet. (Et quidē hic non de stupida, & stolida simplicitate loquitur Salomon, sed de prudenti, & cauta sinceritate.) Aut

Laurent.  
Iustinian.

12

Chrysost.

Gregor.

Plutarch.

13

E

F

Gregor.

14

Hieronym.

15

Machari.

ergo Macharius homil. 40. *Anguis quidem lubricus inter ipsas elabitur manus coluba superne volans retia despicit: simplex vero dolos, & fraudes facile fugit: id est, ea facilitate fugit, qua lubricus è manibus anguis excurrit, vel columba subuolans retia præterit. Nam simplicitas iustorum dirigit eos: sic nimirum regit, ac deducit, vt omnem altum, fraudemque præteruolent.*

Pf. 7. n. 16.

Ecccl. 27.

n. 28. & 29

*Supplantatio peruersorum vastabit eos, id est, sua ipsorum fraus illos opprimet. Hanc sententiam sæpe aliàs scriptura usurpat. Psal. 7. Lacu aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam qua fecit. Converteretur dolor eius in caput eius, & in verticem illius iniquitas eius descendet. Et Eccles. 27. Plaga dolosa dolosi diuidit vulnera, & qui foveam fodit, incidit in eam: & qui statuit lapidem proximo suo offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in illo. Sed obseruanda est illa vox: vastabit eos. Hebraei è שרש יסאדעם, quam vocem vulgatus, & alij interpretes deduxerunt à verbo שרש Sadad, duplicante secundam, quod est vastare, perdere, infringere, aliquando etiam spoliare, & deprædari. Et licet ad hanc extremam significationem reuocari posset lectio Septuaginta, cæterum potius crediderim illos vocem istam hausisse à verbo שרש Sadam, vnde שרש sedemach, arcum aut campestria. Nam vt supra admonui, vsi sunt illo verbo שרש, quod est verbum militare, & significat prædas agere: tunc scilicet, cum milites pabulatum egressi ex agris prædas reuehunt. Quam actionem Græci ἀρπαγή vocant, id est, nerbæ deprædationem. Itaq; verbum illud Græcum propriè significat agros, aruaque direptis frugibus spoliare, & pabula diripere, vel occasione pabulandi hominum, iumentorum, vel aliarum rerum prædas agere. Sensus igitur est. Supplantatio eorum, seu fraus ἀρπαγή, id est, Perinde spoliavit, ac nudauit eos sicut agri scæno & frugibus à pabulatoribus militibus denudatur. Vel ad eum modum capietur seu captiuus ducetur à sua ipsius fraude, & dolo: sicut pabulatores ex insidiis adorti captari solent, vel sicut ipsi captant alios & in prædam referunt. Quam similitudinem Salomon dolum dolo luendum esse significauit.*

16

*IV. Non proderunt diuitia in die ultionis: iustitia autem liberabit à morte.*

17

**N**on proderunt diuitia in die ultionis, Heb. *In die ira, vel indignationis.* Hæc verba sicut etiã superiora desiderantur in codice correcto Sept. leguntur tamen in Complutensi hoc modo. *Non proderit substantia in die ira, & iustitia liberabit à morte.* Chald. *Non prodest mendacium in die ira: iustitia vero liberat à morte mala.*

Hæc sententia eiusdem forme verbis occurrit supracapite 10. vers. 2. vide inibi multa. Et quidem à bi ita habes. *Non proderunt thesauri impetrati: hic vero, Non proderunt diuitia in die ultionis.* Reliqua similia sunt. Itaque ad ea, quæ ibi diximus, pauca adijcere libet super illa verba, *In die ultionis vel in die ira,* quibus diuitias nihil emolumenti habituras docet Salomon, vel certe plurimum nocituras. Nam vt in eo loco ostendi, illud, *non proderunt,* perinde est, ac sidiceret oberunt, & nocebunt: **F** quam significationem ex aliis scripturæ locis aucupatus sum. Ait ergo, *Non proderunt diuitia in die ultionis,* id est, cū extrema illa dies ingruerit, in qua Deus iustā de sceleribus ultionem sumpturus est: cū deniq; ante Dei tribunal homo reus sistendus est, vt pro meritis, aut præmiū, aut penā referat: nō pro-

derūt, imo nocebūt valde diuitiarū ingētes cum uli- cur scilicet? Imprimis nō proderūt: quia vt ait Plaltes Pf. 48. *Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarū suarū gloriantur, frater non redimit, redimet homo,* id est, non frater, non homo (nam refundenda est iterum negatio.) *Nec dabit Deo placationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ, & laborabit in æternum,* id est, non poterit iudicem oblato pretio mitiorē reddere, aut latam mortis sententiā collatis pecunijs inuertere, *Sed relinquent alienis diuitias suas, & sepulchrā illorum domus illorum in æternum, &c.*

Pf. 48. n. 7.

Profecto ille, qui liberaliter, & effuse suas pauperibus impendit copias, habet quidē in die iræ, & ultionis non leue emolumentū. Tum quia peccata eleemosynis eleuantur, redimuntur, & exinguuntur (sic enim loquitur scriptura. *Quod superest, date eleemosynā, & hæc omnia munda sunt vobis: & alibi. Peccata tua eleemosynis redime.* Et iterum. *Sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatū.* Vnde cū ultio, atq; ira Dei solū contra peccata defæuiat, purgatis, elutis, redemptis, extinctisq; peccatis nullus ultioni atque iræ locus reliquus sit.) Tum etiã ex alio capite, nimirū quia vt docuit Christus Dominus in Euangelio in die illa ultionis, & iræ externæ eleemosynæ, atque aliorum misericordiarum operum ratio præcipuè exigenda est: tunc enim misericordes misericordiam consequentur, & immites iram sibi asciscunt. Sic enim Christus. *Ite male dicti in ignem æternum, &c. Esurini enim, & nō dedistis mihi manducare strium, &c. ex aduerso iustis. Venite benediciti, &c. Esurini enim & dedistis mihi manducare, &c.* Constat ergo diuitias, & facultates ingentes cum auare asseruantur, & cumulatur, nō modo profuturas, sed etiã plurimū offuturas in die ultionis: quā doquidē in causa futuræ sunt, vt Deus in ea die rationem exigens actæ vitæ, damnationis, & ultionis materiam inueniat.

18

Meritò quidē aliqui quærent, quid causæ fuit, quod Christus Dominus his, qui omnia sua bona dimiserunt paupertatē amplexi, sedes ad iudicandū pollicetur in die iudicij: sic enim ad duodecim Apostolos. *Uos qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israhel.* Nam vt author est August. in duodecim Apostolis reliquos omnes fideles affatus est Christus, quotquot facultatibus renunciantes voluntariā paupertatē multis copijs prætulerunt: his enim omnibus subsellia ad iudicandū in die iudicij sternenda esse dicit. Sed cur pauperibus potius, quā alijs? Primo quia cum in illa die de operibus misericordiarum ante alia iudicandum sit, certè ad pauperes iudicij iustus summam redigi oportuit, qui diuitū misericordiā, aut sæuitiam in semetipsis experti sunt. Secūdo, vt diuites ad subleuandā pauperū miseriam excitaretur, cū nossent ab illis tunc demū se esse iudicandos, quorū paupertati modo subuenire, & succurrere nollent. Sane iudices apud homines donis imprimis conciliantur, & alliciuntur. Eapropter vt leges, iustitia & iura facta teclaque sint, donorum quaslibet acceptiones supremis iudicibus interdicit. Sed quid inde? Profecto Deū Optimū Maximum, nihil per summū ius summamque iustitiam in nostra omnium causā, & iudicio gerere velle, vel ex eo prodit, quod cum pauperes nostros iudices esse iusserit, non solum illis dona quantumuis maxima accipere permittit: sed nobis etiam illis donare suadet, ac præcipit. Itaque, ni fallor, hac vna in re eximia Dei erga nos liberalitas, & beneficentia, & nostræ salutis ardens desiderium effulget: quod extremæ nostrarum causarum discussione eos iudices præ-

19

fecit,

fecit. quos facile donis allicere, & muneribus ( si fas est dicere ) corumpere possumus. Apte igitur Salomon. *Non proderunt diuitia in die ultionis, iustitia autem id est. eleemosyna* ( hanc enim hinc iustitiæ nomine notari, quemadmodum sæpe alias docui, haud dubito ) *liberabit à morte.* Quasi dicat, diuitiæ afferuatæ, & cumulata nihil emolumenti afferunt ad diuinam iram in die iudicij declinandam. Eleemosyna vero eripit neci, & à morte æterna vendicat hominem misericordem, quia indices sibi deuincit, &c.

Ceterum quantum, & quam latum discrimen sit inter causas diuitum auarorum, & misericordiam, cum ad diuinæ iustitiæ libram vniunt in extrema ultionis atque iræ die, eleganter docuit Chryso- stom. hom. 5. de pœnitentia, vbi ita ait, *Qui miseretur pauperi, dat Deo, Quod non simplex datum, uercedemque simplicem putes, sed qui miseretur pauperis fœneratur Deo. Si Deo fœneramur, is ergo nobis debitor erit. Quem ergo eum tibi esse malis, vel debitorem vel iudicem? Debitor veneratur fœnerantem, iudex nunquam mitigatur ab eo, cui ipse fœneratus est.* Expendo verba. Sane mens Diui Chryso- stomi ea est cum Deus Optim. Maxim. homini diuitias, & opes donat: non quidem omnino donare, sed fœnoris, & vsuræ loco, exigere eleemosynam. *Paruas* ( inquit ) *à diuitibus vsuras exigit, nimirum quantu- lascumque de superfluis eleemosynas: iuxta illud: quod superest date eleemosynam.* Ergo sententiæ iusti, quam ipse conceperat, illam aliam adnectit, quam sapiens protulit. *Fœneratur Deo, qui miseretur pauperis:* atq; inde elicit discrimen, quod inter diuitem auarum, & misericordem intercedit, cum vterque coram Deo comparet. *Debitor* ( inquit ) *veretur fœneratorem,* sic lego non *veneratur:* est enim Græcè *διδόν* quod est veretur, ac timet: sic autem euadit luculentior sententia, *Iudex vero non mitigatur ab eo, cui ipse fœneratus est,* quasi dicat cum misericors ante tribunal Dei sistit ( liceat sic dicere ) Deus veretur, ac timet suum fœneratorem apud ipsum iam tunc de vsurarum solutione agentem, & fœnora repetentem, ne dicam veretur suū iudicem, vel actorem: nam ( si fas est dicere ) in ea causa misericors iudex est, atque actor: Deus vero reus est. Cum vero diues aliquis auarus accedit, non mitigatur Deus, quinimo sæuit in eum, cui ipse fœneratus est: & quia vsuras eleemosynarum non reddidit, vrget, angitque. Apte igitur Salomon. *Non proderunt* ( inquit ) *diuitia in die ultionis,* id est, nocebunt maximè. Eam enim vim subesse huic sententiæ aliàs docui: quia nimirum diues tunc de vsuris, & fœnore interrogandus, & puniendus est. Mitto alia.

V. *Iustitia simplicis dirigit viam eius, & in impietate sua corruet impius.*

**I**ustitia Simplicis dirigit viam eius Hebr. *Iustitia immaculati,* seu integri, aut perfecti, Sept. *Iustitia immaculatum dirigit vias: impietas autem incidit in iustitiam.* Aquila, Symmach. & Theodotion concinunt cum nostra vulgata.

Duplex omnino est huius loci expositio. secundum iustitiæ duplicem significationem. Quidam enim, in his Hugo Cardinal. Arboreus, Caiet. & Iansen. nomine iustitiæ honestatem, & pietatem in vniuersum accipiunt, atq; adeo sic exponunt. *Iustitia simplicis,* hoc est iusti, atque perfecti viri labis expertus honestas, & integritas morū *dirigit viam eius,* viā scilicet illi sternit rectā, & equabilem,

Tom. I.

vt inoffensus, & ab omni casu, & ruina immunis pergat. Vel *dirigit viā,* id est, fortunabit, ac scœlitabit cunctam eius viuēdi rationem. Nam in scriptura verbum *dirigo,* passim sumitur pro *beo,* aut *fortuno.* Plal. 139. *Vir linguisus non dirigitur in terra,* id est, non fortunabitur. Plalm. 89. *Respice in seruos tuos Domine, & dirige filios eorum,* id est, scœlices redde, & alibi. Contra vero impius homo in sua impietate passim offendit, ac corruit, vel in aduersos casus sæpe incidit. Sed quamuis facilis sit, ac procliuis hæc prior interpretatio: tamen posterior mihi videtur accommodatior, & cum reliquo textu cohærentior.

Eam insinuat Rodolphus: putat enim nomine iustitiæ hoc in loco eleemosynam notari, vt sæpe aliàs: cuius mihi perplacet meditatio: nam cum in præmissio versu iustitia in ea acceptione sit, verisimile est, tam breui interuallo significationem non fuisse euariatam. Ergo præmittendum est simplicem, seu immaculatum appellari misericordē, ad excludendas sordes, & auaritiā: sic enim alias in scriptura. Eccles. 31. *Beatus vir, qui ingreditur sine macula, & qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecuni athesauris.* Et Job 31. *Si in manibus meis adhaesit macula,* id est, si aliquid auare vel abstuli, vel rapui. Imo etiam apud prophanos authores auari sordidi appellantur, & auaritia ipsa sordidum nomen fert, vt supra me docuisse memini.

Rursus pro impietate Hebraicè est *חַוָּחַח* *Hauach,* de qua non semel etiam alibi diximus, & nonnumquam copias dolo, & iniuria acceptas notare animaduertimus. Sensu igitur huius loci ad hunc modum conformandus est. *Iustitia simplicis,* seu *immaculati dirigit viam eius,* eius scilicet, qui auare, & sordide opes non claudit, sed liberaliter impendit. Eleemosyna enim sternit illi rectā, & planam viam in cœlum, ne vniquam illidatur, aut offendat. *Dirigit* ( inquam ) *viam.* Recta sane, imo Regia, compendiosa, & sine ambagibus in cœlum via est eleemosyna. Audi Chryso- stom. hom. 9. de pœnitentia, vbi cum plures enumerasset in cœlum vias sic demum addit. *Age ergo captum sequamur, & quartam proferamus viam: & quanam ea est? Eleemosyna Regia via, qua homines celerrimè in celorū axes adducit. Magna res est eleemosyna* ( vide quam recta in cœlum pergat ) *præcedit aerem, trāst lunam, solis radios excedit, ad ipsum venit calorum culmē, ipsos pertransiens calos, & Angelorum populos decurrēs, Archangelorumque choros, & omnes superiores potestates ipsi assistit regali throno.* Ad hæc non dirigit solum, & compediōsam reddit viam in cœlum eleemosyna: sed etiam exonerat diuitem, vt celerius illam emetiatur. Augustinus sermone 5. de verbis Domini. *Non solū* ( inquit ) *te fecit, sed & pauperem tecum. Dedit nobis vnā viam ad vitam: istam inuenistis vos comites, vnā viam ambulatis, ille nihil portat, tu nimirum oneratus es, ille nihil secum portat, tu interim plus portas, quam opus est, oneratus es: da illi de eo, quod habes, & illum pascis, & onus minuis, & leuiōres ad ambulandū. Iterum sermone 25. sic etiam habet. *Via cœli est pauper, per quam venitur ad patrem. Incipe ergo erogare, si non vis errare. Patrimonij tui, quō es ligatus, compedem solue, vt liber ad cœlum possis ascendere. Quid illustrius? Subdit.**

*In impietate sua corruet impius.* Pro impietate est *Hauach,* que vox vt iam præmonui, significat opes auare quæsitās, dolo, & iniuria acceptas. Itaq; sētus est, diuitiæ in iustē partæ, & auare, sordideq; incluse impio ruinam & casum afferunt, quasi dicat. Pium, & misericordē virum eleemosyna recta se in cœlum fert: auarum autem, & sordidum auaritia, & sordes in tariara miserabili ruina deuoluunt:

M m

Psal. 139.  
n. 12.  
Ps. 89. n. 6.  
16.

Eccles. 31.  
n. 8.  
Job. 31. 7.

Chryso-  
stom.

August.

Et quidem sicut elemosyna rectam, compendiosam, facilem, leuemque viam in cœlum sternit: ita etiam per auaritiam recta, & sine ambagibus ad tartara in præceps itur. Augustinus ad illa verba Lucæ 16. *Diues autem sepultus est in inferno*, serm. 15. de verbis Domini, casam, & ruinam illius diuitis extollens ait. *Sepultus est in inferno, quia huc pecuniarum onere pressus velocius descenderat, quã ut venisse diceretur.* Mens autem August. hæc est, non equidem dixit Euangelista venit in infernum, aut descendit, sed sepultus est: nã venire, aut descendere moras, & dilationẽ sonant: hic autem auarus diues suis ipsius facultatibus, & copiis degrauatus a deo velociter ad orci ima perlatus est, vt veniendi, aut descendendi vocabula tarda nimis Euangelistę visa sint: propterea ad terminũ illius ruinę mentẽ contendens ait: *Et sepultus est in inferno.*

Aliter etiam locus iste de elemosyna, & sordidus exponi potest, iuxta posteriorem prioris interpretationis acceptionem, *Iustitia simplicis*, seu *immaculati*, id est, elemosyna eius qui caret sordibus auaritię, dirigit viam eius, id est, illum fortunatum, & fœlicem reddit, tunc in hac, tum etiam in altera vita: & ex aduerso. *Impius in impietate sua corruet*, per infortunia scilicet, atque aduersitates, sic Rodolpus. Veruntamen superior expositio mihi magis probatur.

*VI. Iustitia rectorum liberabit eos: & in insidiis suis capientur iniqui.*

**I**ustitia Rectorum liberabit eos. Hebraïca non dissentiunt. Septuaginta. *Iustitia virorum rectorum liberat eos*, in quibusdam etiam Græcis codicibus est *liberabit*.

*Et in insidiis suis capientur iniqui.* Hic etiam reperitur vox *חַיִּיב* *Haich*, quam noster interpretatur supra impietatem, hic insidias conuertit, quẽadmodum etiam sæpe alibi. Itaque licet conuertere. *In insidiis suis, aut prauitate mentis capientur.* Septuaginta, *Sua autem perditione capientur iniqui*, Aquila, Symmachus, & Theodor. *In iustitia iniuste agentes capiuntur.* In quibusdam codicibus Græcis est *et a cœlis*, id est, *in inopia consilij*. Procopius, *in impietate sua*.

Locus iste omnino similis est superiori, duas enim capit interpretationes: aliam de iustitia, hoc est, de honestate in vniuersum ad hunc modum *Iustitia rectorum liberabit eos*. Vita scilicet, ac morum integritas, & innocentia, quæ ab omni dolo, & fraude abhorret, liberabit quidem rectos, & iustos a captione, fraude, & dolis. Contra vero impij insidiis, quæ a aliis instruit, in captabuntur, & peribunt. Sic Caietanus, Hugo, Lyra, & Iansenius. Quæ sententia haud dissimilis est illi. *Simplicitas iustorum diriget eos, & supplantatio impiorum vastabit eos* quam nuper expendimus.

Ceterum mallem hic nomine iustitię significari elemosynam, quemadmodum in duabus superioribus sententiis, puta iustam, & liberalem ex bonis iuste partis distributionem & largitionem. Ita refert Rodolphi mens, & locus iste secundam eam iustitię acceptionem melius coheret cum superioribus. Itaque ait Salomon, *Iustitia rectorum liberabit eos*, id est, iusta bonorum suorum largitio libertate donabit. Sed à quibus malis liberandi, & quam libertatem assequuturi sunt non exprimit. Hugo eos à morte liberandos esse docet, atque adeo hanc sententiam similẽ omnino esse superiori, quæ ait, *Iustitia autem liberabit à morte.* Quomodo autem elemosyna à morteli-

beret, siue temporali, siue æterna, iam inde supra non semel diximus.

Secundò, Rodol. de liberatione à debitis quæ prius contraximus, interpretatur: quod quidem apte in elemosynam quadrat, hæc enim non modo pro debitis etiam magnis satis dat: sed etiam Deum ipsum debitorem reddit. Chrysostr. homil. 7. de Pœnitentiã elemosynam cum gratia miraculorum conferens, ac præferens, sic ait, *Ea nostra est gratia, quæ mortuos excitat*, id est, gratia suscitãdum mortuos beneficium est Dei in nos collatum.

*Per hanc enim in nomine Jesu mortuos excitare poterimus: sed quanto maius est esurienti nutrire: Iesum Hic* (id est per elemosynam) *beneficium tu Christo tribuis, illic ipse tibi: nam meritum ipsum non ex eo, quod suscipiat quis, sed quod faciat bonum, provenit. Hic quidem, in signis dico, debes ipse Deo, in elemosynã vero Deum habes debitorem, & si quid ipse debes, compensas.* Tertio, Caietanus libertatem à vinculis, & carcere hic promitti asseruerat. Subdit ergo in præmisso loco Chrysostr. *Elemosyna vincula disrumpit, tenebras soluit, extinguit ignem, carcerem aperit.* Hæc vero ad gehennã spectat, & vincula æterna, quibus dånati obligantur. Alia itẽ vincula sunt quibꝰ abruptis misericors, & liberalis homo in libertatẽ asseritur. August. cuius verba paulò ante dedimus, in sermone, 25. de verbis Domini: *Via* (inquit) *in cœlum est pauper, incipe ergo erogare, si non vis errare. Patrimonij tui, quo es ligatus, compedem solue, vt liber possis ad cœlum ascendere.* Adde etiam Chrysostr. homil. 13. in epistol. 1. ad Corinthios: *Quando diuitijs fuerimus alligati, quomodo aduersarios vincemus? Sunt enim vinculum graue his, qui vici nesciunt: sœuus tyrannus, & inhumana omnia imperans in perniciem illorum, qui illi seruiunt, sed si voluerimus, hæc vincula, & acerbam hanc tyrannidem de sede deruabimus. Quomodo autem id fiet? Si diuitias omnibus distribuimus: quando enim Plutus fuerit solus aduersus solos, sicut latro quidam in solitudine omnia facit in sua: cum autem in medium eum adduxerimus, non amplius nos superabit omnibus eum undique alligantibus.* Existimo autem hæc verba Chrysostr. veterum fabellam spirare, qui Plutonem, aut Diem diuitiarum Deum, ac præsidem à Ioue ob furta in compedes missum fuisse confinxerunt. Itaque mens Chrysostr. est à Pluto, aut diuitijs homines alligari, & in compedes mitti, ac rursus contra Plutum ab his, qui liberaliter erogant bona sua, vinciri, & compedibus adstringi.

Quid plura? Homilia in Psalm. 48. *Tam vero* (inquit) *diuitia sunt tortore acerbiores, tortor enim corpus vincit, diuitia autem animum vincunt: vides illum victum, nec illius te miseret: illum propterea odi, quod vincitur, quod nõ necessitate, sed consulto catenam attraxit.* Et oratione de diuitijs, & paupertate elegantissimè hæc vincula, & carceres describit Chrysostr. *Si carcerem* (inquit) *introibimus circumdatos videmus, ac victos catenis. Ita nunc si vniuersisq; animam ingrediamur, videbimus eam durioribus ferro vinculis alligatam, & maxime si diuitum intremus animas: sicut enim cum aliquem videris victum ceruice, manibusque pedibusque ferratum, propterea illius maxime miseris: sic etiam cum videris diuitum cunctis rebus omnino circumdatum, noli enim propterea vocare locupletem propter quod debes infelicem vocare. Præter illa quidem vincula habet custodem carceris seu iorem amorem pecuniarum, qui semel à se victum nequaquam de hoc carcere exire permittit, sed mille illi imponit catenas, & ostia, & ser-*

27

Chrysostr.

August.

Chrysostr.

28

Chrysostr.

29



Chrysof.

ras, atque custodias, & in interiori cōiiciens carcerem etiam delectari his vinculis facit. Haecenus Chrysofomus: ex quo iam liquet, quātetra ex carcere, & quam fortibus ex catines in libertatem euaserint, quotquot diuitias contemnentes eas liberaliter, & profuse in pauperum usus expendunt.

Sed quāto idem Caietanus illa verba, *iustitiae rectorum liberabit eos*, vel libertate donabit, de libertate intelligit, quae opponitur seruituti, id est, seruituti ereptos libertate donabit. Quam sit misera seruitus diuitiarum aliās docui. Accipe verba Chrysofomi, in praemissa homilia de diuitiis, & B paupertate. *Pecuniam* (inquit) *possidere oportet, ut dominos, non uti seruos, serui enim est asseruare: expendere vero domini, & magnā potestatem habentis: quocirca nihil in se ipsius seruo pecunia, tenere sibi videtur cum ipse teneatur, videtur sibi dominus cum sit seruus, & cum vincula sibi circumdederit, quasi in omnes imperium habens gessit, & saltat in captiuitatem incurrens.* Ergo qui pecunias, & opes liberaliter distribuit, is quidem hanc ab omni seruitute immunem libertatem, & nobile admodum imperium nanciscitur. Apud igitur Salomō absolute protulit, *Iustitiae rectorum liberabit eos*, non exprimens aliquid peculiare, a quo liberandi erant, ut significaret eos omnimodam libertatem adipisci: scilicet a morte, a debitis, a vinculis, a carcere & a seruitute, ut ex supra dictis liquet. Subdit:

30 *Et in insidiis capientur iniqui.* Ex diuersis lectionibus, quas initio praemisi, extrema istam expositionem omnino suadent Chaldaica, & ea, quam sequuti sunt Aquila, Symmachus, & Theodotion. Ergo haec posteriora verba sensum reddunt prioribus contrarium ad hunc modum. Auari, & iniusti pecuniarum asseruatores in insidiis suis capientur, hoc est suismet ipsorum opibus iniuste, & inique partis (liceat sic dicere) captiuabuntur, aut captiui reddentur. Itaque ait, distributio, & largitio liberalis opum liberum efficit hominem; earumdem vero impia, & auara retentio captiuum, & seruum reddit. Et quidem verbum *לחך* *Lachad*, quod in hoc loco occurrit, proprie significat captiuare, & seruituti addicere. Quanta vero sit haec pecuniarum seruitus & captiuitas, quam dura, & ferrea illius vincula, ex nuper dictis constat. Quod autem nomine insidiarum diuitiae iniuste paratae significantur, non est insolens in scriptura, imo potius vulgaris est obseruatio interpretum. Nosque iam inde supra c. 10. vers. 3. monuimus ad illa verba. *Et insidiis in piorum subuertet*, ubi non pauci legunt. *Et opes iniuste paratas, &c.*

VII. *Mortuo homine impio nulla erit ultra spes, & expectatio sollicitorum peribit.*

31 **M**ortuo Homine impio nulla erit ultra spes. Hebraice. *In moriendo hominem impium peribit spes.* Septuaginta. *Mortuo homine iusto non perit spes.* Et quidem Septuag. sic extulerunt hanc priorē partem, ut inter illam & posteriorem intercederet ea antithesis, quae alias fere huius libri sententias exornat, & venustat. Nec propterea aliquid de vi sententiae detraxerunt. Olim etiam in vulgatis codicibus similem huic lectionem fuisse author est Beda, & meminit etiam Hugo, nempe, *Defuncti hominis iusti non peribit spes.*

*Et expectatio sollicitorum peribit.* Hebr. *Et expectatio diuitiarum peribit*, licet etiam conuer-

A *tere. Et expectatio fortitudinum:* est enim Heb. *מנוח*, vox significat vires, & fortitudinem seu strenuitatem (hinc nata nostrae lectio) significat etiam rapinas, & diuitias iniuste paratas (hinc posterior alia, quam sequuntur Caiet. & Pagn.) Ad haec sunt qui legant, *expectatio vanitatum.* Sept. *Gloriatio autem impiorum peribit*, Chald. & Theodotion à vulgata non abeunt.

Caietanus, qui ex parte haeret Iansen. haec verba ad hunc modum edisserit per comparisonem. *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes, & expectatio impiorum peribit*, id est, quemadmodum impio, qui in sua impietate decessit, nulla subest post mortem salutis spes: sic etiam eorum, qui sollicitè admodum parandis, cumulandisque opibus dant operam, tota denique spes intercidet, ac frustra fiet. Quasi dicat: sicut impius decedens è vita, aeterna bona amittit, & eandem aliquando recipiendi spem omnino abiicit: sit etiam diues emoriens temporalia bona dimittit, & ab spe iterum eadem recuperandi omnino deiicitur. Quae interpretatio non omnino displicet, & cum superioribus sententiis non inconcinne consui potest: in quibus Salomon suavit liberalis copiarum largitiones.

C Hugo, & Lyra in sono verborum haerentes praefata verba sic exponunt, *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes*, quia in gehennam detrudetur, unde regrediendi, & vitam repetendi nulli ulterius spes reliqua est. *Et expectatio sollicitorum peribit*, sic videlicet eorum, qui humanas sollicitè res curant, & de aeternis bonis solliciti non sunt, tota denique spes intercidet, atque frustrabitur. Sed tamen ex positio ista vim huius sententiae non omnino exhaurit.

Ergo per placet mihi interpretatio Rodolphi, quae sic habet, *Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes*, id est, avarus homo, qui in pariendis, & cumulandis opibus accuratam operam posuit, parata bona cum vita patiter dimittit, & spem recipiendi omnino abiicit: nam in morte penitus omnia pereunt avaro. De quo David Psalm. 48. *Cum enim interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Et Psalm. 75. *Dormierunt somnum suum, &c.* Posterior autem pars, *Et expectatio sollicitorum, seu diuitum, seu diuitiarum, seu vanitatem peribit*, clarior quaedam prioris explicatio est. Et sane ad liberalitatem suadendam nulla est violentior ratio quam passim scriptura, & Patres vsurpant ad avaritiam compescendam.

32 **L**ectionis autem Septuaginta haud dispar sententia est. *Mortuo homine iusto non perit spes: gloriatio autem impiorum peribit.* Gloriationis nomine factum intelligit, qui ex opulentia proficiscitur. Itaque ait iustus homo, qui scilicet bona iuste parata liberaliter distribuit, non amittit, sed potius praemittit: ut pote, qui thesaurizat in caelo. *Vbi non arugo aut tinea demolitur, nec fures effodiunt, &c.* Atque ad eum cum ex hac vita migrat, spes illius non perit sed potius id, quod diu sperabat, tandem capessit. Auari autem, & sordidi diuitis tota expectatio, seu gloriatio frustrata interit: quia cum suam omnem spem in diuitias contulisset, his pereuntibus, spes etiam pereat necesse est. Cum autem eiusmodi sententiae adeo sint vulgares, & trita, frustra in illis illustrandis laborem.

VIII. Iustus de angustia liberatus est: & tradetur  
impius pro eo.

**I**ustus de angustia liberatus est. Hebraeus concin-  
nit. Septuaginta paulo aliter. *Iustus de captu-  
ra exit.* Symmachus, & Theodotion hærent no-  
stræ vulgatæ.

*Et tradetur impius pro eo.* Hebraicè, & *uenies  
seu ingreditur impius pro eo.*

34 Triplex occurrit huius loci interpretatio. Pri-  
ma est Bedæ, & Hugonis. Iustus quidem ab an-  
gustia, cruciatu, & labore eripitur tandem Dei au-  
xilio, & impius in angustias, & cruciatus venit,  
pro eo, causaliter, inquit Hugo, id est, causa illius  
nimirum ob illum afflictum, & cruciatum. Quid  
certius?

Secunda interpretatio est Caietani, & Iansenij,  
qui docet Salomonem perspicue talionem im-  
probis iustorum tortoribus minari ad hunc mo-  
dum. *Iustus de angustia liberatus est,* & mira Dei  
providentia fit, vt tradatur impius pro eo, id est,  
vti malum illud, quod iusto parauerat, ipse sub-  
ire cogatur: exemplo sane Aman, qui pro Mardo-  
chæo in crucem actus: & accusatorum Danielis,  
qui pro illo in Leonum vngues, & lanienam ven-  
erunt: & senum mendacium, qui pro Susana la-  
pidati sunt. Itaque Salomon talionem eorum,  
quæ aduersus iustos improbi moliuntur, illis obii-  
cit. Et quidem vetus Augustini admonitio est lib.  
3. de Ciuitate Dei cap. 20. tum maxime constare  
pœnam, & supplicium à Deo immitti, cum est reta-  
liatio damni illati: quia diuinæ prospicientiæ im-  
primis elucet vis, atque consilium, cum paria pa-  
ribus refert.

35 Tertia denique expositio vniuersalem magis sen-  
tentiam offert ad hunc modum. Iustus quidem af-  
flictiones, angores, & labores plurimos assiduo  
exhaurit (quotquot enim honestatem sectantur  
& pie in Christo viuere volunt, tribulationes pa-  
tiuntur) sed ab his tandem ereptus recreatur, &  
reficitur. *Impius vero tradetur pro eo,* id est, vice  
versa post fœlicitatem supplicia subire cogetur.  
Dicitur autem tradi pro eo, quia ex morte, vbi  
tribulatio, & afflictio iusti desinit, cruciatus im-  
probi initium capit. Hanc expositionem sequi-  
tur Rodolphus.

Cæterum lectio Septuaginta ad aliam nos comp-  
pellit: ita enim habet. *Iustus à captura exit* sic leg-  
git textus correctior. Complutensis autem sic ex-  
tulit. *Iustus à captione liberatur: pro eo autem tradetur  
iniquus.* Pro captione autem est *ex iniquis* scilicet  
ex venatione *de venatione* id est, fera. Succedat  
autem memoriæ id, quod dicitur Ecclesiastic. 13.  
*Venatio Leonis onager in eremo: sic & pasua diui-  
tum sunt pauperes.* Ergo Salomon ait. *Iustus à ven-  
atione liberatur,* id est, cum diues venandis, captan-  
disque pauperibus assiduo studeat: iustus quidem  
illius insidias & laqueos effugiet: impius autem di-  
ues venari volens ipse venabitur: tradetur quippe  
alteri ditiori in prædam: atque adeo in malum il-  
lud incidet, quod iusto moliebatur. Quod quidem  
erudita piscium similitudine descripsit Basilus  
hom. 7. in Hexameron: *In mari (inquit) piscis mi-  
nor esca maioris est, etsi vniquam enenerit, vt is, qui  
minorem superauerat, alterius præda fiat, ambo simul  
deglutiuntur, & vna in vltimi piscis immersi ven-  
trem ingrediuntur. Quid quaeso nos homines aliud agi-  
mus cum vim asserimus in ferocibus? &c.*

**A**. Simulator ore decipit amicum suum: iusti autem  
liberabuntur scientia.

**S**imulator ore decipit amicum suum. Hebraicè: *in  
ore hypocrita corrumpet sodalem suum.* Septua-  
ginta: *In ore impiorum laqueus cibus.* Aquila,  
Symmachus, & Theodotion: *In ore hypocritarum  
corrumpet amicum suum:* scilicet impius, qui proxi-  
mè præcesserat. Chaldaeus. *Ore dolosus nocet amico  
suo.*

*Iusti autem liberabuntur scientia.* Hebraicè: *In  
scientia iusti eruentur.* Septuaginta: *Sensus autem iu-  
storum prospere procedens.*

Hæc verba luculenta sunt. Per *simulatorem* Bedæ,  
Hugo, & Iansenius *Hæreticum*: Lyra, & Rodolph.  
*adulatorum*: reliqui quemlibet in vniuersum frau-  
dulentum delusorem accipiunt. Vnde triplex euadit  
interpretatio satis facilis. Prima ergo, quæ hæ-  
reticis tradit ista verba, accommodatitia est. Lege  
Bedam. Secundam, quæ adulatori eadem tribuit,  
sic accipe: *Simulator ore decipit amicum,* id est, a-  
dulator amicitiam ore simul fallit amicum suum:

*Iustus autem scientia sua liberabitur,* id est, fraudes  
illius agnoscat, atque vitabit: virtus enim scien-  
tiam, hoc est, discretionem, aut discernendi periti-  
am parit. Antonius Monachus in Melissa cap. de  
adulatione, sic habet: *In adulatione velut in sepul-  
chro numentantum amicitia inscriptum est.* Loqui-  
tur autem (ni fallor) non de sepulchris, vbi defun-  
ctorum cadauera deponerentur, sed de cenotaphijs.  
Sunt autem cenotaphia sepulchra vacua: in quibus  
scilicet nullæ defuncti cadaveris reliquie suberant:  
tamen ad gloriam illius erigebantur ab amicis, ac  
familiaribus: ac perinde defuncti nomen præfere-  
bant, ac si cadaver illius ibi lateret: quorum multa  
olim fuisse certum est. Videndus est Gruterius de  
funeribus, Ergo ait Antonius, *In adulatione velut  
in sepulchro,* id est, tanquam cenotaphio, & vacuo  
tumulo, *nomen amicitia inscriptum est.* Quasi di-  
cat: sicut cenotaphium sepulchri veri speciem of-  
fert, & defuncti nomē inscriptum habet: cū tamen  
nihil illius ibi subfit. Ad eum modum adulatio a-  
micitiam præ se fert (liceat sic dicere) ex super scri-  
ptione amicitiam in animo adulatoris latere si-  
gnificat cū tamen vacuo, vt ita dicam, animo nihil  
amicitiæ in illo deliteat. Nō abijt Psaltes ab hac sen-  
tentia Psal. 5. vbi cenotaphium quoddam plane de-  
scripsisse videtur. *Quia non est in ore eorum veritas, cor  
eorum vanum est.* Hieronymus *vacuum est.* Subdit:  
*Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolose  
agebant.* Hieronymus verò sic extulit: *Sepulchrum  
patens guttur eorum, & lingua sua lenificabant,* id  
est, *adulabantur.* Per sepulchrum verò patens, non  
aperitū intelligo: sed quod exterius tale esse pate-  
bat, & speciem sepulchri exhibebat. Ergo ad hunc  
modū ore suo decipit adulator, quia amicitiam, quasi  
alte defossam in animo esse ore suo profiteretur: &  
tamen inde longissime abest.

38 Ab hac autem adulatoris fraude iustus per scien-  
tiam, & discretionem liber euadit. Profecto adu-  
latio mentem hebetat. Chrysostomus in Policratio  
de vestigijs Philisoph. lib. tertio. *Adulator (inquit)  
non desinit, donec aciem obtundat acumen, & modi-  
cum illud luminis, quod adesse videbatur, exstinguat.*  
Accedit Seneca: *Pro sua quæque portione adulatio in-  
fatuat.* Item Chrysolog. qui ita scribit: *Eliminat à  
palatiis adulatio veritatem. Illi solum in magistra-  
tuum gratiam admittuntur, qui palpant blanditijs, &*

36

Anton.

37

Ps. 5. n. 10.

Hieronym.

38

Chrysost.

Seneca.

Chryso log.

*aures fame bibulæ calice Babylonis inebriant. Bene cum magistratibus ageretur, si scirent inter adulationem, & laudem distinguere.* Ex quibus liquet mentis acumen adulationibus hebescere: atque adeo summæ cuiusdam peritiæ esse inter amicitiam, & adulationem, inter veras laudes, & blandimenta discernere. Salomon ergo eiusmodi peritiam iusto tribuit, cum ait: *Iusti autem liberabuntur scientia,* hoc est, per suam scientiam, & discernendi vim fraudes adulatorum vitabunt.

Tertia interpretatio de dolis, & fraudibus in vniuersum verba ista edisserit ad hunc modum: *Simulator ore decipit amicum,* hoc est simulator verba dat, fallit, decipitque amicitia nomine: *Iustus vero liberabitur scientia sua,* id est, per scientiam, & peritiam suam technas, & dolos illius effugiet. Obserua vocem illam *scientia sua,* quæ significat iustum non dolos dolis, & fraudes fraudibus eludere (quod alij solent) & sibi integrum esse cecinit Poëta, cum ait.

*Iudice me fraus est concessa repellere fraudem.*

Fraude scilicet. Non ita iustus, sed per scientiam, & peritiam dolos, & fraudes fugit.

Lectio Septuaginta sic habet: *In ore impiorum laqueus ciuibus: sensus autem iustorum prospere procedens.* Quæ quidem non dissimilem sensum reddit, id est, os impiorum verbis suis laqueos instruit conciuibus, id est, proximis. Iusti autem sensu præditi inter eiusmodi laqueos immunes pergunt, & eorum technas feliciter superant.

X. *In bonis iustorum exultabit ciuitas: & in perditione impiorum erit laudatio.*

**I**n bonis iustorum exultabit ciuitas. Hebraicè, in bonitate, id est, in secunda iustorum fortuna. Ex antiquis codicibus aliqui habent, *exultabitur ciuitas:* sed mendum hoc eluerunt Biblia Vaticana. Symmachus ad numerum multitudinis retulit, scilicet *letabuntur ciuitates.*

*Et in perditione impiorum erit laudatio.* Hebr. *Et pereundo impios oratio,* aut *cantus.* Hanc sententiam anteuertunt Septuaginta, & eam post illa verba: *vbi autem humilitas, ibi sapientia,* subnectunt ad hunc modum: *Moriens iustus relinquit penitentiam (Complut. penitentem) facilis autem, & iucundus fit impiorum interitus.* At inquires, hæc cum vulgatis non coherent omnino? Non inficior. Caterum vt supra adnotauimus vers. 7. cum in hoc libro plures parabolaë duarum partium antithesi consent, Septuaginta multa loca sic conuertunt, vt sine sententiæ iniuria antithesis clarior sit. Quapropter quemadmodum in eo loco, vbi nos habemus: *Mortuo homine impio nullæ erit ultra spes: & expectatio solitorum peribit:* ipsi quidem transulerunt: *Mortuo viro iusto non perit spes: gloriatio autem impiorum peribit:* quia sic luculentior est oppositio duarum partium: sic etiam in hoc loco ob eandem rationem pro illis verbis: *In bonis iustorum exultabit ciuitas: & in perditione impiorum letabitur:* ipsi addunt: *Moriens iustus relinquit penitentiam, &c.* nam & sic etiam antithesis clarior est.

Sensus vero huius loci perspicuus est. Salomon ergo vt honestatis amorem immittat, affirmat eam vulgò coli, & magni haberi ab hominibus: qui quidem viris iustis beneuolunt, cuncta fausta, & prospera præcantur contra vero impios, & sceleratos inuisos habent: atque adeo ipsis pereuntibus, ac decedentibus ouant, atque gestiunt. Itaque ait: *In bonis iustorum exultat ciuitas,* id est, quotiescūq; aliquid prospere, & ex votis ipsis suc-

cessit, tota præ gaudio exilit ciuitas, vniuersus populus gratulatur: *Et in perditione impiorum erit laudatio:* cu v scilicet impij pro meritis suis male pereunt: tota similiter ciuitas in laudes erumpit, nempe Dei (vt explicat Hugo) qui iuste in illos perniciem, & exitium induxit. Vel vt est in originibus: *In perditione impiorum erit cantus, vel oratio* id est, præ gaudio cuncti occinent (etsi fas est dicere) triumphabundi ouabunt. Et sanè non paruos aculeos ad virtutem capessendam addit populi acclamatio. & plausus: sicut etiam non minimum odium vitij mittit eiusdem populi detestatio. Item honestatem, & virtutem popularis plausus valde commendat. Nam si populus in vnam, & eandem vocem conspiret oraculo similis est talis vox, & vt docet Aristot. li. 5. Moral. 1. constantem quandam veritatem habet similem illi, quam responsa diuina continent.

*In perditione impiorum erit cantus.* Non inepte huc accersimus legem quandam Solonis: qui cum Rythmis, & cantilenis vulgaribus materiem offerret, præcepit, vt Deorum, Heroum, atque piorum hominum decantaretur fœlix vita, aut improborum infœlix carmine irrideretur. Sic tradit Hotomannus. Ergo ait Salomon: *Et in perditione impiorum erit cantus,* id est, interitum impiorum omnes cantu prosequuntur. Deinde cantum securitatis cuiusdam ab omni metu immunis esse docuit Ambrosius, qui adducit vetus illud Poëtæ effatum:

*Cantabit vacuus coram latrone viator.*

Adde etiam Aristotelem qui docet, vocem metu intercipi, atque intercludi: securitate item solui, & laxari. Locum, & verba alibi dedimus. Ergo cum ait Salomon impiorum interitum cantum totius ciuitatis consequi, satis perspicue innuitur, sublato homine impio, qui vi sua cunctos exturbabat, & terrorerat, pacem, & securitatem Reipublicæ euenire: qua qui fruuntur, modulatijs & effusius cantare solent.

Septuaginta interpretes (vt iam inde admodum) aliter extulerunt ad hunc modum: *Moriens iustus relinquit penitentiam: facilis autem, & iucundus est impiorum interitus.* Quasi dicat, in obitu iusti cuncti ex animo dolent, atque mœrent. Vnde ex Imperatoribus aliquis, vt est apud Vopisc. iussit Præficas à suo funere omnino arceri: *Nam se probus (inquit) sui & de republica bene meritus, cuncti lacrymis decorabunt funus meum: sin vero improbus, & tyrannus, etiam conductitijs lacrymis, luctuque haud dignus ero.* Ad hæc in sacris literis totum populum Moyses, Aaronis, Iosue, & aliorum piorum hominum habitus, & funera luctu, & lacrymis prosequutum fuisse passim legas. Sed illud imprimis obseruatione dignum est, quod Deus Optimus Maximus præcepit Iosue 20. reos, & perfugas in ciuitatibus refugij tamdiu permanere: *Donec stet ante iudicium causa reddens facti sui, & moriatur Sacerdos magnus, qui fuerit in illo tempore.* At cur vsque ad obitum summi Sacerdotis libertas differatur? Occurrit ex Doctoribus Hebræis alter: quia nimirum Legislator in Sacerdotis summi morte, quæ pietate, ac iustitia ante alios instructum esse oportebat tantum populi totius dolorem, & mœroris fore credidit, vti doloris, ac mœroris magnitudo acceptarum iniuriarum obliuionem cunctis adduceret: atque adeo, tunc maximè reos liberos, & immunes proprias vrbes, domos repetere posse existimauit. Iam intelliges, quantum dolorem, quantas lacrymas vna iusti hominis mors haurire soleat.

Sed tamè ex aduerso: *Facilis est, & iucundus impiorum interitus.* Quasi dicat, leuis est, iusto & iucundus,

Vel certe facilis: dicitur Græcè *ωεγρεσς*, quod A  
scilicet in promptu, & ad manum est: quod facile,  
manibus expeditur. Itaque ait. Piorum quidem  
hominum inferiæ, & futura non facile expediuntur:  
nam & multo dolore, & magis etiam sum-  
ptibus constant, & temporis etiam non parum  
sibi vendicant: attamen impiorum interitus fa-  
cilis est, id est, funus illorum facile peragitur, ci-  
tius absoluitur, &c. Nec facilis solum est: sed  
etiam iucundus cunctis videlicet exultantibus, &  
gratulantibus.

XI. *Benedictione iustorum exaltabitur ciuitas: &  
ore impiorum subuertetur.*

43 **B**enedictione iustorum exaltabitur ciuitas: He-  
braicè: *In benedictione rectorum: reliqua conso-*  
*nant. Septuaginta: In bonis iustorum bene se ges-*  
*si ciuitas, & ore impiorum diruta est. Symmach. In*  
*bonis iustorum exultabunt ciuitates. Quidam etiam*  
*codices Græci extrema verba sic afferunt: Et ore*  
*impium diruetur ciuitas. Aquila Symmachus,*  
*& Theodot. deijcietur. Omnia in idem recidunt.*

Cum enim Salomon in superiori versu aperte  
docuerit, quomodo ciues erga probos, & im-  
probos animati sint: iam nunc quid ab utrisque  
commodi, vel incommodi ciuitates reportent,  
aperit his verbis: *Benedictione iustorum exaltabitur*  
*ciuitas. Benedictio quidem Hebr. ברכה Barecha:*  
*nonnumquam copiam, & vbertatem adsignificat:*  
*aliquando etiam orationem, & sermonem vtilem*  
*sonat. Igitur Septuaginta ad copiam, & vbertatem*  
*referentes locum istum sic expresserunt: In bonis*  
*iustorum bene se gessit ciuitas: quibus hæret etiã Cai-*  
*tanus. Sensus autem est eiusmodi, quando iusti af-*  
*fatim bonis omnibus abundant, & fortunati sunt*  
*(cum fere administratio sequatur fortunam) ipsi*  
*quidem imperia tractant: atque aded ciuitas recte*  
*se habet, foelix, & fortunata est: Ore autem impio-*  
*rum subuertetur: id est, impiis imperantibus, & ad-*  
*ministrantibus, ciuitas euertitur infœlix, & mis-*  
*era est. Et quidem nomine oris imperium notari*  
*alibi docuimus Iosue 1. Qui contraxerit ori tuo,*  
*& non obdierit, &c. Id est, qui contraierit imperio*  
*tuo. Item 3. Reg. 13. Inobediens fuit ori Domini,*  
*id est imperio, & sæpe aliàs. Quæ interpretatio*  
*valde mihi probatur: cum à nostra vulgata non*  
*abhorreat, & satis aptam, & concinnam senten-*  
*tiam reddat.*

44 Reliqui nomine benedictionis orationem, &  
sermonem vtilem notari volunt. Ex his ergo  
Hugo sic exponit: *Benedictione iustorum exaltabitur*  
*ciuitas, id est, iusto dicente, ac perorante ciui-*  
*tas à magnis sæpe calamitatibus eripitur, & in*  
*magnam fortunam asseritur. Adhibet exemplū in*  
*Bern. Gregor. & Leone Magno, quorum oratio-*  
*nibus, & sermonibus ciuitates magnæ seruatae sūt.*  
*Non omnino displicet: sed tamen accommoda-*  
*tior mihi videtur alia communior interpretatio,*  
*quam tradunt Iansen. Rodolphus, & alij ad hunc*  
*modum: In benedictione iustorum exaltatur ciuitas,*  
*id est, omnes iusti hominis rationes fere ad com-*  
*mune bonum spectant. Quapropter suis consilijs,*  
*ac monitis Reipub. felicitatē augere, & promo-*  
*uere solent: Ore autem impiorum subuertitur, id est,*  
*improbi maledicentia sua, vel prauis monitis, &*  
*consilijs pernitiæ Reip. adducunt, dū turbas exci-*  
*tant, & seditiones mouent. Et quidē haud scio, an*  
*aliquid ad euertendas, & delēdas fortissimas vrbes*  
*magis validū sit, quā lingua effræta, & maledica.*  
*Eccles. 18. Lingua tertia multos commouit, & disper-*

45 *sit illos de gente in gentem, ciuitates maturatas diuini*  
*destruxit, & domos magnatorum effodit, virtutes po-*  
*pulorū concidit, & gentes fortes dissoluit. Audiendus*  
*etiam est Sophocles in Phædra, vbi ita ait.*

*Nunquam sanè tuta potest esse ciuitas,*  
*In qua ius, & modestia omnis*  
*Pedibus calcatur, & loquax aliquis*  
*Accipiens malignos manibus stimulos*  
*Regit ciuitatem.*

Itaque loquacem hominē Rebus publicis mode-  
rādis ineptū, imo perniciosū esse tradit Euripides.  
Nil certius, quia loquacitati comes est secreti re-  
uelatio, detractio, proditio, & innumera alia lingue  
vitia quibus læditur pax, & societas soluitur, qua ci-  
uitates stabiliuntur. Et quidē non modo lingua im-  
proba ad vrbe aliquā etiam fortissimā euertendam  
satis est. Audi Plutarch. in Moral. *Vnius lingue do-*  
*lo, & proditione vrbes conciderunt, regna, Respublicæ:*  
*Nec solū regna, & Respublicas magnas lingua vna*  
*euertit: sed audeo dicere ad totum late mundū de-*  
*bellandū, & euertendū vna lingua satis est. Vnde,*  
*& quorsum? Quia D. Iacobus in sua Canon. c. 3.*  
*Lingua (inquit) vniuersitas iniquitatis. Græcè pro*  
*vniuersitate est κόσμος, id est, mundus. Itaque ali-*  
*aliqui cōuertunt: Lingua mundus iniquitatis. Ergo*  
*cum lingua vna malitiæ, & nequitie mundum co-*  
*hibeat, vtique ad mundum debellandum totum, &*  
*subuertendum nequitie, & malitiæ mundus satis*  
*fore videtur. A qua sententia non abit interpreta-*  
*tio Chaldaica, Eccles. 9. quæ pro illis verbis: Qui*  
*in vno peccauerit, perdet bona multa, transtulit: Qui*  
*verbo peccauerit, occasionem præbet, vt auferatur, vel*  
*perdatur magnum bonum de toto mundo, id est, in lin-*  
*gua impij non vrbes solum, Respublicæ, regna, im-*  
*peria: sed etiam totus late mundus periclitatur.*

XII. *Qui despicit amicum suum, indigens corde est:*  
*vir autem prudens tacebit.*

46 **Q**ui despicit amicum suum indigens corde est.  
Hebr. *Despiciat socium suum earens corde. Se-*  
*ptuag. Subsannat ciues indigens corde. Aquila, Sym-*  
*machus, & Theodotion, spernit. sicut nostra.*

*Vir autem prudens tacebit. Hebr. Vir prudentia-*  
*rum tacebit. Sept. Vir autem prudens silentium ducit.*

Cum præmiserit Salomon linguam vnam sub-  
uertendis magnis vrbus, & Rebus publicis profligandis  
satis esse: subdit vnum, aut alterum petulā-  
tis lingue vitium ex his, quæ pacem, & concordiam  
lædunt: *Qui despiciat amicum suum, indigens corde*  
*est, id est, qui præ contemptu irridet, aut probris,*  
*iniuriisque laceffit proximum, vel conciuem suū,*  
*is plane deficit mente, & consilio: sic vulgus inter-*  
*pretum. Hugo Cardin. sic expendit: quicum-*  
*que dispicientia proximi illi vitia sua temere ob-*  
*ijcit, & seuerius illum obiurgat, probris, male-*  
*dictisque proscindens, indigus cordis est: caret*  
*scilicet cordis commiseratione, compassione, &*  
*lenitate, qua proximorum vitii succurrendum*  
*esse docet Paul. ad Gal. 6. Fratres si quis vestrum*  
*præoccupatus fuerit in aliquo delicto, eiusmodi in-*  
*struite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne*  
*& tuleris. Pior expositio aptius cadit: At-*  
*textit:*

*Vir autem prudens tacebit. Non vna interpre-*  
*tum mens circa istud hemistichium. Caietanus sic*  
*exponit. Vir quidem prudens cognitis proximi vi-*  
*tiis non statim succenset, atq; exprobrat: sed celat,*  
*obtegit silentio, & si ita opus est, corripit secre-*  
*to. Consonat Iansenius, & Rodolphus Hoc verū*  
*non cuiuslibet prudentiæ esse dicunt, sed immensē.*

Josue 1.  
num. 16.  
3 Reg. 13.  
num. 26.

Bernard.  
Gregorius.  
Leo Mag.

Eccles. 29.  
num. 16.

Sophocles.

45

Euripid.

Plutarch.

Iacob. 3.  
num. 6.

Eccles. 9.  
num. 18.

46

Ad Gal. 6.  
num. 1.

Vnde originalis habet: *Vir autem prudentiarum, aut intelligentiarum, ut puta, in quo multiplex est intelligentia, & prudentie cumulus, ut ait Rodolphus. Ideo autem prudentia illius, qui amici sui delicta celat, operiturque silentio, tanto pere extollitur: quia linguam, equum alioqui peruicacem, calcitrantem, & sternacem, freno rationis coercere ingentis peritiae, atque prudentiae est.*

47

Sed tamen licet haec expositio non omnino mihi displiceat: perplacet tamen alia, quam sequitur Hugo ad hunc modum: *Vir autem prudens tacebit, id est, qui laceffitus probris, & ludibrijs ab alio petiturus non oloquitur, sed silet, & verba opprimit erumpentia: is sane prudentia ad miraculum instructus est. Quanta autem demetie, & stultitiae sit maledicta, & probra ab alio accepta regerere docet Basiliius in ho. de ira, ubi similitudine echo duos inducit: alterum probra iactantem: alterum velut ex re pecculsi, & refractione reddentem: *Nec enim (inquit) sic in locis desertis echo in ipsos clauantes intepellat, in fringitur, sicut in hominem iniustum, & contumeliosum, ab alio item contumelioso, & iniusto contumelia reuertitur: imo sonus quidem illic idem redditur: contumelia vero augmentata recurrit. Nam si inter litigantes forte conuicia dicuntur: primus quidem obscurum hominem, & ex obscuro venientem loco probrose vocat: alter vernam, & ex vernis regerit.**

D. Basil.

*Hic pauperem, alter mendicum: hic indoctum, alter stupidum appellat: denique sic durant, donec conuicia, sicut sagitta deficiunt. Itaque Basil. eam qui maledicta, & probra reciprocatur, echo similem esse dicit: atque adeo amentem, & vecordem: sic enim echo appellauit Homerus: *Stultam imaginem, & sine mente vocem, apud Suidam. Est enim fatua eiusdem vocis iteratio, seu redditio. Quid enim stultius, & a ratione alienius, quam conuicia in se coniecta per fatuam repetitionem echo ad instar reddere?**

Chryso.

48

Contra vero Chryso. de compunctione cordis lib. i. alterius iracundiam, & iniurias sustinere, nec vicissim maledicta regerere summae cuidam prudentiae tribuit his verbis: *Nunquid simile est ab alio tibi ingestam iracundiam faciem tolerare, nec succendi: & nullo instigante quiescere, & silere: minime vero. Illud enim ferre posse, hoc est, alterius iracundiam, & silere summae Philosophiae est: quod autem tu non inflammaberis frustra ad iracundiam, laus quidem nulla est, quod non irasceris sine causa. Si vero irasceris inaniter, hoc est, sine causa, summa cuiusdam vacuitatis, & stultitiae est.*

D. Basil.

Quapropter D. Basiliius in ea hom. de ira ad hunc modum eleganter suadet: *Noli ergo malam ferre gratiam, neque malum tuum restitutor esse: contumelia intulit iratus vince, amoueque scientiam malum. Tu vero contra facis, qui velut vndam fluentem illius iram in cordis penetrantia suscipiens, ventos imitans contra flantibus aduersis resistentes. Noli tuo aduersario pro magistro uti, nec quem odio persequeris, hunc emulari, nec fieri veluti speculum iratis velis illius formam in te ipso representas. Rubicundus est ille ob iram? Tu minime ruborem praeferas: illi sanguinet oculi: tu quiete, & cum gravitate aspicias. Vox illi asper ad tibi mitis, & blanda, imo potius nulla. Sile scilicet. Nam Salomon ait: *Vir autem prudens tacebit: nimirum cum contumelias affectus, & iniurijs laceffitus fuerit. Obserua**

D. Basil.

*illa verba Basilij: Nec fieri veluti speculum irati velis. Sane prudentem virum sic veteres pingebant (ut tradit Arnold. contra gentes) manu altera anguem, & altera speculum tenentem. Itaque prudens vir non fieri speculum aliorum: sed magis alios ipse pro speculis habere debet. Quosnam scilicet? D. Gregorius Nazianzen. in poemate de ira, ne homo aduersus iratum, & contumeliosum iram suscipiat,*

Tom. i.

*& contumelias regerat, suadet, ut quis aduersario suo pro speculo utatur. Itaque non speculum eius fieri, sed ipsum pro speculo habere docet Gregorius: in quo nimirum turpes irati hominis motus, & gestus indecoros contempletur: atque adeo caueat, & in semetipso corrigat. Subdit Salomon.*

XIII. *Qui ambulat fraudulentem, reuelat secretum, qui autem fidelis est, celat amici commissum.*

**Q**ui ambulat fraudulentem, reuelat secretum. Hebraice: *Ambulans delator reuelat secretum.* Alij detractor. Hebraice רביל *Rachil*, a verbo *Rachal*, quod est mercari, aut negotiari: vel potius merces deferre. Itaque *Rachil* negotiatorem, institutorem, ac delatorem mercium proprie significat. Per translationem autem cum notat, qui uti mercator lucri causa merces, sic ipse verba hinc inde asportat. Sed tamen de vi huius vocis postea non nihil dicam. Septuaginta: *Vir bilinguis reuelat confilia in confessu.* Aquila, *arcantum.* Symmachus, *mysterium, aut secretum.*

49

*Qui autem fidelis est, celat amici commissum.* Hebraice: *Fidelis spiritu operiens verbum.* Septuaginta: *Fidelis autem spiritu abscondit res.* Aquila, & Symmachus: *Fidelis autem spiritui.* Symmachus ite extrema illa verba, *abscondit res*, sic extulit, *custodit verba.* Chald. integram sententiam sic expressit: *Qui accusator est, aperit secretum, & qui fidelis est, in spiritu suo celat secretum.*

Licet omnes interpretes vnanimi consensione doceant locum istum de secreto temere violato, & caute seruato capiendum esse: tamen non eodem modo sensum illius conformant Hugo Cardinal. alteram expositionem tradit ad hunc modum: *Qui ambulat fraudulentem, reuelat secretum, scilicet suum, id est, qui astute, & callide agit, ipsemet multis argumentis, & documentis malum, quod animo suo versat, prodit. Ea enim est mendacij, & fraudis natura, ut multis signis sese manifestet: Qui autem fidelis est, id est, verax & syncerus, celat amici commissum. Quasi dicat (expende vim) qui fraudulentem agit, ne tuas quidem fraudes, & vitia celare, & dissimulare potest: qui autem candide, & sincere, non sua solum, sed etiam aliena dissimulat, atque tegit. Veruntamen haec expositio aliquam vim textui afferre videtur.*

Non minus, imo magis violenta est interpretatio Caietani, quae sic habet: *Explorator reuelat secretum, & fidelis spiritus tegit.* Notat autem vocem illam *spiritus*, esse in gignendi casu. Ita discrimen esse dicit inter fidelem spiritus, & fidelem verborum: ille enim fidelis est verborum, aut in verbis; qui ea, quae accipit ab alio, silentio tegit: ille autem est fidelis spiritus, qui si quos motus animi, & si quas intentiones cordis amici sui ex verbis, vel aliunde aucupari potuit, eas etiam celat, atque obtegit. Ait ergo: *explorator, id est, qui curiosius aliena discit, & disquirat: is secretissima quaeque aperit, & palam facit. Qui autem fidelis est spiritus, tegit rem, id est, qui rem amici sui arcanam omnino seruare vult, non modo fidelis est circa verba, quae ab ipso accepit, ea celando: sed etiam circa intentionem, & intimos animi motus, quos videri cumque venari potuit, eos opprimendo. Iam vides quas salebras ineat Caietanus, ut a vulgata discedat,*

Restat interpretatio Iansenij, & Rodolphi, qui putant Salomonem discrimen assignare, quod fidelem inter, atque infidelem amicum intercedit. Itaque ait: *Qui ambulat fraudulentem, reuelat secretum,*

Mm iiii

id est, quicumque arcana amici sui mysteria aperit, non amicus, sed infidus delator potius, & criminator est: *Qui autem fidelis est, celat amici commissum*, vel ut est in originibus, *fidelis spiritus*, id est, qui ex animo fidelis est. Quasi dicat, ille solum verus, atque fidus amicus est, quicumque secretum sibi traditum suppressere potuit. Vel aliter *celat commissum*, id scilicet, quod amicus commisit aut deliquit ipse tegit, atque opprimit. Hæc sanè est vera, atque germana huius loci intelligentia. Sed tamen expendo verba singula, quæ si penitiùs rimentur, non nihil boni sensus fortasse offerent.

*Qui ambulat fraudulenter.* In Hebreo est: *Qui ambulat רכיל Rachil*, hoc est, delator aut accusator: non solum in hoc loco delatori adiungitur verbum ambulandi: sed etiam alibi. *Leuit. 19. vbi nos habemus: Non eris criminator, aut susurro in populis: si verbum ex verbo reddas, sic est efferendum: Non ambulabis delator in delatione in populis tuis.* Hierem. 6. n. 28. & 9. n. 4. Rationem autem obtulerunt Rabi Salomon, & Rabi David. Quia criminatores, & susurrones hinc inde per domos, & per fora discurrunt, vt explorent si quid alicubi mali geritur, aut dicitur, vt illud subinde ipsi multis narrent. Vel aliter: ideo cum verbo ambulandi copulatur illud nomen, quia detractio & criminatio his maximè familiaris esse solet, qui otiose agentes fora, & compita assiduo obambulant, qui vulgo appellantur *Passantes*: nam hos præ cæteris detractio studere compertum est,

Rursus ad trutinam vocanda est vox illa *Rachil*, de qua non pauca radicum Hebr. icarum astimatores. Plerique ergo docent fluere à protothematate *Rachal*, id est, *mercari*: atque adeò propriè institorem, aut mercatorem notare: per translationem vero amicum infidelem, qui socij sui arcana aperit, & in vulgus spargit. Imprimis enim amicus fidei expers eleganter cum mercatore, & negotiatore componitur: hic enim lucris, & emolumentis suis studet; ille etiam suis: nihil autem est magis veræ amicitia aduersum, quàm boni, commodique proprij studium. Nam cum amicitia proprium sit alteri bene velle, bonaque illius, & commoda, quatenus illius sunt, auidius quærere, quicumque proprijs commodis, & emolumentis auide studet, non potest amicitiam colere. Aristoteles libro octauo Ethicorum capite quarto, in amicitia quandam commutationem excogitauit similem ei, quam in contractibus adhibent mercatores. Est enim inter amicos quiddam commutatiua iustitiæ ad simile: scilicet Do, vt det: dat enim quis amorem, & amorem similiter reportat. De his vero, qui commodi, atque utilitatis gratia, tanquam mercatores lucri studiosi adamant, sic Aristot. *Qui non voluptatem in amoribus, sed utilitatem commutant, hi & minus sunt amici, & minus permanent. Nam qui sunt ob utilitatem amici, simul cum utilitate dissoluntur.* Obserua illud: *sed utilitatem commutant.* Est enim hic modus dicendi ad contractus pertinens. Et infra c. 6. eandem loquendi formam vsurpat. *Eadem (inquit) ab utriusque sunt, & sibi mutuo volunt, aut aliud pro alio, & utilitatem pro voluptate commutant. Dicitur autem est has minus amicitias esse minusque permanere.* Concinit Seneca in lib. 2. de beneficijs, vbi de his, qui ob utilitatem, & commodum adamant, sic addit. *Qui vero lucri, & utilitatis gratia amici sunt, non donant, sed vendunt amores suos.* Aptè igitur eiusmodi amici, qui lucra ex amore quarunt, cum mercatoribus, & institoribus componuntur. Addit Aristotel. eius lib. ca. 12. *Est amicus,*

A *qui accipere dignum esse censet, aut æquale, aut plus, quasi non dederit amorem: sed permutauerit, atque si non, vt commutauerit, solutio fit, incusabit, &c.* Et sane illi amici, qui commoda sua amore mercantur, multa quotidie diffidia, & querelas ineunt. *At in amicitia (inquit Aristot.) que utilitatis gratia constat, locum accusationes habent, atque querela.* *Nam cum sibi mutuo pro utilitate vtantur, semper indigent pluribus, & minus, quam oportet, se habere putant, & queruntur ex eo, quod non tot assequuntur, quot indigent, cum sint digni.* Iam intelliges quam accommodate infidelem amicum *Rachil*, id est, mercatorem, ac negotiatorem appellet scriptura: ac rursus eos amicos, qui ea ratione mercatorum in morem lucris suis atque emolumentis inhiant, querulos esse, accusatores, detractores, & delatores, apud quos nullum secretum tuto collocatur: qui nullum amici vitium silentio contegunt.

Sed nostræ coniecturæ accedant aliorum alia, atque alia, qui vim huius nominis רכיל *Rachil* expendent non insulas præfatæ etymologiæ rationes obtulerunt. Pagninus enim in thesauro sic ait: *Vt negotiator multas habet species mercium, quas ab aliquibus emit, & alijs vendit: itidem detractor verba hinc, & inde collecta, & audita, alijs refert.* Consonat Rabi Abraham, qui ita scribit: *sicut mercator, quod ab vno emit, alteri vendit: ita detractor, quod ab aliquo audiuit, alteri reuelat.* Vbi obserua discrimen, quod inter mercatorem, & alium quemlibet, qui merces comparat, intercedit. Hic enim ea ex omnibus rebus comparat, quæ vsui suo satis futura sunt: mercator autem emit, vt postmodum repetita venditione in alios transferat: atque adeò ex qualibet mercium specie magnam vndecumque vim comparat, & merces suas vulgò exponit, atque aperit. Non alia delatoris secreta propalantis, & eius, qui arcana seruat, differentia est: hic enim quæ discit ab alijs, sibi quidem discit: atque adeo ea solum quærit, quæ sibi, atque vsu suo opportuna sunt, reliqua non curat. Ille vero non sibi solum addiscit: sed etiam vt alijs diuendat, vt scilicet alijs, atque alijs narret: atque adeo omnes vndecumque rumores captat, omnes fabulas cogit, comparat. Aptè igitur Salomon. *Qui ambulat mercator, reuelat secretum*, id est, qui more mercatoris discurret non sibi arcana comparans, sed etiam alijs: is secretum euulgat, &c.

Sunt etiam ex Hebræis, qui vocem istam *Rachil*, non tam à verbo *Rachil* fluere putant, quàm à verbo רכיל *Ragal*. Nam litteræ *Caph.* & *Gimel* permutabiles sunt inter se. *Ragal* autem est, detrahere, accusare, aut deferre: quam coniecturam non omnino repudio. Denique alij (quia vox רכיל *Rachil* ab eadem radice aromatarium propriè adsignificat: cum scilicet, qui aromata, & pigmenta condit, ac vendit) delatorem, & secreti reuelatorem, non quidem cum quolibet in vniuersum mercatore, sed cum eo, qui aromata, & pigmenta vendit, conferri putant. Nec immerito: quia sicut is merces suas celare non potest, quia ipsa met odore suo, vel à longe se produnt: sic etiam delator ille consilij expers, & tacendi impos nihil suppressere, atque arcanum seruare valet: sed ipse quodammodo res, quascumque nouit, vltro se se profertur. Vel aliter: quia fama & bonum cuiuslibet conferri solent: iuxta illud: *Melius est bonum nomen, quam unguenta pretiosa.* Detractores ergo isti, aut delatores aptissime cum vnguentarijs, & aromatatum venditoribus componuntur: quia famas aliorum omnibus vnguentis pretiosiores exporunt, venundant, & licitantur. Subdit Salomon.

Leuit. 19.  
num. 16.  
Hier. 6. n.  
28. & 9.  
num. 4.

52

Aristot.

Seneca.

53

Arist.

54

Rab. Abr.

55

36

*Qui autem fidelis est, celat amici commissum.* Septuaginta & primitiua: *Fidelis autem spiritu abscondit res.* Quorsum hæc? Vtique fidelis spiritus dicitur, qui ex animo fidelis est. Sunt enim nonnulli, qui fidem suam foris adstruunt, & cum palam se fidissimos profiteantur, parum fidelem animum claudunt. Et hi quidem occasionem nacti per summam infidelitatem amicorum arcana mysteria referare solent. Ergo fidelis spiritus est, qui vere, & ex corde fidem colit, ac seruat. Id sibi voluit Thargum, cum ita transtulit: *Qui autem fidelis est in spiritu suo, celat res.* Non præteruolanda est lectio Aquilæ, & Symmachi, quæ ita habet. *Qui autem fidelis est spiritui, custodit verba,* id est, qui suo ipse spiritui, vel animo fidelis est. Sunt qui hoc ad veritatem referant. Quasi dicat: *Qui fidelis est spiritui suo,* id est, verax, qui ea fideliter dicit, ac profert, quæ animo seruat: sed tamen hoc parum ad rem. Profecto fidelis spiritui, id est, animo suo dicitur, qui arcana seruat: quia ea, quæ in animo tuto latent, palam dicere, & in vulgus spargere quoddam est prodicionis genus aduersus animum. Animus enim non secus ore aperto proditur, quam verba aliqua ostio referato, vt alibi à me recitata Ambrosii sententia fert. Vel aliter, qui secreta non violat, *fidelis spiritui* dicitur, id est Spiritui sancto: quasi verò è contrariis, qui arcana amicorum palam facit, Spiritui sancto infidelis sit. Non abhorret ab hac sententia Pseudo Augustin. tom. 10. in serm. de silentio, vbi addit: *Loquaces arcana reuelatores Spiritus Dei sanctus odit.* Sed cur iniquis hi Spiritui sancto imprimis inuisi sunt? Sanè duplicem ob causam. Prior est, quia cum omnis honesta benevolentia, & amicitia Spiritus sanctus copuletur, atque societur (Spiritus enim sanctus, qui ex sua proprietate amor est, omnem animis bonum amorem, & concordiam inspirat) illud quidem imprimis odio habet, quod honestas amicitias dissoluit, ac dissociat. Nihil autem æque amicorum concordiam distrahit, sicut arcanorum, & secretorum reuelatio. Vnde inter alia, quæ amicitiam absque vlla spe futuræ gratiæ dirimunt, numerat Sapiens secreti reuelationem, cum ait: *Excepto conuicio, & plaga dolosa, & mysterii reuelatione: in his enim effugiet amicus.* Eccles. 22. & rursus cap. 27. *Quod si denudaueris absconsa illius, non persequeris post eum. Et sicut qui dimittit auem de manu sua, sic dereliquisti proximum tuum, & non eum capies: non illum sequaris, quoniam longe abest.* Posterior autem ratio est, quia spiritui sancto traditur denudatio secretorum, & arcanorum Dei, vt vel celet, vel reuelet pro arbitrio. Et quidem apte. Nam cum secretorum manifestatio ex amore proficiscatur (sic enim Christus Dominus ad Discipulos: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos: quia omnia, qua audiu à Patre meo, nota feci vobis*) iure optimo eidem personæ reuelatio secretorum tribuitur, cum dilectio etiam accommodatur. Item sicut Spiritus sancti est honestas amicitias adstringere, & copulare: ita etiam ad ipsum pertinet mutuum secretorum, & mysteriorum manifestationem inter amicos suadere, qua familiaritates, & amicitia imprimis aluntur, & confirmantur. Quapropter, qui commissum sibi ab amico secretum aperit, non amico solùm iniurius & infidelis est: sed etiam Spiritui sancto, qui ad sociandam & arctius copulandam amicitiam, & ad secretum amico committendum suo afflatu impulit. Merito ergo Salomon ait: *Fidelis autem spiritui celat, vel abscondit res, seu amici commissum,* id est, qui Spiritui sancto fidelis se præbet, arcana, quæ Spiritui sancto suadete amicus illi referauit, apud se contegit, & conseruat.

Ambros.

Pseudo.  
August.

37

Eccles. 22.  
n. 27. &  
28. n. 21.

XIV. *Vbi non est gubernator, populus corruet: salus autem, vbi multa consilia.*

**V**BI Non est gubernator, populus corruet. Hebr. ad verbū: *In non industrie* (id est, vbi non sunt industrie) *corruet populus.* Caietan. conuertit in *non ingenijs.* Vox originalis est תחבולות *Tachbulosh*, de cuius vi, ac potestate iam inde supra cap. 1. vers. 5. multa diximus, vbi noster interpret transtulit *gubernacula*, cum ait: *& intelligens gubernacula possidebit.* Nos autem nauigii clauum, & gubernaculum ea voce germane, & proprie significari docuimus: aut etiam funes, quibus naues magnæ ad vela pandenda, & contrahenda, ad demittendas anchoras, & alia eiusmodi nauigationis ministeria vtuntur. Septuaginta longe aliter verba ista extulerunt: *Quibus non est gubernatio, cadent, tanquam folia.* Vnde verò fluxerit hæc translatio, non satis assequor, nisi aut dicamus Septuag. pro *גחמ* *Ghem*, legisse olim *גלם* *Gelim*, i. folia, aut certe vocē illam *Ghem*, quæ descendit à radice *גחמ* *Ghamam* duplicante secundam, id est, texit, obumbravit, ex germano suo significato non populum modo, sed etiam folia notare, quæ ad fructum arboris tegendum natura protulit. Theod. habet: *In incogitantia corrui populus.*

*Salus autem vbi multa consilia.* Hebr. ad verbum: *Et salus in multitudine consiliarum.* Pagn. & Caiet. *In multitudine consultorum.* Septuag. *Salus autem in multo consilio.* Sym. m. & Theod. *Salus autem in homine multi consilij.* Chaldæ. integram sententiam ad hunc modum transtulit, *In loco, vbi non est gubernator, corruet populus: salus autem in multitudine consilij, &c.*

Ergo Salomon ait. *Vbi non est gubernator, populus corruet.* Illa scilicet res publica, quæ caret perito, & industrio moderatore, ac præfecto, qui naucleri ad instar clauum vertentis cuncta arbitrio suo administret, ac regat: *corruet sane*, id est, naufragio miserabili peribit. Addit. *Salus autem vbi multa consilia.* Illa in quâ res publica incolumis est, scilicet, & fortunata, quæ ad res agendas multorum adhibet consilia, nihil temere, & inconsulte aggreditur, quibus verbis optimæ administrationis compendium complexus videtur Salomon. Optima enim ciuilibus gubernationis ratio est illa mixta, in qua vnus Princeps, ad quem tota imperii summa pertinet. (nam capitum multitudo respublicæ corpus distrahit, ac discerpit.) eorum autem, qui consilio Principem iuuant, copiosa multitudo est. Quod quidem similitudine nauis adumbravit Plutarchus, in qua vnus est Nauclerus, nauis autem complures numerantur: (cuius verba iam in loco supra adscripto dedimus) aut etiam similitudine capitum, in quo vna mens, non tamen vnus, sed potius quinque omnino sensus sunt, qui menti ea, quæ foris aguntur, nuntiant. Mitto alia huius regiminis exempla, quorum plura petere licet ex eodem Plutarcho in Politicis. Sed expendamus singula.

*Vbi non est gubernator, populus corruet.* Quamuis de similitudine Naucleri, atque Principis satis multa contulimus supra ad illa verba. *Et intelligens gubernacula possidebit,* vbi plura optimi Regis officia, & munera, à nautica expressimus: nunc quidem de sapientia principis aliqua ex multis hæc adnectere libet, quæ ibi desideratur. Ergo Plato in dialogo, qui inscribitur ciuilibus, seu de regno Principis sapientiam similitudine naucleri adhuc modum venuste descripsit. *Vir sapiens bonusque gubernabit semper, ita ad subditorum salutem respiciens, vt nau-*

59

60

rum, nauisque salutem respicit gubernator. Nam ille non scriptis, sed arte quadam nauas seruat: ita & vir ille, ut ciuilis, vim artis legibus ipsis potiorum adhibet. Quibus verbis docet longe melius rempublicam administrari per Principem, qui artem, atque prudentiam ad imperium affert, quam per optimas, & consultiſſimas leges. Et paulo post quantum subditi deferre debeant optimo Principi, qui salutem, felicitatemque reipublice meditat, quamuis magnis pœnis: scilicet capite, exilio, aut spoliatione bonorū suorum plebem coerceat, eodem gubernatoris exemplo ostendit. Veniamus (inquit) ad imagines, quibus regios Principes comparare semper necesse est, generosum scilicet nauis gubernatorem, & nobilem medicum, a quibus propterea multa graua sustinemus, quia nos seruare vtrique volunt. Medicus enim secant, vrunt, & ex hoc instituto suo, quasi quiddam tributum mercedē referunt: cumque multa cogant expendere aegrotantem, ipsi pro aegrotante expendunt nihil, &c. Gubernatores quoque alia quadam huius generis patrare dicuntur, ut potē qui mercatores merces suas in mare iactare cogant: & alia eiusmodi damna inferant. Ceterum hæc libenter ab illis sustinent vctores: quia hæc ideo faciunt, ut illos seruent, & in portum adducant. Et quidem in translatione huius loci sensum, nō vebatē tenere decreui, ut luculentior euaderet sententia. Ad hæc Dialogo 8. de Republica, vel de Iusto, Principem propter peritiam gubernandi, non autem propter vim maximam pecuniarum, & opum, eligendum esse sic suadet. Siquis (inquit) in nauis gubernationem a census aestimatione gubernatores eligat: pauperem verò licet gubernandi peritiorē nequaquam admittat, quid ex hoc sequenturum censet: ut male nauem ducant. An non eodem pacto in quolibet alio principum? Accedit Plutarch. in Moral. qui sic ait: *Ut in magnis tempestatibus validissimo clauo, optimo gubernatore, & pluribus futuris opus est: sic magnas, & turbulentas res administranti summa sapientia opus est.*

Sed examinanda insuper est vox illa *Tachbuloth*, quæ licet sit numeri pluralis, nihilominus tamen noster interpres non plures gubernatores, sed vnū tantum gubernatorem conuertit de singulari dicēs. *Vbi non est gubernator, &c.* Rationem obtulit non nemo, quia gubernator vnus cum sit: multiplex tamē, & multiformis esse debet, id est, vi ac potestate multos claudere, vel pro multis esse. Huc etiam ex

*Phil. Iud.* Nautica similitudinem deriuat Philo Iud in l. de Ioseph. vbi sic ait. *Sicut gubernator pro ratione vtorum mutat nauigationis subsidia non vno modo nauē dirigens. sic reipublice moderator debet esse multiformis, ac multiplex, alius in pace, alius in bello, aliter multis opponens aduersariis, &c.* Succedat D. Gileg Nazian. in oratione 1. apologetica. Nam profecto (inquit) ars quæ dā artium, & scientiarū mihi esse videtur hominem regere animal maxime variū, & multiplex, id est, ars vna est plures artes coercēs. Et post pauca. *Quemadmodū (inquit) si quis belluā variā, & multiplicem ex multis belluis magnis iuxta,*

*Nazian.*

*paruisque feris, miibusque cōpacta cicurare, ac ducere aggrediatur: huic in natura à Deo varia, & prodigiosa gubernanda maximus vtrique labor subeundus sit, magnūque certamen, quippè nec vocibus eisdem, nec alimentis, nec manus attritionibus, ac sibilis, nec reliquis delectetur: sed alii alius pro sua quæque natura, & consuetudine, vel gaudeant, vel offendantur. Ut qui eiusmodi belluæ curam susceperit, eū varia omnino, & multiplici scientia ornatum esse oporteat. Haud dissimili modo communi huic Ecclesie corporis instar composita cuiusdam, & inæqualis belluæ ex pluribus, variisque moribus, & sermonibus coag-*

63

*A mentato, summo opere quoque necesse est Antistitem scilicet simul, & simplicem esse, quantum ad eam, quæ ad res omnes adhibere debet animi integritatem, & quam maxime variam, & multiplicem, quantum ad id attinet, ut vnus cuiusque beneuolentiam sibi conciliet. Hæc ille. Ex quibus satis liquet Salomonē merito ad vnū gubernatorem significandum vocem numeri multitudinis adhibuisse, cum constet Principē vnus formæ virum, sed multiplicem, ac multiformem esse oportere. Nec absolum erit dicere, hinc natam illam Prothei fabulam, quem ferunt varias formas induere, & assū nere folium. Nam cum Ægypti Rex esset, (ut plerique affirmāt) ad singulorum mores se se fingēs variam te quodammodo, & multiplicem exhibebat. Vnde Protheum optimi Principis exemplar esse docuit Horus. Mitto alia. Ergo quia Princeps in plures quodammodo viros migrare debet, quia vnū tot formas assumere impossibile est: ideo operæ pretiū, ut plures administrationis publicæ socios sibi asciscat, & consiliarios plures. Ideo Salomon addit. *Ibi salus, vbi multa consilia:* vel vbi multi consiliarii, quorum iudicio & arbitrio publicæ res administrantur.*

Adhæc libræ committenda est translatio Septuaginta, quæ sic habet. *Quibus non est gubernatio, cadent tanquam folia,* id est, ciues, qui carent perito Principe, aut industrio gubernatore, perinde concident à felicitate sua deiecti, sicut folia ex arboribus. Quam similitudinem possumus ad ruinæ celeritatem referre, quasi dicat, breui concident. Nā quemadmodum in autumno vna nox glacie rigens arborem foliis spoliare, ac denudare solet: Sic etiā ciuitatem, si Rectore, ac Principe careat, quæcumque calamitas, seu aduersitas incidens per breui tēpore omni sua felicitate priuatam euertit. Eleganter admodum Dio Nyzen. oratione 3. de Regno Supremum Principem cum sole composuit, ac subdit. *Sol facit, & discernit horas,* (id est anni quatuor tempora, has enim horas appellat) *auget, & nutrit omnia animalia, plantas alit, & fructibus, ac foliis conuestit: supeditat suauissimum, ac pulcherrimum spectaculum, nempe lucem. Et hæc omnia non grauatur gratis impartiri.* Et post pauca. *Et quomodo indiget terra tempore ad generandum nascentia, atque ad augendum, & perficiendum indigent & animalia, & corporum, & salutis gratia, & voluptatis naturalis indigemus, & nos omnium maximè, ut quiquam plurimo auxilio opus habemus. Ideo sol ætatem facit propius ad nostram habitationem accedens, ut omnia nutriat, omniaque perficiat, &c.* Accommodationem huius similitudinis, tanquam apertam, & perspicuam omittit Dion. est autem eiusmodi. Sicut sol accedens, aut recedens quatuor anni tempora absoluit: & quidem cum accedit, mitissimas illas, placidasque tempestates efficit, scilicet ver, atque ætatem, quibus omnia florent, & plantæ fructu frondibusque onerantur: idem autem cum decedit, duas alias tristes, horridasque, autūnum scilicet, atque brumam causat, quibus omnia glacie tabescunt, & plantæ fructu, frondibusque orbatae dehonestantur. Sic etiam cum Princeps adest, & tanquam sol instat imminetque Reipublicæ, aut Regno, illud sane arboris proceræ in morem (Imperium enim cum arbore apte conferri suadet illa Danielis visio cap. 4. de qua infra) viret, floret, fructu ac frondibus decoratur, fortunatum scilicet, atque felix est. Cæterum cum Princeps recedit, aut omnino abest, tunc quidem velut arbor in autumno decussis frondibus regnum horret, infortunatum scilicet, atque infelix existit. Merito ergo Salomon ait. *Quibus non est gubernatio,* (aut)

64

65



gubernator, cadent tanquam folia, id est, Respublica supremo Principe, ac moderatore carens, velut arbor deciditibus foliis nuda, atque deformis erit.

Vel aliter, si gubernationis nomine non ipsum Principem, aut gubernatorem capiamus, sed leges, iura, & statuta, quibus ciuitas, aut Respublica administratur: sensus erit. Quibus non est gubernatio, multitudo scilicet illa, cui non sunt leges, atque iura, quibus recta gubernatio, seu regimen continetur, cadent tanquam folia, id est, perinde à felicitate sua decidet, sicut folia arboris trunco arescente cadere solent. Plutarchus in Moralibus venuste admodum Regnum cum arbore composuit: iura vero & leges radicibus similia esse dixit. *Vt enim (ait) difficillimū est annosas arbores, quae late sparsere radices, reuellerē loco, & alio transplantare: ita Respublicam longo tempore suis inueteratam legibus, & institutis, ad aliam vitæ rationem traducere citra maximos rerum motus.* Sicut ergo arbor excisis radicibus atrescit, folia & decorem abiicit: sic etiam Respublica sublatis legibus marcescit, ac tabescit, & ciuibus, & felicitate tanquam fructu, foliisque nudatur. Vnde Isaias c. i. Iudaeæ Reipublicæ ruinam ea similitudine arboris, quæ frondibus nudatur, adumbrat. *Erubescitibus (u. quit) super hortis, quos elegeratis, cū fueritis, velut quercus deciditibus folijs.* Et quidem non quamcumque arborem, sed quercū adhibuit, hæc enim arbor fortissima est, & nullo tempore foliis nudatur, æstate, atque hyeme frondes seruat, in aridis, atque præruptis locis felicius prouenit: in locis vero irriguis, atque humidis excoctis radicibus tabescit, folia, & frondes abiicit. Ait ergo Propheta: *Cum fueritis velut quercus defluentibus folijs, quasi dicat, robusti quidem, ac fortes hæctenus fuistis, quos scilicet nulla temporum iniuria, tanquam præduras quercus, aut robora felicitatis, ac fortunæ frondibus spoliare hæctenus potuit. At postquam in hortis, atque irriguis locis degere, delicias nimirum, & voluptates sectari cœpistis, iam inde velut quercus in locis humidis tabescit, & comarum decorem excutit: sic etiam & vos in delictis robur, & antiquam fortunam infelici iactura amittetis.*

Cæterum ad vulgatam lectionem redeamus, quæ docet Respublicam sine Principe, atque gubernatore ruinæ proximam esse. *Ubi non est gubernator, populus corrumpitur.* Libet enim hanc sententiam eruditus Chrysostr. verbis illustrare, qui hom. 34. in Epist. ad Hebr. sic addit. *Magistratum, ducemque, & rectorem non habere malum est, & est argumentum multarum calamitatum, & principium defectus ordinis, & perturbationis, & confusionis. Nam sicut si Chorypheum a choro, & ducem sustuleris, non erit amplius chorus modo congruus, & ordinatus, & si à phalange exercitus amoueris Imperatorem, non erit amplius numerosa, & ordinata acies: & si à nauigio demeris gubernatorem, nauem demerges. Ita etiam si à populo rectorem abstuleris, omnia euertisti, & delinisti.* Deinde vero de his, qui Principem habent: non tamen illi parent, nec deferunt, sic attextit. *Atque malum equidem est magistratus, & rectoris defectus, occasio scilicet euerisionis: non minus autem malum est inobediencia subditorum. Populus enim non parens rectori, ac magistratui est similis ei, qui non habet, & forte etiam deterior: nam his qui rectore carent, datur ventia, si ordo, atque moderatio non seruetur: his autem non ita, sed pœna digni sunt.* Rursus ne Chrysostr. sententiam laciniolosam, & truncam exhibeamus de republica, cui non iam nullus, sed malus rector euenit, ita subnectit. Ter-

rium malū est malus Rector, & magistratus, id quoque scio non paruum malū esse, sed longe peius defectus magistratus. Melius enim est a nullo, quam a pessimo rege, &c. Quid plura? Idem Chrysostr. hom. 6. ad populum nouis schematibus damna, quæ ex defectu gubernatoris euenire solent, extollit. *Sicut si gubernatorem à nauē separaueris scapham submersisti. & si Ducē ab exercitū abducas, victos hostibus tradidisti milites: ita si Principes de ciuitatibus abstuleris, feris irrationabilibus magis irrationabilem agemus vitā, inter nos mordentes, & nos denorantes.* Et perbreni verborum interstitio addit. *Quod enim in domibus faciunt lignorum contignationes, hoc Principes in ciuitatibus: & sicut si illas sustuleris, difflui parietes per se se corrunt: sic etiam si ex mundo Principes tollas: & eorum metum, & domus, & ciuitates, & gentes cum multa inter se licentia corrunt: nemine existente, qui contineat, & repellat, & pœna timore eos quietescere suadeat: Mitto alia.*

XV. Affligitur malo, qui fidem facit pro extraneo: qui autem cauet laqueos, securus est.

Affligitur malo, qui fidem facit pro extraneo. Hebr. Cōtritione conteretur, qui fide iusserit pro extraneo.

Qui autem cauet laqueos, securus est. Hebr. Qui odit defigentes manus securus est. Caiet. conuertit. Qui odit tangentes, alii plaudentes. Chald. integram sententiam sic extulit. *Malus male agit contra iustum, eo quod fidei iussor stetit pro extraneo: & odit eos, qui collocant spem suam in Deo.* Septuaginta autem non parum euariant, sic enim habent. *Malus male facit cum commixtus fuerit iusto: odit autem sonum securitatis.* Theodotion extrema verba sic exprimit. *Et ideo habens laqueos implicari confidit. Cuius vestigia pressit noster vulgatus.*

Quot, quantaque mala euenire soleant his, qui vadimonia suscipiunt, & pro aliis stipulantur, iam inde multis profequuti sumus supra. c. 6. vers. 2. 3. ubi etiam multis egimus de ritu defigendi manus, quo fidei iussio perfici solebat, & locum etiam istum obiter exposuimus, frustra hic plura.

Circa lectionem Septuag. obserua. i. priora illa verba. *Malus male agit, cum commixtus fuerit iusto.* Græce συμμειχθὲν δικαιο, à verbo συμμίσωμι quod significat proprie miscere, per translationem autem contrahere aut cōmerciū inire: Ergo in extrema ista significatione capiendū puto, atque adeo sensum esse: *Malus quilibet quoties contraxit, aut pactum iniit cum iusto, quodcumque potest, illi malum infert: quod quidem ad stipulationis pactū referendum est, in quo auarus creditor (hic enim malus appellatur) iustum prædem virget, atque angit. Addunt Septuag. Odit autem sonum securitatis.* Græc. ἀγαλλείας. At qui ἀγαλλείας in contractibus, & fide data cōplectitur cautionē, pignora, sponsores, & reliqua omnia, quæ ad assecurationem donari solent: ut tradit Pollux, Budæus, & alij. Succedat igitur memoria id, quod supra diximus cap. 6. vers. 1. & 2. stipulationem celebrari nexu manuum: nam qui fidem pro alio faciebat, suam alteri carpendam manum dabat: ex quo fidebat, ut manus manui illi illa comploderet. De quo ritu iterum aliquid dicemus infra c. 17. vers. 18. ad illa verba, *Stultus homo plaudet manibus.* Crediderim ergo præmissa verba non ad impium, & auarum referenda, sed ad iustum, qui nuper præcesserat: atque ad eum totam sic esse conformandam. *Malus male agit, cum commixtus fuerit iusto: odit autem (supple iustus) sonum securitatis.* Quasi dicat, quia auarus iustum ipse lo-

66

Chrysostr.

67

68

69

70

71

rem damnis pluribus illatis vrgere solet: ideo iustus odio habet sonum securitatis, vel assecurationis scilicet illum sonum, quem in stipulationis, & fideiussionis, seu assecurationis pacto manus manus cōferta, & illis edere solet. Vel certe per *Securitatis*, vel assecurationis sonum intelligunt Sept. illam verborum formam, quam spondentes in stipulatione vsurpare solebant: de qua locis supra citatis accipienda esse diximus illa verba. *Et captus es verbis oris tui*. Ad hunc modum lectio Septuag. cum nostra vulgata in concordiam adducitur.

Chaldaica vero translatio sic similiter concilianda est. *malus male agit contra iustum, eo quod fideiussor fecit pro extraneo*, id est, auarus vrget iustum, qui pro alienis debitis fidem obtulit suam, expectans ab eo pensionem, cum debitor soluendo non est. *Et odio habet eos, qui collocant spem suam in Deo*: eos scilicet detestatur, qui paucis contenti nihil auare querunt, & totam suam spem in Dei prouidentiam conferunt: odit autem auarus eiusmodi sobrios, & parcos homines, quia mores illorum à suis discrepant: vel aliter; *Odio habet*, id est, instat persequiturque (sumitur enim causa pro effectu) eos, qui spem suam in Deo collocantes, vt proximo ex charitate operam ferant, fortunas, & bona sua discrimini obiecerunt pro ipsis stipulantes, atque spondentes. Nam ea ratione per stipulationem opes suas periculo aliquando proximorum gratia exponere animi est audentis, atque de Deo bene sperantis.

XVI. *Mulier gratiosa inueniet gloriam:  
& robusti habebunt diuitias.*

72

**M**ulier Gratiosa inueniet gloriam. Hebr. *Mulier gratia assequetur gloriam*. Caiet. *fulciet gloriam*. Septuag. *mulier gratiosa succiat viro gloriam*. Chald. *diuidit gloriam*. Pagni. *Mulier gratiose adhaerebit gloria*. Symma. *Mulier bona assequetur gloriam*.

*Et robusti habebunt diuitias*. Hebr. *Et fortes adipiscetur opulentiā*. Caiet. *fulciet diuitias*. Chal. *current post diuitias*. Pagni. *Et fortibus adhaerebunt diuitiis*. Sept. longe aliter. *Thronus autem ignominie mulier odio habens iusta*. & subiiciunt: *Diuitiarum pigri indigentes sunt: fortes autem nituntur diuitijs*. De qua lectione postea iudicium feremus. Theod. extremam istam partem sic extulit. *Et irumpentes apprehendent diuitias*.

Caietan.  
Iansen.  
Rodolph.

Ex interpretibus Caietanus & Iansenius & Rodolph. & alii loci istius sententiam sic conformant, vt altera pars pro similitudine alterius ponatur: aliter inquirunt, nulla esset coherentia, & tota carminis energia periret. Ergo Caietanus posteriorem partem in similitudinem prioris adhibitam putat: cum enim ipse conuertat, *Coniux gratiosa fulciet diuitias*, si cederit. Quemadmodum viri robusti, ac solliciti sua industria facultates, & fortunas sustentant, ac tuentur ad familiae victum, & splendorem: sic etiam coniux gratiosa, id est, honesta, & pudica, suum atque mariti honorem sustentat, portatque, nam viri honor, & decor in vxoris pudicitia, & fide innititur. Quae interpretatio non parum idonea mihi visa est, & vulgatae lectioni haud inepte accommodari potest.

73

Contra vero Iansenius, & Rodolphus priorem partem in similitudinem posterioris adscriptam putant, & hunc ad sensum vocant. *Mulier gratiosa inuenit gloriam, &c.* id est, quemadmodum femina, pulchra, & eleganti forma praedita, gratiam

omnium inuit, & honorem assequitur ab omnibus: ita & viri solliciti, & industrii diuitias & opes sibi parant. Sicut enim gratia, & venustas honorem, & gloriam apud omnes habet: sic etiam industria, & labor, opes, atque diuitias adipiscuntur. Et quemadmodum in femina forma, & venustas commendatur: sic in viro industria, & strenuitas. Haec interpretatio mulieris nomine quamlibet feminam, siue nuptam siue innuptam accipit.

Alii vero à muliere nupta similitudinem duci id suadet, de qua postea: tum etiam, quia Hebraice est *נשואים Isach*, quae vox plerumque nuptam sonat. Ex his vero Rodolphus sic exponit: vxor pulchra, & venusta gloriam sui decoris viro in dotem affert: nam pulchritudo magnae ad instar dotis obtinere solet: atque adeo feminae pulchritudine, & elegantia insignes sine dote nubere solent. At tamen robusti viri hoc est strenui, solliciti, & ad rem suam attenti, pulchritudini diuitias praeferrunt, & cum coniuge opulentam dotem quaerunt, maiorem ex diuitijs gloriam euenturam putantes, quam ex forma vxoris. Caterum haec interpretatio collationem inter vtramque partem euertit, & in verba ipsa, vt iacent, parum apte cadit.

Quapropter si quidem ita placeat, vt prior pars similitudinem posterioris offerat, sic habeto. *Mulier gratiosa inuenit gloriam, &c.* Animaduertendum est nuptias olim apud Hebraeos emptione celebrari solitas, vt iam inde supra obseruauimus cap. 4. vers. 7. maritus enim oblata dote vxorem emebat, & in suam familiam vendicabat. Et quidem ita more comparatum fuisse, vt viri vxoribus dotem deferrent, satis perspicue suadent verba illa Genes. 34. vbi Sichem filius Hemor, pro Dina, quam sibi vxorem adiungere vehementius ardebat, sic ad Iacob, & filios eius. *Inueniam gratiam coram vobis, & quaecumque statueritis, dabo: augete dotem, & munerera postulate, & libenter tribuam, quod volueritis*.

Vide ibi alia. Ergo similitudo ad hunc modum confirmanda est. *Mulier gratiosa, (id est pulchra) inuenit gloriam: robusti habebunt diuitias*, id est, quemadmodum elegans femina magnam dotem inuenit, quia ditissimus quisque ingenti pecuniarum vi in dotem oblata, illam sibi emere, & adiungere exoptat: sic etiam robusti, id est, solliciti, & strenui, magnas opes, atque fortunas assequuntur in lustria sua. Quasi dicat, feminis quidem opes, & magnam dotem pulchritudo, & forma: viro autem fortunas, & facultates sua tantummodo industria parit: atque adeo feminis sedentariam, socordem, & mollem vitam agere fortasse licet: viris autem non item, sed labore, & solitudine impigra opus est. Hanc vero expositionem commendat vox Hebraica: nam pro gloria est *כבוד Chabod*, quae nonnunquam pro diuitijs, aut pro ea gloria, & splendore, quem diuitiae afferre solent, accipi consuevit, supra c. 8. *Mecum sunt diuitia & gloria*, & Genes. 31. *Tulit Iacob omnia, quae fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est in chrysus*. Hebraea ad verbum habent, *De quibus ipse fecit omnem gloriam hanc*, id est, magnam hanc substantiam, vt interpretatur Pagninus.

Vel aliter si à nupta ducatur similitudo, sic sensus institui potest, vt de facultatibus iuste partis sermo fiat ad hunc modum. *Mulier gratiosa inuenit gloriam*, scilicet viro suo, (vt fert translatio Septuaginta.) *Et robusti habebunt diuitias*, id est, pulchra quidem, & pudica coniux gloriam affert viro suo, illi semper haeret, nunquam illum deserit, aut ab illo discedit, & legitimos illi filios edit. Ex aduerso meretrix dedecus, & ignominiam parit lenoni suo, atque adeo illam celare, & abscondere cogitur.

74

Genes. 14.  
num. 11.

75

76

Gen. 13. 21

77

rogitur. Hæc etiam sæpius illum deserens alteri adhæret, & nullos, aut nothos & degeneres filios parit. Ad eundem modum substantia per iustam industriam parta gloriam affert domino suo, & legitimæ ad instar vxoris nunquam deserit eum, qui illam acquisiuit, & pro legitimis filiis iustos proventus, & lûcra reddit. Ea vero substantia, quam aliquis per iniuriam adeptus est, dedecus parit. Vnde velut meretricem aliquam ignobilem erubescens homo illam abscondit, & palam proferre, seu producere non audet: rursus hæc instabilis, & fallax scorti in morem sæpius eum deserit, & ad alium demigrat, & nullos, aut iniustos quæstum partus edit: nam male parta male quoque dilabuntur. Consonat Chryostomus in homilia. Quod nemo læditur, nisi à se ipso: vbi fortunas contra ius, fasque acquisitas cum meretrice componit, cuius verba infra capite 30. dabimus. Ergo iuxta hanc sententiam Salomonis verba non ineleganti sensu donare licet: ad hunc modum, *Mulier gratiosa, &c.* id est, quemadmodum pulchra, & elegans vxor viro suo gloriam affert: sic etiam substantia iuste parta viro sollicito, & industrio splendorem, & gloriam conciliat, illi semper adhæret, nunquam deserit, & pro legitimis filiis iustos quæstus, & prouentus reddit.

78 Cæterum quamuis grauissimi interpretes, quos hæctenus præmissimus, existiment priorem huius sententiæ partem in similitudinem posterioris adhibitam, atque aded ex vtraque integram sententiam conflare: Septuaginta vero duas omnino dispares sententias esse rati vtramque partem discusserunt. Cùmque vidissent Salomonem omnes ferè alias paræmias antithesi, seu contentione duarum partium condire solitum, singulis partibus alia oppositam, & aduersantem adscribentes ex vno duplicem versum condiderunt ad hunc modum, *Mulier gratiosa inueniet gloriam.* (Subiiciunt vero huic oppositam alteram partem,) *Thronus autem ignominia mulier odio habens iusta,* deinde vero, *Diuitiarum pigri indigentes sunt.* (Et aduersantem huic aliam etiam partem subscribunt) *fortes vero nituntur diuitis.* Itaque duas omnino satis dissimiles: perspicuas tamen, ac luculentas sententias cõposuerunt Septuaginta. Prior quidem discrimen declarat, quod pudicam inter, & impudicã mulierem intercedit. Nam *illa* (inquit) *inueniet gloriam,* id est, ab omnibus suspicitur, obsequio, & honore digna ducitur. *Quantum vero honoris, & gloriæ honesta scemina sibi accersere possit, eleganter docuit* D. Basilius de virginitate, *Talem se* (inquit) *habitu, incessu, & toto corporis gestu scemina exhibebit, ut qui illi forte obuij fuerint, quasi vnum Dei simulachrum aspicientes faciem ad reuerentiam, atque admirationem sanctitatis inclinent: venerentur inquam aspectum illius, atque ut dixi tanquam diuinæ imaginis reuerenter de via decedant.* Hæctenus Basilius. Ex quo constat sceminam pudore, & morum honestate id assequi posse, ut cuncti tanquam diuino alicui simulachro deferant honorem, & obsequium, *Thronus autem ignominia mulier odio habens iusta,* id est, improba: impudenti sceminæ ignominia infidet, (quasi dicat,) *Est à de asiento en ella la asrenta:* si enim sentel ob impudentiã, & mores immodestos infamiæ notam sibi inussit, rati, aut nunquam deponit. Sæpe videas viros famæ iacturas instaurasse: at mulierem vix vnã numeres, quæ amissam ex dedecore famam recuperarit. Item ignominia in turpi, atque improba scemina, ceu in throno, sedere dicitur, quia thronos scandere Regum est, atque Principum ad publicam potestatis ostentationem. Itaque ait ignominiam in scemina, velut in throno

Tom. II

A assidere, quia nullibi dedecus, & infamia magis conspicua, & publica est, quam in muliere impudica. Denique ea est mulierum vecordia, vt si semel deposito pudore frontem perfricuerint, suam ipsarum infamiam publice ostentare non dubitent.

Denique posterior illa sententia, *Diuitiarum pigri indigentes sunt: fortes vero nituntur diuitis,* interpretatione non eget.

B XVII. *Benefacit anima sua vir misericors: qui autem crudelis est, etiam propinquos abiicit.*

B *Benefacit anima sua vir misericors.* Hebraicè, *Rebribuit anima sua vir misericors.* Sic conuertunt Aquila, & Symmachus. Septuaginta vero concinunt cum nostra. Chaldaus, *Rebribuit bonum animæ suæ vir benignus, aut mansuetus.* Admonet Rodolphus: à quibusdam sic olim lectum, *Qui ablatæ animam suam, vir misericors est.* Nam verbum *מגמל* Gamal, significat etiam ablatæ.

C *Qui autem crudelis est, etiam propinquos abiicit.* Hebr. *Et turbans carnem suam crudelis.* Septuag. *Perdit autem sui ipsius corpus infidelis.* Chald. *Et qui perdit corpus suum, crudelis est.*

Hugo Cardinalis, Dionysius, & Lyra verba ista iuxta sonum interpretantur, ad hunc modum. Vir misericors, dum alienis miseris succurrit, suæ ipsius animæ subuenit: quia tot sibi patronos ante Deum numerat, quot suis subsidiis subleuat, *Qui autem crudelus est, etiam propinquos abiicit,* id est, ille scruissimus est, & omnem humanitatem exuir, qui homines alios sibi coniunctos à se repellit, & subsidiis priuat. Cæterum hæc expositio non satis cohærens mihi videtur: quia iuxta illam posterior pars parum venuste opponitur priori.

Caietani enim expositio friget, quæ sic habet, *Vir gratia retribuit anima sua.* (Ita ipse legendum putat) hoc est, vir, qui gratuito beneficus est, non modo alij prodest, sed etiam suæ animæ rependit, quod illi debet: scilicet actum virtutis. Nam virtus, inquit, animo debetur ex eo, quia animus ad virtutem impellitur: & suapte natura virtutem postulat.

E Iansenius, & Caietanus vulgatam lectionem deferunt, quia concinnior illis sententia videtur, si posteriora verba, vt iacent in textu Hebraico, exprimantur, *Exturbat, vel perdit carnem suam crudelus.* Et quidem Iansenius hunc ad sensum vocat. Vir utique misericors animæ suæ, id est, sibi ipsi benefacit: vir autem crudelis non modo, alios, sed etiam carnem suam, hoc est, semetipsum lædit. Caret etiam lepore hæc interpretatio, & adhuc sub corrice nucleus est. Quapropter si hæc lectio, quam Septuaginta, & Chaldaus sequuti sunt, arrideret, sic aliter edifferenda, & enucleanda est ad hunc modum, *Benefacit anima sua vir misericors. Qui scilicet liberalis, atque beneficus est, nequaquam in semetipsum parcus existit, non defraudat se bonis suis: sed effundit, atque expendit non solû in alios, sed præcipuè in vltus proprios, Qui autem crudelus, & immisericors est, carnem, vel corpus suum perdit.* Auarus scilicet, ac sordidus homo præ summa paritate, non modo aliis non subuenit bonis suis: verum etiam semeipsum defraudat, & inedia miserrime conficit. Huius hominis vanam, insanamque vecordiam describit Ecclesiastes capite quarto, *Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitis, nec recusat dicent:*

N II

86

Hugo Car.  
Dionys.  
Lyra.

81

Iansen.  
Caietanus.Eccles. 4.  
num. 8.

*Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? Et quidem illud experimento didicimus, omnes fere quotquot in alios parci sunt, in semetipfos sauos esse atque impios. Ita enim decebat Dei prouidentiam, ut hi, qui ex facultatibus suis aliis imperitiam non volunt, eisdem minime perfruantur. Lege Basilium homilia in ditescentes auaros. Iam nunc sapientis sententiã tenes, & calles, Benefacit anima sua vir misericors, quasi dicat. Illud sane ad misericordiã impellere debet, quod is, qui in alios misericors existit, propriis quoque vñibus opportuna impendit: illud ad detestandas sordes, & auaritiã excitare, quod qui aliis bona sua non erogat, sibi quoque necessaria emolumenta denegare consuevit.*

Basilius.

82. Rodolph.

Placuit etiam Rodolpho lectio originalis, & secundum illam sic exposuit, *Vir misericors sua ipsius anima benefacit*, id est, benefacere debet. Nam quicumque aliorum miseris subuenit ex misericordia, sibi ipsi ante alios prospicere tenetur: iuste, ac sancte viuendo. Haud enim beneficis in alios esse potest, qui in semetipsum sauos, ac crudelis est. Propterea subdit, *Perdit autem corpus suum, vel carnem suam crudelis*. Ille scilicet immanis est, qui quamlibet in alios sit profusus, semetipsum defraudat bonis operibus, quibus indigentia propria succurritur. Non abit ab hac sententia D. August. expendens illud, *Miserere anima tua placens Deo*, lib. 21. de ciuitate, cap. 27. ubi sic ait, *Qui ergo dignas pro suis peccatis elemosynas facit, prius eas incipiat facere à se ipso. Indignum est enim ut in se non faciat, quod facit in proximum, cum audiat. Miserere anima tua placens Deo. Hanc ergo elemosynam (id est ut Deo placeat) non faciens anima sua, quomodo dignas pro peccatis suis elemosynas facere dicendus est: Ad hoc enim & illud scriptum est, qui sibi malignus est, cui bonus erit? Eadem scribit in Enchiridio. qu. 76.*

August.

83

Cæterum quamuis præmissæ interpretationes in originalem, & Septuaginta Interpretum lectiones forte cadant, nulla tamen vulgatæ translationi apte accommodatur: quæ quidem extrema illa verba, *Et turbat carnem suam crudelis*, sic extulit, *Qui autem crudelis est, etiam propinquos abijcit*. Itaque nomine *carnis suæ* consanguineos Salomonem accepisse puto, ut sæpe aliàs in scriptura Gen. 37. sic Iudas pro Ioseph, *Frater noster & caro nostra est*. Et Christus ad Petrum, *Beatus es Simon Barionah, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi*. Vel in vniuersum proximos quosque homines. Isaie 58. *Et carnem tuam non despexeris*, & sæpe alibi. Quomodo autem posterior hæc pars cum priori cohercat, non satis assequuti præmissi interpretes ad origine se receperunt. Nostrum autem de vulgata lectione (quam reliquis præferendam esse vbique decerno) iudicium est eiusmodi, *Benefacit anima sua vir misericors*. (Præmittendum est beneficentiam, & liberalitatem in fratres, & consanguineos, quando cumque ex affectu carnis, & sanguinis exercetur, meriti parum, aut nihil habere apud Deum.) Ergo Salomon ait. *Qui vere & ex animo misericors est, is quidem Benefacit anima sua*, id est, non ex affectu carnis beneficia, & elemosynas collocat suas, sed ita expendit, ut animæ suæ profint, id est, non proximis solum, & consanguineis: quos plerumque ex affectu humano fouere solemus: sed etiam alienis distribuit sua. Contrà vero, *Qui crudelis est, etiam propinquos abijcit*. Ille scilicet, qui propter auaritiã misericordiam exiit, & salutem induit, non solum alienis non succurrit: sed etiam in consanguineos, & carnis cognatione coniunctos impius existit. Ad hunc modum duas partes specie tepus parum inter se coherentes concordia red-

Gen. 37. num. 27.

Isai. 58.

A di posse arbitror: & sententia sic accepta luculentata est.

Extrema illa lectio. *Ablatam animam suam vir misericors*, inepte huic loco accommodatur. Licet tamen sic illustrare, & ad superiorem sententiam transferre. Vir scilicet misericors ablatam animam suam, id est, à cognationis affectu separat, & disiungit animum suum, & non ex carnis, aut sanguinis affectione: sed ex vera misericordia, ut miserias pauperum subleuet, largitur bona sua. Nam expositiones Iansenij, & Rodolphi parum arident.

84

XVIII. *Impius facit opus instabile: seminanti autem iustitiam merces fidelis.*

**I**mpius facit instabile. Hebraicè. *Impius facit opus mendax*, vel *opus falsitatis*. Septuaginta. *Impius facit opera iniusta*. Chald. *Opera iniquitatis*.

*Seminanti autem iustitiam merces fidelis*. Hebraicè. *Seminanti autem iustitiam merces veritatis*. Septuaginta, *Semen autem iustorum merces veritatis*. Chal. *Et qui seminat in iustitia, veritas eius erit merces ipsius*.

85

Sunt qui verba ista ad agriculturam referant ad hunc modum. *Impius facit opus instabile*, vel *opus mendacij*: impius scilicet in colendis agris laborat, ac defudat: fructus vero mentitur, ac fallit. *Seminanti autem iustitiam*, id est, in iustitia (sic enim plerique legunt) *merces fidelis*. Iustus nimirum sementem suam terræ mādans vberem fructum percipiet: nam prouentus non fallerit, sed semini fideliter respondebit. Hæc interpretatio mihi coacta videtur. Mitto etiam expositionem Caietani, quæ non tam lucem affert quàm tenebras offundit huic loco.

Existimo ergo Salomonem inter pium, atque impium, hoc est, inter misericordem, & auarum discrimen adnotare. Sic enim hæc verba cum superioribus coherant. *Impius* (inquit) *facit opus instabile*, seu *mendax*. Obserua in scripturis nomine *operis*, diuitias: & facultates sæpius notari: sicut etiam apud Græcos ἐργον teste Polluce. Et Hispan. sic diuitias appellamus, *La hacienda*, quo nomine opus quodlibet censere consueuimus, *Tengo esta hacienda que hazer*. Itaque sensus est. *Auarus facit opus instabile*, id est, colligit, ac comparat opes instabiles, ac mendaces, quæ nimirum nunquam diu apud aliquem durant, sed ocyus deserentes, ad alium demigrant, quæ fallaces sunt, & inanes, *Seminanti autem iustitiam merces fidelis*. (Nomine iustitiæ elemosynam aliquando intelligi alias animaduerti.) Itaque ait, qui facultates, atq; opes suas seminis instar spargit in pauperes, fideles, constantem, & minime fallacem mercedem auferat. Elemosynam vero semini conferri solitam nemo ignorat. Prætereo exempla, alibi enim occurret locus accommodatio. Quapropter displicet mihi Iansenius, qui hæc verba in vniuersum de iusto, & iniusto homine, hoc est, de probo, & improbo accipit, quorum hic opus facit fallax, & mendax, ex quo nullum fructum refert: ille vero opera pia, & honesta velut sementem iacit, ex quibus vberim ad illum fructus redeunt. Displicet item Rodolphus, qui priora illa verba. *Impius facit opus instabile*, vel *mendax*, sic edisserit. Impius nonnumquam opera misericordie exercet, & elemosynas largitur, sed fallaces, & mendaces: scilicet ex iniuste partis, & per fraudes qua fitis. Vtraque autem

86

expositio ideò displicet, quia nec locum integrum cum antecedentibus, nec priorem illius partem cum posteriori concinnè adnectit.

Chaldæus extrema verba sic expressit, *Et qui seminat iustitiam, veritas eius erit merces illius.* Vbi pronomen *eius* non referendum ad illum, qui seminat, sed ad iustitiam hoc modo, *Veritas eius*: videlicet iustitiæ, hoc est verus, & minime fallax proventus, pro mercede numerabitur illi: veritas enim seminis in eo sita est, vt fructum illum reddat, cuius vere semen est.

**XIX. Clementia preparat vitam: & sectatio malorum mortem.**

78

**C**lementia preparat vitam, &c. Hebraicè, *Sic iustitia ad vitas, & sequens malum ad mortem suam.* Septuaginta, *Filius iustus gignitur ad vitam: persecutio autem impij ad mortem.* Aquila, & Symmachus, *Et sectator mali ad mortem suam.* Chaldæus vim sententiæ expressit & commentario facili illustravit ad hunc modum, *sicut qui facit iustitiam, servatur ad vitam, sic qui sequitur malum, servatur ad mortem.* Licet etiam aliter convertere, *sicut ille, qui facit iustitiam, custos est vitæ: sic qui sequitur malum, custos est mortis.*

Iansen.

Sententiam istam pendere à superiori suadet vox *id est, sic, aut sicut.* Iansenius existimat vulgatum elementiam pro iustitia vsurpasse: speciem videlicet pro genere: atque adeo sermonem fieri de iustitia, & honestate in vniuersum. Non dissentiunt Rodolphus, & Caietanus. Mea tamen ab utroque discrepat sententia. Puto ergo elementiam pro iustitia à vulgato interprete fuisse additam, vt innueret hic iustitiam (vt sæpe aliàs) sumi pro elemosyna, aut misericordia. Igitur locus iste præcedentis sententiæ rationem offert. Cum enim præmississet seminanti iustitiam, seu elemosynam mercedem constantem, & minime fallacem accessuram: qualis futura sit hæc merces, declarans asuit, *Clementia preparat vitam*, id est, elemosyna homini æternam vitam, & beatitudinem, *Et sectatio malorum mortem*, per sectationem mali, aut malorum accipit fordes, & auaritiam. Sæpissimè enim diuitias malorum nominè censet Salomon in hoc libro, (vt non semel aliàs docui.) Itaque ait *sectatio malorum*, id est, auara diuitiarum disquisitio, & sordida asseruatio mortem supple preparat. Quomodo autem elemosyna, seu misericordia vitam vtramque, temporalem, & æternam afferat, alibi non semel docui.

88

Sed obseruanda est vis lectionis originalis, *sic iustitia seu elemosyna ad vitas, & sectatio mali ad mortem.* Nam cum seminandi verbum in superiori versu Salomon proposuisset: hæc verba ad seminis similitudinem referri debent, vt admonet ex Hebræis Rabi David. Quasi dicat, iustitia, seu elemosyna semen est vitæ: vitam videlicet germen loco proferens. Rationem autem, propter quam elemosyna conferretur semini, obtulit Diuus Basiliius homilia contra discentes auaros: nimirum quia sicut semen antequam germinet, tabescit, & corrumpitur: post corruptionem vero pullulat: sic etiam facultates, & opes, perdi, ac consumi necesse est, id est, in vltis pauperum profundi: perditæ vero, atque consumptæ vitam, & immortalitatem seminis in morem progerminant. Cæterùm de hac seminis, & elemosynæ comparatione, quæ valde o buia est apud Patres, infra multa dicturissimus.

Basiliius.

Tom. I.

**XX. Abominabile Domino cor prauum: & voluntas eius in his, qui simpliciter ambulant.**

**A**bominabile Domino cor prauum. Hebraicè, *Abominatio Domini corde peruersi.* Septuag. *Abominatio Domini peruersa via.* Aquila, & Theodotion, *peruersi corde.*

89

*Et voluntas eius in his, qui simpliciter ambulant.* Hebraicè, *Beneplacitum eius perfectum via: alij, integri, alij immaculati.* Sic Septuaginta, *Accepti autem ei omnes immaculati in via suis.* Sententia huius loci est perspicua, *Abominabile Domino cor prauum.* Is scilicet, qui per astum, & fraudem aliquid agit, valde inuisus est Deo. Sed cur tantum Dei odium sibi consciscit? Occurrit Rodolphus: quia in Deo nihil est simulatum, & fictum: atque adeo in homine, qui imago illius expressior est, simulationem omnem, & fictionem detestatur. Diuus Augustinus de Doctrina Christiana, propterea Deo simulatores exosos esse affirmat, quia *monstra sunt, & prodigia.* Et sane aliquid monstro ad simile est duplex in vno homine: hoc autem monstro nihil est deterius, ac detestabilius Deo. Agens vero de fraudulento, & versuto homine, subdit, *Et voluntas eius in his, qui simpliciter ambulant*, id est, perplacent ei, qui candide, ac syncere conuersantur, qui nihil aliud ore promunt, & palam pronunciant, quam quod animo claudunt. Hi vero præ cæteris grati sunt Deo: quia simplices, & doli expertes. Si enim hi gratiam, & benevolentiam hominum ante alios inire solent, cur non etiam ante alios Dei gratiam, & amorem impensum sibi accersant?

90

**XXI. Manus in manu non erit innocens malus: semen autem iustorum saluabitur.**

**M**anus in manu non erit innocens malus. Hebraicè, *Manus ad manum non erit impunitus malus,* Caietanus transtulit, *Manu ad manum non erit mundus malus.* Septuaginta, *Manum in manu iniiciens iniuste, non impunitus erit.* Chaldæus ita conuertit, *Qui extendit manum suam contra focum suum, non erit innoxius à malo.* Symmachus, *Manus manui conferens,* Hieronymus contra Rufinum *Manus inferens.*

91

*Semen autem iustorum saluabitur.* Hebræa non dissonant. Septuaginta, *Qui autem seminat iustitiam, accipiet mercedem fidem.* Aquila concinit cum vulgata.

Plures huius loci expositiones occurrunt apud interpretes, quas primò conflare libet, ac nostrum tam de illis iudicium ferre. Prima interpretatio est Caietani, & Pagnini in thesauro, qui illud *Manus ad manum* perinde esse docent, atque mox mox, vel *statim statim*: qui modus loquendi (aiunt) apud Italos vulgaris est, *Ad mano ad mano*, nunc nunc, scilicet statim, & in promptu. Apud nostrates dici solet *de manos a boca.* Consonat Rabi Hemanuel, qui illud *manus ad manum*, exponit in proprio. Ergo vt sensum teneas, obserua illis verbis *non erit innocens* Hebraicè haberi, לֹא יִנָּקֶה לֹא יִנָּקֶה, à verbo נָקָה *Nakah*, quod significat impunitum esse, indemnem, atque infontem. Itaque licet convertere, *Non erit impunitus, vel indemnis.* Adde etiam *innocentem* non semel in scripturis accipi pro impuni, ac indemni, 1. Reg. 16. *Quis enim extendet manum suam in Christum Dominum, & innocens erit.* Et Exodi 20. *Non habebit infontem Dominus eum,*

Na ij

qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra, id est, non dimittit impunem.

Ergo Pagnini explicatio sic habet, *Manus ad manum*, id est, statim, vel in proximo, *Non erit innocens*, id est, *impunitus malus*. Quasi dicat, non tardabit, sed in proximo aderit illius punitio. Non nemo etiam obseruauit *manum* in scripturis accipi sæpius pro plaga, & supplicio. Quid certius? atque adeo sic sensum construi posse, *Manus ad manum*, id est, supplicium in promptu est. Itaque non abibit impunis. Vulgo diceremus *la penay el castigo esta a la mano*. Latini etiam ad manum esse dicunt ea, quæ in promptu sunt. Et Græci *χειρ*, proxima appellant. Vel aliter si manus pro supplicio, & plaga sumatur, posset quis sic sensum instituere, *Manus ad manum non erit impunitus malus*: plaga scilicet, ad plagam accedet, atque aded debitas pœnas luet, non effugiet supplicium.

92  
Pagnin.

Secunda interpretatio est Hebræorū apud eundē Pagninū, qui illud *manus ad manū*, de filio, & patre interpretantur: quasi à manu ad manū, scilicet à manu parentū in manum filiorū. Deus enim peccata, & scelera parentū in filiis punire consueuit. Ergo ad hunc modū sententiam cōformandam esse dicunt, *Manus ad manū non erit impunitus malus*: id est tantum abest, ut impius impunis abeat, ut potius supplicium, & pœna ab ipsius manu in filiorum manum deriuari, atque deuolui soleat. Commendat expositionem istam contextus: addit enim quasi ex aduerso, *Semen autem iustorum saluabitur*, aut euadet, id est, filij iustorum, ac piorum hominum ab omni prorsus pœna, & supplicio immunes erunt. Hæc interpretatio placuit etiam Mercero, & Munstero: sed nullum inde splendorem trahit.

Mercer.  
Munster.

93

Thren. 5.  
num. 6.

Tertia expositio est Vatabli, & Rodolphi de sceleribus, & societate impiorum: solent enim mutua manuum traditione fœdera sanciri. Threnorum 5. *Ægypto dedimus manum, & Assyriis*, id est, cum Ægypto, & Assyriis fœdus pepigimus, & alia id genus. Sic igitur exponunt, *Manus ad manum non erit impunitus malus*, id est, quamlibet improbus cum aliis societatem, ac fœdera ineat, quamuis manum offerens multos sibi auxiliares adiungat: non idcirco supplicium euadet. Cæterum hæc expositio cum sequenti hemistichio consui non potest, atque adeo non placet.

Eodem vitio laborat quarta interpretatio, quam offert Chaldæus, qui locum istum extulit, ad hunc modum, *Qui extendit manum suam contra socium suū, non erit mundus à malo*. Itaque Chaldæus illud, *Manus ad manum*, de illo dictū existimauit, qui manus cum altero conferit, atque illi plagam aliquam inferre vult: hunc vero ait haud impunem euasurū. Itaque *Manus ad manum* secundum hanc interpretationem est, manus manui conferta ad pugnam.

Quinta est Hugonis ad hunc modum, *Manus ad manum non erit innocens malus*. Si scilicet aliquis præ desidia, & socordia nihil agat: sed ut aiunt, *Se este mano sobre mano*: non ideo innocens erit, aut infons: quia non solum ex commissione, sed etiam ex omissione crimina contrahuntur. Paulo aliter D. Gregor. Lyra, & Salonius. Sic scilicet. Quamuis improbus homo nihil committat exterius: tamen non est innocens, quia sola mala voluntas nocentem facit, ac fontem. Quæ expositio mihi ante alias supra adscriptas germanior, & textui accommodatior videtur. Præmiserat enim Salomon, *Abominabile Domino cor prauum*: atque aded apposite subdit, ad confirmandam eam sententiam, non modo ex operatione, & commissione externa: sed etiam ex interna consensione sceleris peccatum euenire. Subiicit verba Gregorij libro 25.

Gregor.

94

Moral. cap. 3. Vnde plerumque contingit, ut necdum procedat in opere motus mentis, & tamen perfecta iam culpa ex ipso reatu cogitationis, sicut scriptum est: *Manus in manu non erit innocens malus*. Malus enim manus iungi solet, quando quiescit in otio, & nullus eam usus laboris exercet. Quasi dicat, cum manus cessat ab iniquo opere: malus tamen non est innocens per cogitationem, &c. Hoc solum difficultatis habet hæc interpretatio, quod cum sequenti hemistichio parum apte construitur. Ait enim Salomon, *Semen autem iustorum saluabitur*.

B Quapropter duas ad extremum subscribam huius loci explicationes, quæ mihi aptius in verba ipsa, & in contextum cadere videntur. Prior est eiusmodi, *Manus in manu non erit innocens malus*. Obseruandum est hunc loquendi modum, *Manus ad manum, dies ad diem, annus ad annum*, Hebræis familiarem esse ad significandas multas manus, multos dies, & multos annos. Suppletur enim verbum, addo. Scilicet annus ad annum, supple additus est. *Isai. 29. Additus est annus ad annum, solemnitates euoluta sunt*. Hebraicè, *Annus ad annum*, & non amplius. Itaque illud *manus ad manum* perinde est, ac multæ manus. Tunc vero sensus euadit perspicuus, & venusta antithesis prioris, ac posterioris partis ad hunc modum. Auarus, qui plures habet manus ad depradandum aliena, non erit innocens, id est, impunis (ut supra adnotauimus) sui videlicet criminis pœnas non effugiet, *Semen autem iustorum saluabitur*. Nomine iustorum intelligo misericordes, hæc enim iusti, & iustitiæ acceptio iam inde à superioribus sententiis fluit: semen igitur, hoc est filij iustorum, seu misericordium (misericordes scilicet, ac pij iuxta phrasim Hebraicam) cunctas euadent pœnas, atque supplicia.

95

Isai. 29.  
num. 1.

D Et quidem avarum, furem, multimanum esse: & multas manus ad auariciam, furtumque pertinere suadet locus Eccles. 42. *Vbi manus multe sunt, claudet, & quodcumque trades, numera, & appende*. Sed illustris est ad hanc rem Nazianz. locus in oratione de Patris funere, ubi ita fatur, *Iustitia autem illius, quod maius, illustris que argumentum afferri possit, quam quod in magnis Reipublica muneribus administrationibusque versatur, ne seruntio quidem facultates suas auxerit: idque cum alios cerneret Briarij manus (ut dici solet) iniicientes, & scelerato quæstuturgentes. Sic enim opes iniustis artibus collectas voco*. Est autem prouerbialis forma, *Briarij manus inicere* in eos, qui rapacissimas manus quibusuis rebus iniiciunt, & scelerato latrocinio opes suas cumulant. Nam Briarium Gigantem quendam centimanum, centum videlicet manibus præditum antiquitas finxit, &c. Subdit Salomon, *Semen autem iustorum saluabitur*, *Semen*, id est, filios iustorum appellat misericordes: nam ut aliàs animaduerti, plures huius capituli sententiæ in hoc sensu accipiunt misericordes. Itaque ait ex aduerso qui non aliena diripiunt, sed sua liberè dilargiuntur, omnia declinant supplicia.

96

Nazianz.

E Altera expositio nobiles habet patronos, scilicet Septuaginta interpretes, ac Symmachum, qui locum difficilem non ad verbum translulerunt, sed paraphrasi illustrarunt. Sic enim habent, *Manus manus iniiciens iniuste non erit impunitus. Qui autem seminat iustitiam, accipiet mercedem fidelem*. Symmachus vero legit, *Manus manui conferens*. Ut autem calleas, præmittendum est manus manui iniicere, aut conferere olim in vsu fuisse, cum lis alicui super fortunis, aut re familiari intendebatur. Tullius de Oratore sub persona Scauolæ sic ait, *Id Cicero, nisi in tuo regno essemus, non tulissem, multisque praessem, qui autem interdicto tecum contenderent,*

97

*Aulus Gelli.* aut te ex iure manu confertum vocarent. Lege Aulium Gellium, lib. 20. Noctium cap. 9. ubi inter alia sic addit, *Antiquitus inter quos erat de agro, aut simili de re controuersa, in rem presentem veniebant, & apud Praetorem vindictarum causa manus conferbant: hoc est alter alterius manū corripiebat.* Rursus Tullius in Epistola ad Trebatium sic habet, *Tantum metuo, ne artificium tuum tibi parum profuit: Nam ut audio isthic.*

*Non ex iure manu confertum, sed magis ferro Rem repetit, regnumq; petunt, vadunt solida vi.*

98 Sed facetissime in oratione pro Murena, litem quandam inter duos instituit, ubi petentem vnum, alterum repetentem inducit, ad hunc modum, *Fundus Sabinus meus est, imò meus. Deinde iudicium voluerunt. Fundus inquit* (verba sunt alterius ex litigatoribus) *qui est in agro, qui Sabinus vocatur, cum ego ex iure meum esse aio: unde ibi, ego te ex iure manu confertum voco.* Et post pauca subdit alter, *Unde tu me ex iure manu confertum vocasti, inde ibi tereuoco:* hæc Tullius. Itaque formula hæc iniiciendi manum manui, aut conferendi manus in vsu erathis, qui litem intendebant, atque in ius vocabant aliquem super fortunis, aut re familiari. Iam intelliges quod tendam. Translatio Septuaginta, & Symmachi hunc reddit sensum, *Manus manui iniiciens, aut conferens iniuste non erit impunitus*, id est, qui iniustas pauperibus lites intendit, & manu confertos in ius vocat, vt bonis suis per iniuriam eos spoliet, meritas sui sceleris poenas dabit, *Qui autem feminas iustitiam, accipiet mercedem fidelem*, (iustitia sumitur pro elemosyna, vt iam inde supra sæpius admonui.) Quasi dicat, qui è conuerso non spoliatur pauperes, sed liberalibus largitionibus illis succurrit, & inopiam eorum subleuat, fidelem, hoc est, certam, & constantem mercedem auferet. At inquires, non constat ritum illum conferendi manus, vt in ius vocarent, Hebræis solemnem fuisse? Respondeo ex Septuaginta verbis id satis colligi. Et fortasse etiam eò spectauit Psaltes in Psalm. 10.

*Psal. 10. Insidiatur, vt rapiat pauperem, rapere pauperem, dum atrahit eum:* hoc est, dum ipsum manu confertum iudicio sistit. Hunc ad sensum vulgatam etiam lectionem vocare possumus, *Manus in manum*, id est, qui manum suam in alterius manum iniicit, vt manu correptum in ius vocet, *non erit innocens*, id est, *non erit impunis*, sed iustas potius poenas luet, &c. *Semen autem iustorum saluabitur.* Hæc verba

99 difficilius ad præfatam sententiam trahi possunt. Nisi forte dicamus, iustorum semen hic non pro filiis iustorum: sed pro elemosynis, quas misericordes seminis instar iaciunt accipiendum est. Sic enim Septuaginta accepisse constat, qui extremam hanc partem ad hunc modum conuerterunt, *Qui autem feminas iustitiam, accipiet mercedem fidelem.* Itaque ait, *Semen iustorum*, hoc est elemosyna, quam seminis instar spargunt misericordes, *saluabitur*, vel *euadet*, id est, non peribit, aut deficiet: sed fructum proferet suum, nimirum vitam sempiternam: hæc enim messis ex eo semine progerminat, vt supra animaduerti.

XXII. *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra, & fatua.*

100 *Circulus aureus in naribus suis, &c.* Hebraicè est *נזם* Nezem, pro circulo, quæ vox in aurem sonat. Quapropter plerique transferunt, *In auris aurea in naribus suis.* Septuag. sententiam sic extulerunt, *In auris aurea in nare porca, sic mulieri male prudenti pulchritudo.* Complutensis sic mulieri stultæ

Tom. 1.

*A*ta Græcè *κακοποίη*, Hieron. in Ezechiel. 28. Et Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagog. *inaurem absolute scribunt: auream reticent.* Sed idem Hieronymus in caput Ezechiel. 16. *astream* addidit, & extrema verba sic extulit, *Sic mulieri male morata pulchritudo.* Symmachus vero, & Theodotion concinunt cum nostra. Interpres Clementis habet, *Et mulieri mala pulchritudo.* Operis vero imperfecti interpres homilia 44. conuertit, *Sic mulieri male morigerata pulchritudo, &c.* Caietanus animaduertit Hebræo pro fatua esse *insulsâ, & sine sapore.*

101 Prima ergo interpretatio satis constans est apud interpretes antiquos, qui verborum sonum sequentes foeminam pulchram simul, & fatuam cum circulo aureo componunt: suis vero nomine diabolus notari voluit: vt sensus sit, *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra, & fatua:* ad eundem scilicet modum diabolus mulierem quantumuis pulchram, si fatua sit, lasciuia, ac turpitudinis sordibus immergit, sicut porcus in aurem, aut circulum aureum naso pendentem cæno inuoluit, ac mersat. Cæterum grauiiores, ac locupletiores interpretes iure optimo admonent similitudinem aliter conformandam esse: ita scilicet, vt mulier ipsa fatua, atque vecors cum sue: eius vero pulchritudo cum aureo circulo, aut in aure comparetur. Fauet translatio Septuaginta, quæ sic habet, *Sicut in auris aurea in nare porca, sic mulieri male prudenti, aut morata pulchritudo.*

102 Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagog. cap. 11. sic scribit, *Quemadmodum ergo aurum polluitur immunditia suis canum rostro suo conturbantis: itaque sunt paulo magis luxu dedita mulieres, si nimis copiis inuitentur ad libidinem, & impudicitiam, probro, ac dedecore afficiunt veram pulchritudinem, eam inquinamentis Veneris polluentes:* Vbi Clemens sic instituit comparisonem. Sicut sus in aure aurea magni pretij naso pendente abutitur, luto, atque sordibus eam immergens: sic fatua, & impudens mulier pulchritudinem, quæ auro, & margaritis pretiosior est, per turpem abusum ad sordes, & spurcicias Veneris transfert. Eodem modo interpretantur Beda, Lyra, Rodolphus, & alij. Imò Chrysostomus in manuscripto exemplari, cuius verba exhibet Scholiastes Clementis Alexandrini, ad præmissum locum, quæ ex Græcis fideliter edita sic habent, *Quemadmodum porca ea maxime parte corporis sui (id est nare) lutum, ac canum vertens aurum mundum vitiat, atque inquinat: sic mulier suam ipsius commaculat bonam formam: sensus est.* Ideo elegans improbæ mulieris forma cum aureo monili componitur, quod suis ex nare suspenditur: quia sicut sus ea maxime sui corporis parte lutum vertit: sic mulieres sua potissimum pulchritudine, & forma ad sordes, oblectamque Venerem abutuntur. Quid certius? Audi Paridem Ouidianum.

*Lis est cum forma magna pudicitia.*

Adde Satyrogaphum.

*Rara est adeo concordia forma,*

*Atque pudicitia.*

103 Alij aliter prædictam comparisonem, & similitudinem concinnant ad hunc modum, *Circulus aureus, &c.* Quemadmodum sus in luto fodiens si in aureum monile naso incidit, sordibus, ac luto delectata illud proterit, ac negligit, imò altius cæno inuoluit: sic etiam mulier pulchra, si fatua eadem sit, & impudica, sordibus Veneris delinita, etiam si venustatem nimia venere lædi, ac vitiari certo sciat: tamen facibus oblectata iacturam pulchritudinis contemnit.

Ex duabus præmissis expositionibus constat

Nn iij

Stultam feminam cum sue, aut porca componi: quam similitudinem examinare libet. Quadrat enim in illam primò propter intemperantem libidinem. Secundò, propter stupidam fatuitatem. Tertiò, propter sordidam obscenitatem. Libidinosam igitur feminam optimum simulachrum est sus Aristotel. in lib. 5. de historia animalium cap. 4. id sui atque mulieri proprium esse dicit, ut cum reliquorum animantium feminam certis, ac stans tantum anni temporibus maribus succumbant: tamen mulier ac sus nullo tempore venerem detrectent. Addit vèro ex omnibus animantibus nullum celerius in venerem ruere, quam suem: nam post quartum mensem, ex quo nati sunt catuli, mas feminam subigere solet. Præterea inde fluxit verbum *subare*, quod ad rem venerem à suisbus translatum est. Est etiam verbum Græcum *χορπάλειν* à porco tractum, quod significat corpus prostituere, & quæstui exponere. Sonat autem propriè porcum vendere. Secundò sus fatui cuiusdam stuporis symbolum præbet. Inde nata paromia illa, *Sus Minervam*, quæ in stolidum, ac bardum hominem iactari consuevit. Ad hæc suilla frons inter Physiognomos indocilis stultitiæ simulachrum est. Frontem autem suillam appellant perbreuem, contractam, & capillis sursum versus erectis hispida. Illud etiam huc spectat, quod tradit Horus, Ægyptios, cum aliquem hominem sapientem, & stultitiam perosum adumbrare volebant, suem, & auriem Elephantem incidere solitos: quod perinde erat, ac surationem à brutali sensu separatam, & sepositam ostenderent. Nam Elephantis (inquit Horus) sapientiæ, atque prudentiæ symbolum est, sus vero stuporis imaginem gerit. Sus autem, & Elephantis antipathia naturali adedò dissident, ut illius gronitu solum audito, hic fugam capessere cogatur. Illud denique ad suis stoliditatem spectat, quod tradit Imperfectus homilia 17. in Matthæum, *Porci* (inquit) *proprium est in cæno se volutare, nunquam in celum aspicere, nec quaerere dominum suum.* Augustinus vero contra Faustum libro sexto capite septimo sic ait, *Et fortasse quod in rerum figuris porcus: hoc est in rerum genere stultus.* Vbi plura de hac eadem ratione, *Ex Hara productum, non ex schola*, dixit Tullius aduersus Pisonem, illiteratum, atque indoctum significare volens. Tertiò, demum sordidam obscenitatem suis adumbrat Tertullianus, vel potius Nouatianus de cibis Iudaicis, *Aut cum suem* (inquit) *prohibet in cibum assumi, reprehendit utique canosam, & lutosam, & gaudentem vitiorum sordibus vitam, bonum suum non in animi generositate, sed in sola carne ponentem.* Chrysostr. homilia 48. in Matthæum, *Quid enim* (inquit) *delictiarum isthæc feditas mali non inducit? Sues ex hominibus facit, imò vero etiam suisbus multo deteriores: sus enim in luto voluitur, & stercore nutritur: hic vero lasciuus homo abominabilem sibi mensam conseruit iniquas commixtiones excogitans, & amores nefarios, &c.* Mitto alia. Iam intelliges, quam aptè mulier propter libidinem impudica, propter stuporem fatua, propter sordes & fæces obscæna, cum sue conferatur.

Cæterum quamuis præmissæ expositiones mihi satis accommodatè videantur, tamen subuicio aliã, atque aliam fortasse accommodatiorem. Præmittere autem opus est inter præcipua feminarum ornamenta olim fuisse monilia, seu circulos nasi orbes, scilicet à fronte in nasum demissos, *Isaiæ 3.* inter alia muliebris mundi ornamenta numerantur *gemma ex fronte pendentes.* Hebr. *monilia.* Et *Ezechielis 16.* *Dedi* (inquit) *inaurem super os tuum.* Hebraicè, *super nasum tuum.* Hieronymus autem

ad hæc verba, *Vsq̄ hodie* (ait) *inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os à fronte pendere, & imminere naribus.* Et quidem huius ornamentum species, & elegantia in aptitudine sita erat: si videlicet aptè caderet, & naso accommodaretur. Sensus igitur est. Sicut circulus ille aureus, seu monile, quod feminæ à fronte in nares demittunt, & aptè accommodant, in porcæ nasum aptè cadere, & turpissimo eiusdem rostro accommodari non potest: sic etiam pulchritudo, quæ est eximium naturæ ornamentum, mulieri fatuæ, seu impudicæ nequaquam conuenit: sed malè, atque ineptè illic videtur à natura collocata.

Iansenius in hoc loco non de inaure, aut monili aureo sermonem haberi voluit: sed de circulo, qui olim pro fræno ad animalia quædam effera regenda, & compescenda adhiberi solebat. Sic obseruant interpretes ad illa verba Iob, *Nunquid pones circulum in naribus eius, aut armilla perforabis maxillam eius,* cap. 40. Septuaginta sic reddunt, *Et circumpones capistrum circa nasum eius, & armilla terebrabis labium eius.* Et apud Isaiam cap. 37. *Ponã ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te per viam per quam venisti.* Sed tamen de hoc fræni genere alibi sermo incidet. Pergo ad sententiam, *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra, & fatua*, id est, sicut sus circulo aureo non satis cohiberi potest à suffodienda terra, & luto vertendo, cum ferreo potius opus esset: sic mulier vecors pulchritudine sua, quæ illam tanquam frænum aliquod à libidine reuocare, & arcere deberet, abutitur, & effracto, demorsoque fræno, tetrìs, & obscænis voluptatibus se immergit. Sic Iansenius, qui bonam eruditionem non satis bene collocasse mihi videtur. Vide an potius secundum eum veterem animalia circulis cohibendi morem sententia sic conformanda sit, *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra, & fatua*, id est, quemadmodum sus adacto naribus circulo facile huc illuc trahimus, & in omnem partem vertimus: sic etiam mulierem pulchritudini studentem, sese excolentem, alio qui fatuam, & vecordem auro, donis scilicet trahere, & ad suam voluntatem adducere quiuis facile potest. Sed vide comparationis energiam, quæ sic concinnanda est. Sicut suem iniecto naribus circulo trahere facile est: sic etiam mulierem fatuam oblato monili aureo ex his, quæ supra nasum pendent, ad libidinem allicere æquè facile est. Sic vero aptissime cadit comparatio. Hanc vero fuisse vulgati nostri mentem suadet vox *il a circulus*, qua vñs est abstinens ab inaure. Et quidem ex omnibus interpretationibus, hæc tanquam venustior, & accommodatior me iudice præferenda est.

XXIII. *Desiderium iustorum omne bonum est, & præstolatio impiorum furor.*

**D**esiderium iustorum omne bonum est. Hebraicè, *Desiderium iustorum tantummodo bonum est.* Chaldaus, *Desiderium iustorum ad bonum.*

*Præstolatio impiorum furor.* Hebraicè, *Furor penetrans.* Septuaginta, *Spes autem impiorum peribit.* Symmachus, *abscedet.* Chaldaus, *Præstolatio impiorum ad iram.*

Prima interpretatio Hagonis, Dyonis. Lyræ, & aliorum, verba ista de præmio iustorum, & supplicio impiorum edisserit, ad hunc modum, *Desiderium iustorum omne bonum*, id est, iusti loco præmij bonorum omnium complexionem, ac summam, quam votis omnibus exoptant, auide sperant,

104

105

Hor. 100.

Imperfect.

August.

Cicero.

Tertull.

Nouatian.

Chrysostr.

106

Isaiæ 3.

Ezechiel.

num. 12.

Hieron.

107

Iob 40.

num. 21.

Isai. 37.

108

109



scilicet suam beatitudinem. *Præstolatio impiorum furor*: impij scilicet iram, & vindictam Dei præstolantur. Sed tamen hæc interpretatio languet, & originibus aduersatur.

Secundam expositionem offert Iansenius, qui præmittit vocem illam *bonum* non esse adiectiuum, substantiui illius *desiderium*: sed ipsam magis substantiue accipiendam. Confirmat autem, quia in Hebræo תַּאֲוָה *Thaauath*. pro desiderio est generis fœminini: תוֹב *Thob* autem pro bono, est generis masculini. Itaque deficit substantiui, & adiectiui concordia. Ergo sic accipit Iansenius. *Desiderium iustorum omne bonum*: (desiderium sumitur pro re desiderata.) Quasi dicat, omne illud quod iusti desiderant, bonum est. *Præstolatio impiorum furor*: (pari ratione præstolatio sumitur pro re sperata.) Quasi dicat, id, quod impijs expectandum obuenit, est furor Dei, ultio, & indignatio. Hæc ille, qui ne quidquam docuit vocem illam *bonum*, non esse adiectiue capiendam: tum quia non parum solempne est Hebræis cum substantiuis fœminei generis masculina construere: tum etiam quia cum adiectiuum substantiue capitur, Hebræi fœmineam terminationem usurpant: hæc enim illis est pro neutra, qua carent.

110 Ergo existimo *bonum* esse adiectiuum, atque adeo præmissa verba ad hunc sensum vocanda. *Desiderium iustorum omne bonum est*: omne scilicet desiderium iustorum pium, atque bonum est. Eandem sententiam reddit lectio originalis, quæ ad verbum expressa sic habet. *Desiderium iustorum duntaxat bonum est*. Hæc enim sententia propter signum illud *duntaxat*, æquiualeat alteri vniuersali. Rursus adiectiui concordiam hoc in loco agnouerunt Septuaginta, qui sic habent. *Ὁμοῦσα δὲ τῶν κατὰ εὐδοκίαν ἰδὲ ἐστὶν, ὡς ἔστιν ἐν τοῖς ἀγαθοῖς.* id est, (liceat sic conuertere.) *Cupiditas iustorum omnis bona*. His præfatis placet mihi expositio Rodolphi, quam ipse acceptam refert Abenezra. *Desiderium iustorum omne bonum est*. Iusti scilicet, ac misericordes semper alijs bona optant; cum enim semper, & omnibus benefacere non possint, omnibus tamen, ac semper benefacere concupiscunt: quippe qui sciunt beneficentiam, & misericordiam donantis potius animo, & voluntate, quam censu pensari: at improborum, ac impiorum longe diuersum est studium. Nam *præstolatio eorum furor*. (*Præstolatio* hic sumitur etiam pro *desiderio*) nimirum impiorum vota ex furore, & ira profecta aliorum perniciem audivissime exoptant. Itaque quemadmodum pij, ac iusti homines plura bona conferre desiderant, quam impendunt, & quod deest facultatis, votis compensant: sic etiã impij plura mala inferre cupiunt, quam inferunt, & malefaciendi facultatem desiderio nocendi longe superant: atque adeo maioribus pœnis se subiiciunt quam illa sunt, quæ damnis illatis respondent.

X XIV. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt.*

111 **A**lij diuidunt propria, & ditiores fiunt, &c. Hebraicè: *Est dispergens, & augetur adhuc*. Septuaginta: *Sunt qui propria seminantes plura faciunt*. Aquila, Symmach. & Theodotion: *Dispergentes*. Chaldaus: *Est qui dispergit, & rursus adaugetur ei*.

*Alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt*. Hebr. *Et prohibens à rectitudine, verumtamen ad defectum, vel indigentiam*. Septuaginta: *Sunt autem, qui congregantes minuuntur*. Aliqui

Tom. I.

codices habent: *Parcent autem à rectitudine in defectum*.

Sententia est perspicua. Offert Salomon discrimen, quod inter misericordes, & auaros intercedit. Illi nimirum sua ipsorum bona liberaliter, & effuse distribuunt egenis, & ex hoc illorum copia, & facultates in dies cumulantur: hi vero aliena bona rapiunt & cogunt, & tamen semper angustia rei familiaris premuntur. Quid certius? Frustra hic multa: cum iam inde in superiori capite in eandem sententiam incidentes non pauca contulerimus. Lectio nem Septuaginta tantummodo ad libram accersere opus est, quæ vim primitiuarum vocum apprimere exprimit.

**S**unt, qui propria seminantes plura faciunt. Similitudo ducitur à semente, ex qua constat elemosynam non solum esse æternorum bonorum semen, sed etiam temporalium. Duos quippe more quorundam arborum fructus parturit: præcocem alterum, scilicet temporalium bonorum abundantiam: alterum tempestiuum, puta æternorum immensam copiam. Ea fuit mens Nizetæ, qui in orationem 20. Nazianzeni virum misericordem cum ficulnea composuit: quæ videlicet non solum tempestiuos fructus, nimirum amplas elemosynas in obitu suo largitur, cum facultates relinquere mors cogit: sed etiam tanquam grossos, & præcoces fructus, largas viuus sanusque profert elemosynas. Addit verò Christum Dominum ob eam causam aduersus ficum illam subiraum Matth. 21. & mala ipsi precatum fuisse. *Et videns fici arborem vnam, venit ad eam, & nihil inuenit in eanisi folia tantum, & ait illi: nusquam in te fructus nascatur in sempiternum, & arrefacta est continuo ficulnea*. Sed illud admirationem mouet, quod Marcus addit. *Non enim erat tempus ficorum*: si enim nundum proferendum ficorum tempestas instabat, cur tam seuera sententia prolata est? Occurrit Nizetas, quia ficulnea prius profert grossos, deinde ficos. Iam ergo aderat tempus grossorum, etsi nondum ficorum tempestas erat. Idem ergo Christus Dominus implacabiliter in ficulneam exarsit, quia grossos, præcoces videlicet ficus non germinauerat: vt ostenderet eos sibi admodum inuifos esse, qui beneficia sua, & largitiones in finem vitæ differunt, & præcoces elemosynas non anteuertunt. Quemadmodum ergo

**D**erat tempus ficorum: si enim nundum proferendum ficorum tempestas instabat, cur tam seuera sententia prolata est? Occurrit Nizetas, quia ficulnea prius profert grossos, deinde ficos. Iam ergo aderat tempus grossorum, etsi nondum ficorum tempestas erat. Idem ergo Christus Dominus implacabiliter in ficulneam exarsit, quia grossos, præcoces videlicet ficus non germinauerat: vt ostenderet eos sibi admodum inuifos esse, qui beneficia sua, & largitiones in finem vitæ differunt, & præcoces elemosynas non anteuertunt. Quemadmodum ergo Nizetas virum misericordem cum ficulnea confendum esse censuit: sic nos ipsam misericordiam, & largam in pauperes beneficentiam ficulneæ haud disparem esse prædicamus: quæ non vnum tantum, sed duos fructus parturit: nimirum præcocem quandam grossorum, id est, bonorum temporalium vberitatem, ac tandem naturam, & tempestiuam ficorum, hoc est, æternorum bonorum affluentiam. Hinc Salomon. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt*. Vel vt habent Septuaginta. *Sunt qui propria seminantes plura faciunt*. Hanc eandem sententiam, & sub eadem seminis similitudine tradidit Paul.

**F** & sub eadem seminis similitudine tradidit Paul. 2. Corinth. 9. postquam enim præmiserat. *Qui parce seminat, parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*: per breui interstitio verborum addit. *Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus omnem sufficientiam habentes abundetis in omni opere bonum*. At cur (inquit) Paulus ait. *Potens est Deus dare omnem sufficientiam*: & non potius dabit vobis Deus omnem sufficientiam? Occurrit Chrysostomus, ne si certo hæc bona temporalia pollicitus fuisset, non liberaliter, sed potius ob certam dati compensationem homines elemosynas donarent, quod ipsarum meritum vel extenuaret, vel omnino tolleret. Ideo ait. *Potens est Deus dare, &c.* nimirum

Nn iij

caduca isthac bona liberaliter, & effuse erogare potis est. Quasi dicat, non quidem ob eam causam, quia Deus ex eisdem remensurus vobis si in hac vita, vos liberales esse volo ( id enim liberalitati aduersatur ) sed tamen interim scitote posse quidem ex his temporalibus bonis remetiri, ac sapius velle. Itaque ait: nō ideo donare temporalia debetis, quia Deus temporalia retribuit. Vellem tamen, ne vos timor penuriae, & indigentiae ab his largitionibus retardet: Nam fieri certē potest, vt quaecumque homo ex misericordia largitur, cumulatā ad ipsum redeant. Rursus Paulus ait. *Vt in omnibus omnem sufficientiam habentes abūdetis in omne opus bonum.* quibus verbis ostendit eximiam quandam praestantiam, & excellentiam earum facultatum, quibus Deus antea ctas eleemosynas remetitur: quod scilicet multam bonorum operum facultatem suppeditant. Deus enim, qui eiusmodi copias donat, cum his pariter in opera pia infumendi nouum studium, & facultatem immitit. Itaque cum alias diuitiae periculosa sint, vt pote plurimorum vitiorum administrā, & auxiliaries: tamen illa copia, quas ob collatas eleemosynas quis obtinuit à Deo, omni periculo vacant. Nam cum his simul boni earundem vsus facultatem, & voluntatem donat Deus, & pias nouorum sumptuum occasiones offert. Addit Paulus. *Qui autem administrat semen seminanti, & panem ad manducandum praestabit, & multiplicabit semen vestrum, & auget incrementa frugum iustitiae vestrae.* Quibus verbis clarius praefatam sententiam tradit, ducta similitudine ab agricola, & aratore, quem Dominus ad ferendum agrum mittit: is enim frumento quidem saccum illius implet ad ferendum, & in peram similiter panem immitit ad manducandum. Sic Deus misericordes, ac liberales multis affatim bonis cumulat, vt ex his seminare, atque vesci possint: vt scilicet eleemosynas multas inde spargere, & multas etiam in proprios vsus infumere integrum sit. Sed expende iterum verba illa. *Et panem ad manducandum praestabit:* & agnosce discrimen eorum bonorum, quae Deus retribuit liberalibus, & eorum, quae auari, & fordidi industria sua comparant: haec enim auaro vescendi facultatem adimunt: illa multam comedendi copiam liberali suppeditant. Audi Salomonem apud Ecclesiast. *Omni homini, cui Deus dedit diuitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, & letetur de labore suo: hoc est donum Dei.* Et post pauca subdit. *Est & aliud malum, quod vidi sub sole, vir cui Deus dedit diuitias, & substantiam, & honorem, nihil deest anima sua ex omnibus, quae desiderat: nec tribuit ei potestatem, vt comedat ex eo.* Illud sane liberalis est, hoc autem auari: ille donat, fruiturque partis: hic vero, quia non donat, vsu etiam bonorum suorum merito priuatur. Non nemo est, qui ad hunc sensum praefata Salomonis verba vocarit hoc modo. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: scilicet quia vtuntur bonis. Alij rapiunt aliena, & semper in egestate sunt:* nimirum quia licet multa bona cumulaerint, his tamen per summam parcitatem non vtuntur. Sed praestat prior expositio.

*XXV. Anima, quae benedicta impinguabitur: & qui inebriat, ipse inebriabitur.*

**A**nima quae benedicta impinguabitur, &c. Hebr. *Anima benedictionis impinguabitur, & inebrians etiam ipse pluuia.* Alij vero extrema verba sic conuertunt: *Et satians etiam ipse satiabitur.* Chaldaeus integram sententiam sic extulit.

**A**nima benedicta impinguabitur: & qui docet etiam, ipse discet. Nota est homonymia pluendi, atque docendi in lingua Hebraica: frustra hic adscribam. Septuaginta longe aliter transferunt. *Anima benedicta omnis simplex: vir autem animosus inhonestus est.* Hieronym. contra Rufinum: *Anima benedicta omnis simplex vir.* Aquila, Symmach. & Theodotion, *impinguabitur*, sicut nostra. Symmach. verò extremam partem sic extulit: *Ebrius ipse etiam praecox.* Graecè *οεσιος*.

Primam huius loci expositionem offert translatio Septuaginta, quam Chrysostomus homilia 17. in Ioannem, vt verba sonant, de simplicitate, & synccritate animae exponit ad hunc modum. *Benedicta omnis anima simplex:* omnis videlicet, qui abiecta verfugia simplicitatem colit, benedictus, id est, foelix, ac Deo gratus est. Subdit: *Vir autem animosus inhonestus est,* animosum vocat temerarium, iracundum, & ad audendum proiectum hominem. Quapropter mallem simplicem animam hic appellari moderatam, modestam, & mansuetam, vt animosam, id est, temerariam, atque audaci proprius opponatur. Itaque ait: *Vir animosus,* id est, effrānis, & temerarius inhonestus est. Graecè ad verbum, *Non est formosus,* id est, turpis est, atque indecorus, omnia scilicet indecore gerit. Regia habet: *Vir iracundus non est formosus.* Quanta verò sit turpitudine vultus in homine ira percito, lege apud Basilium in homilia de ira, & apud Gregorium Nazianzenum in poemata eodem titulo.

Si autem vulgatam lectionē teneamus, duae omnino suppetunt interpretationes. Altera per benedictionem bonas, & salubres bonorum preces, vel doctrinam salutarem intelligit, vt sit sensus: *Anima, quae benedicit, ipsa impinguabitur:* quicumque scilicet aliis benè precatur, ac benè vult, vel alios saluari doctrina informat, donis pinguis, atque gratiis à Deo cumulabitur. Consonat Diuus Gregorius, qui Pastoralis Curae, 3. parte admonitione 26. praemissa verba sic illustrat. *Qui enim praedicando exterius benedicit, interioris auferenti pinguedinem percipit, & dum vino eloquij auditorum mentem deebriare non desinit, potu multiplicari muneris deebriatus excrescit.* Accedit Chaldaeus Paraphrastes, qui extrema verba metaphoram soluens sic extulit: *Qui autem docet, etiam ipse addiscet.* hoc est, ab iplo Deo edoctus proficiet. Ceterum licet interpretatio propter magni Gregorij auctoritatem suscipienda sit: subest tamen altera, quae mihi aptior, & cum reliquo textu concinnior semper visa est: scilicet de beneficentia, ac liberalitate in pauperes. Ergo ait: *Anima, quae benedicit, ipsa impinguabitur,* seu *anima benedictionis,* vt habent Origines benedictionem autem appellat eleemosynam iuxta Pauli phrasim: *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus, & metet.* Et saepe alias in scriptura benedictio pro beneficio accipi solet.

Sic interpretantur haec verba Iansenius, Rodolphus, & Caietanus. Itaque sensus est haud dissimilis superiori sententiae. Quicumque in alios beneficus, & liberalis est, vberem bonorum copiam à Deo obtinebit ( siue hoc de temporalibus, & caducis, siue de spiritualibus, & aeternis bonis accipiatur. ) At enim pensitare libet hoc prius hemistichium, antequam posterius excutiam: *Anima, quae benedicit.* Quorum iniquis benedictionis vocabulo eleemosyna censetur? Chrysostomus in secundam epistolam ad Corinthios homilia 20. cum Sacerdotis proprium esse dixisset benedicere, ac bona populo precari: addit virum liberalem, & misericordem erga pauperes Sacerdotio quodam omni Sacerdotio veteri excellentiore fungi: *Pecunias (inquit) aspernat*

114 Paulus.

115

116

Eccles.

118

Basilius. D. Nazianzenus.

119

Gregor.

Gregor.

120

Chrysost.

117

magnitudinem animi gignit, & Sacerdotes constituit. Et quidem eiusmodi Sacerdotio fugientes, quod ingentem mercedem afferat. Nam qui elemosyna studiosus est: non ille quidem talari veste indutus est, nec tintinabula circumfert, nec corona redimitus est. Verum humanitatis, & clementia stola, quae sacram illam vestem sanctitate superat, conuestitus est (dicente Apostolo. Induite viscera misericordiae) oleoque delibutus est non materialis, sed ab Spiritu Sancto effecto (scilicet ipsa misericordia, quae cum oleo comparatur) ad haec coronam à miseratione contextam habet: sicut ait scriptura. Qui coronat te in misericordia, & miserationibus: & pro lamina Dei nomen gestat: imò Dei similitudinem assequitur. Quidni cum Christus dicat similes eritis, &c. Addit insuper Chryostomus altare, quod non solum antiquo altari praefert: sed etià nostro. Nam cum ipsum in pauperem altaris vices agere dixisset. Hoc altare (inquit) praesentis quoque altari angustius est, magisque tremendum. (Quae so ne tumultum excitebis) hoc enim quo nos vivimus, eximium quidem est, & admirandum ob eam victimam, quae in ipso imponitur. Illud autem, hoc est, hominis misericordis, non hoc dumtaxat nomine: sed etià, quia ex ipsa quoque victima, quae hoc efficit, constructum est, admirationem habet: illa enim ara ex ipsis Christi membris conflatur. Rursus hoc altare natura quidem lapis est: sanctum vero efficitur, postquam Christi corpus excepit: illud vero, quia Christi corpus est. Itaque hoc altare, cui tu laicus astas, horribilius est, quam illud. Commemorat etiam Sancta Sanctorum: At dices in Sancta Sanctorum ingreditur Sacerdos: licet sanè hoc sacrificij munus obeuntem in adyta magis tremenda ingredi, in quibus nemo mortalium adest, ubi pater, qui videt in abscondito, rediit. Vide ibi plura. Meminit etiam ignis, suffituum, aliaque eiusmodi ex sacrificio tum veteri, tum nouo elemosynae venuste accommodat, sed cum ad benedictiones, quibus Sacerdos fausta omnia, atque foelicia populo precatur, ventum est, addit: Benedicit quidem Sacerdos populo: hic verò, scilicet misericors, benedictiones disseminat (restis est Paulus. Qui seminat in benedictionibus) benedictiones illas, quae ad benedicientem redeunt, de benedictionibus & metet.

Cur autem elemosyna benedictionis nomen ferat, alibi docuit idem Chryostomus: nimirum quia ad benedicendum Deum excitat accipientem. Imò & Eucharistiam id est, gratiarum actionem appellari posse elemosynam ibidem asserit: quia pari ratione ad reddendas, & ex animo agendas gratias tum Deo, tum etiam homini donanti pauperem permouet. Itaque misericors in pauperis altari suam quoque (liceat sic dicere) immolat Eucharistiam. Igitur Salomon ait: Anima, quae benedicit, ipsa impinguabitur: nimirum benedictionibus ad illam redeuntibus. Addit.

Et qui inebriat, ipse inebriabitur. Iansenius, & Rodolphus hanc similiter verba de beneficentia interpretantur, atque mensuram significari volunt, quae Deus beneficentiae, & elemosynae opera cõpensat: nimirum parua paruis retribuendo, magna itè magnis. Itaque ait: qui pauperem affatim supeditando explet, ipse quoque bonorum vbertate affatim explebitur: qui verò parce erogat, parce & metet. Caietanus habet: Et qui satiat pauperes, ipse satiabitur. Alij verò inebriandi verbum non ad hominem, potumque referendum putant: sed iuxta scripturae phrasim ad terram, quae pluuia, aut irrigatione inebriari dicitur Psal. 64. Vistasti terram, & inebriasti eam, & saepe alibi: Ergo isti interpretes locum sic conuertendum putant: Et qui irri-

gat, ipse irrigabitur, qui scilicet beneficentia sua pauperes irrigat, ipse vicissim caelestium beneficiorum rore perfundetur. Similitudinem quidem fontis ad irrigandum idonei ad elemosynam venuste transtulit Chryostomus homil. 23. in acta Apostolorum: Fontes (inquit) ex quibus irrigua ducitur aqua in summis locis debent oriri (scilicet vt per suos ductus omnè in partè fluenta deriuari possint.) Igitur sumus, & nos animo sublimes, & statim misericordia diffluet. Nò potest enim fieri summam animam, & diuitias contemnentem, non etiam misericordem esse. Lege ibi plura de huius fontis perennitate, & fluentis, ac de plantis, quae potissimum eo fonte irrigandae sunt. Rabi Dauid non ad fontis irriguum, sed ad imbres, & pluuias retulit. Locum autem sic conuertendum putauit. Et inebrians, seu irrigans ipse pluuia, id est, quicumque opportunè suis beneficiis, atque elemosynis pauperes irrigauerit, ipse quidem vocabitur pluuia tempestiua. Et quidem ita vulgò dicimus de his, quae opportunè, & foeliciter eueniunt, aut incidunt: Como el agua de mayo: quae inter alias opportunissima est.

XXVI. Qui abscondit frumentum, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium.

Qui abscondit frumenta maledicetur in populis. Hebr. Prohibenti frumentum maledicetur ei populus. Septuaginta: Qui continet frumentum, relinquat illud nationibus. Symmachus, & Theodotion. Qui prohibet. Chryostomus homil. 39. in epistolam 1. ad Corinthios: Qui frumenti auget pretium, est populo execrandus, aut vulgo execrabilis. Diu. Cyprianus habet: Captans annonam maledictus in plebe est. Diuus Ambrosius 3. Officiorum, cap. 6. Captans pretia frumenti maledictus in plebe est. Et in fine capituli alteram lectionem addit: Qui continet frumentum, relinquat illud nationibus. Aquila, Maledicent eum populi. Symmachus: Maledictus populo. Theodotion, a plebe. Chaldaeus verò sic habet: Qui prohibet frumentum in fame, relinquat illud inimicis suis.

Inuehitur Salomon in eos, qui annonam flagellat: qui scilicet frumentum asseruantes, & includentes non prius venum exponunt, quam inopia publica pretia auxerit. Itaque ait: Qui abscondit frumentum, maledicetur in populis, id est, qui frumentum condidit, vt cum sterilior prouentus sit, carius ipse vendat, communem totius populi maledictionem, & execrationem capiti suo accersit. Atqui multitudinis querelas, & preces Deus exaudire confuevit, praefertim cum ex afflictione clamat, Eccles. 4. Maledicentis tibi in amaritudine animae exaudietur deprecatio illius. Septuaginta pro illis verbis: Maledicetur in populis; reddunt: Relinquat illud nationibus, aut gentibus: quibus adhæsit Chaldaeus, qui transtulit: Relinquat illud inimicis suis. Sensus tamen non est dissimilis. Nam vulgata affirmat in eiusmodi hominem, qui frumentum includit, maledicta multa à popularibus iactanda. Septuaginta verò adscribunt illud maledictum, quod fere vulgus in eiusmodi hominem tenacem iacere confuevit, nimirum. Nolo gozeel, sino los estraños, ysus enemigos. Et quidem ita accidere solet vt quae hac ratione contra fas asseruantur, male plerumque pereant. Audi Chryostomum in ea hom. 39. Mul- ti (inquit) etiam integra dolia exinanierunt, & nec acetum quidem dederunt gentibus: acetum autem ex vino factum totum humi iecerunt, & dolia sua simul cum vino corruerunt. Alij autem rursus cõ-

Chrysof.

Rabi Da.

124

D. Chryf.

Cyprian. Ambros.

Eccles. 4.

125

Chrysof.

121

122

123

Psal. 64. uers. 10.

ne offa quidam surientem impertuerint, integras frumentis capis in fluium protecerunt: & quia Deum non audierunt iubentem dare egenis, iubente curculione, vel inuiti quidquid erat intus, effuderunt ad exitum, & extremum interitum multum quidem risum, & multas execrationes simul cum hoc damno in caput suum attrahentes. Ipsi autem nequaquam impunes abeunt. Addit enim Chrysostomus: Sicut enim isti à curculione exesum, & inutile redditum frumentum in fluios iaciunt: ita eos, qui hoc fecerunt, propter hoc ipsum factos inuitiles proiciet Deus in fluium ignis: sicut enim frumentum curculio, & vermis, ita istorum animas exedit crudelitas, & inhumanitas. Aptæ quidē similitudo. Curculio enim frumenti medullam, & (vt ita dicam) viscera exedit: sic etiam crudelitas eiusmodi homines fauos quodammodo euiscerat: illa scilicet misericordiae viscera exenterans, de quibus Apostolus Ioannes prima canonica, capite 3. ait: *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauerit viscera misericordiae suae ab eo, &c.*

1. Ioann.  
num. 17.

126

Rursum illam execrationem Septuaginta: *Relinquat illud gentibus, aut nationibus*, aliqui perinde esse putant, ac relinquat illud pauperibus, egenis, & peregrinis (hi enim gentium nomine notantur.) Eo scilicet adducatur angustiae, vt ea, quæ tam diu asseruauit, in pauperes expendere necessum sit. Sed qua tandem ratione id euenire soleat, docet ibidem Chrysostomus: *Nam quoniam plures (inquit) legis Dei magnam non habentes rationem omnia tenent intus inclusa, aliter eos Deus adducit ad benignitatem, & humanitatem, vt vel ex necessitate aliqui d boni faciant: maioris damni inicit mentem non sinens in multum tempus durare fructus terræ, vt velox eorum interitus damnatum timentes: ea etiam inuiti addant egentibus, quæ domo infossam male seruant.*

D. Chrysf.

Ambros.

D. Basil.

In eiusmodi annonæ flagellatores longam, & satis elegantem orationem texit Ambrosius supra libro tertio Officiorum, capite sexto, lege ibi. Adde Basilium in homilia contra ditescentes auaros, vbi sic ait: *Ad horrea tua aperienda noli annonæ caritatem expectare: nam qui auget pretium annonæ, publica execrationi obnoxius redditur. Famem ob aurum ne opperitor. Noli ob utilitatem priuatam communem in ediam affectare: noli inquam institor caupovè humanarum fieri calamitatum, ne per occasionem cumulandi aurum iram in te accersas Dei.*

227

*Benedictio autem super caput vendentium.* Opposita priori sententia: cuncti scilicet fausta, atque felicia omnia illius capiti precantur, qui frumenta sua exponit, & publice diuendit, inopiam communem eleuans: Septuaginta habent: *In capite eius, qui communicat*, eodem sensu. Cyprianus scribit: *In capite eius, qui participat*, id est, qui alios participes suarum copiarum facit. In idem recidit. Singularem sententiam reddit Hispanicorum Bibliorum translatio: quæ verba ista de his, qui vel prohibent comæatum, vel asportant in vrbes, exponit ad hunc modum: *El que veda la ciuera maldexir lo ha la gente: benedicion a la cabeça del acarreador.*

Cyprian.

128  
Gregor.  
Salonius.

Ad extremum verba ista spiritualem ad sensum vocant Diuus Gregorius Pastoralis Curæ, 3. part. admonitione 26. & Salonius in mystica expositione parabolarum. Vterque autem de prædicatore interpretatur: *Frumenta abscondere* (inquit Gregorius) est prædicationis sanctæ apud se verba retinere: in populis autem talis quisque male dicitur, quia in solius culpa silentij pro multorum, quos corrigere

poterat, pœna damnabitur. Ipsissima transcribit Salonius, & super illa: *Benedictio super caput vendentium*, sic adnectit: *Illi vendunt frumenta, quæ verba vite suis auditoribus annunciant. Quod pretium accipiunt ab eis? Pretium fidei, & promissionis sanctæ. Quomodo veniet benedictio super eorum capita? Quia singulis eorum dicitur est Dominus: Euge serue bone, fidelis, & quia, &c.* Hæc ille, qui etiam ista verba ex Beda in sua commentaria transcripta coniecit.

**B** XXVII. *Bene consurgit diluculo, qui querit bona: qui autem inuestigator est malorum, opprimetur ab eis.*

**B**ene consurgit diluculo, qui querit bona. Hebr. *Querens mane bonum querit beneplacitum.* Chald. *Qui consurgit diluculo ad bonum.* Septuaginta: *Fabricans bona querit bonam gratiam.* Aquila: *Matutina consurrectio boni querit gratiam bonam.* Ambigua est vox סוּחַר Suchar: significat enim manè surgere, aut etiam inuestigare diligenter.

129

**C** *Qui autem inuestigator est malorum, opprimetur ab eis.* Hebr. *Querens malum veniet ei.* Septuaginta: *Exquirentem mala comprehendent eum.*

Prima expositio, in quam ferè interpretes conspiciunt, est eiusmodi: *Bene consurgit diluculo, qui querit bona*, id est, iure optimo, & non sine mercede diligentiam, & solitudinem nauat, manè surgens, & somnium discutiens, quisquis querit bona, seu beneplacitum, vel gratiam, vt habent Origines, id est, quisquis per bona opera Dei gratiam inire satagit: *Qui autem inuestigator est malorum*: is nimirum, qui non minorem curam nouis quotidie sceleribus perpetrandis adhibet, opprimetur ab eis: quia ipsa illius scelera, & piacula in caput ipsius recident, pœnasq; suis sceleribus pares dabit. Non displicet hæc interpretatio.

Secundò, Iansenius obseruat illud, *qui querit bonum.* Hebraicè, *beneplacitum*, accipiendum sanè de bono, atque placito ei, qui operatur, vt hæc prior pars per oppositionem melius respondeat posteriori. Quasi dicat: quicumque manè consurgit ad bonum sectandum, is sanè illud inquit, quod cum obtinuerit, ipsimet pergratum erit, ac volupe: secus ille, qui ex auaritate malefaciendi nouas scelerum rationes vestigat: hic enim ob malum, quod tam auide sectatur, tunc cum euenit, dolebit maximè.

Cæterùm alia mihi incessit mens: existimo enim adhuc Salomonem liberalitatis, & beneficentiæ laudes extollere, & contra sordes verba facere: nam superior, & qui sequitur versus, ad eandem materiam pertinent. Ergo bonum beneplacitum, vel gratiam, de bono, aut gratia aliis per beneficentiam exhibitis accipiendum puto ad hunc modum: *Bene consurgit diluculo, qui querit gratiam*, id est, ille scilicet, qui beneficiis, ac donis liberalibus gratiam aliorum inire contendit; bene, id est, non frustra, non in vanum, non gratis, aut sine mercede diluculo consurgit ad beneficia collocanda: *Manè autem surgere ad donandum*, ad opportunitatem referendum est. Nam opportunitas beneficia, atque mœnera auget plurimum: donum quippè cito, ac tempestiue collatum duplex quodammodo est (vt alibi diximus.) Contra verd: *Qui inuestigator est malorum opprimetur ab eis.* Hæc pars cum superiori sic consuetudina est. Illi scilicet, qui non beneficia, sed mala aliis inferre parat, secus accidet: nam mala, quæ aliis intendit, in ipsum cumulatius redibunt.

130

Interpretationem autem Septuaginta hunc ad

sensum trahere oportet: *Fabricans bona querit bonam gratiam*, est Helinismus. Itaque sic explicanda sunt: ille, *qui bonam gratiam*, id est, pergrata beneficia aliis conferre vult: fabricat quidem bona, nimirum sibi ipsi adinuenit, atque asportat multa bona: vel fabricat bona, id est, cumulat, & auget: ducta similitudine ab ædificiis, quæ artificum opera in dies affurgunt: si tamen bonum fundamentum nacta sunt. Nullum verò tam firmum est fundamentum, sicut beneficentia, & misericordia. Sic Paulus ad Timotheum 1. cap. 6. *Præcipe diuitibus, &c. benefacere, diuites fieri in operibus bonis, iribuere, & communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum.*

1. Tim. 6.  
num. 17.

XXVIII. *Qui confidit in diuitijs suis, corruet: iusti autem quasi virens folium germinabunt.*

131

**Q**UI confidit in diuitijs suis, corruet. Hebr. *Fidens in opulentia sua ipse corruet*. Consonant Septuaginta, & Chaldaus.

*Iusti autem quasi virens folium germinabunt.* Hebrai. *Et tanquam folium iusti germinabunt*. Deficit autem dictio *virens*, apud Septuaginta: abest etiam dictio *folium*: sic enim habent: *Qui autem in heret iustis germinabit*. Symmachus concinit cum nostra.

Parum apta est expositio Caietani, qui extrema hæc verba: *Iusti autem quasi folium germinabunt*, perinde capienda esse docet, ac si dicat. Iustus imitabitur arborem folia proferentem: quia non secus innumerabiles filios suæ iustitiæ æmulatores gignet, quam arbor virens folia pullulat. Violenta sane expositio. Ergo ut parum diuersas aliorum interpretationes missas faciam, locus iste non alium sensum reddit, quam verba sonant. Itaque ait: *Qui confidit in diuitijs suis, corruet*, qui scilicet ob diuitiarum copiam & vim elati superbiunt, corruent plane infelici ruina deturbati. Idem Paulus 1. ad Timoth. 6. *Diuites* (inquit) *huius sæculi præcipe non sublimè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum.*

1. Tim. 6.  
num. 17.

Græcè *ὁτι πλῆτες ἀδύνατοι*: est autem ἀδύνατος ignorantia, incertitudo, error: fluit verò ab ἀδύνατος, quod est obscurus, & tenebrosus. Itaque non quicumque incertitudinem: sed eam propriè significat, quæ accidere solet his, qui in tenebris agentes, non satis decernunt, quoniam pergere, & quam in partem sese dare debeant. Itaque Paulus ait: nolite sperare in diuitiarum *incerto*, id est, nolite in diuitijs spem vestram locare, quæ cæcæ sunt, & quasi in tenebris agentes huc illuc sine iudicio, & sine consilio transmeant. Sicut enim qui in tenebris est, in hanc, & illam partem in incertum fertur, & nullum sibi locum certo destinat, ad quem tendat: sic diuitiæ vagæ, & incertæ sunt, & ab vno in alium maxima temeritate mouentur, &c. Ergo Salomon ait: *Qui confidit in diuitijs suis, corruet*: qui nimirum eas sibi duces adhibet, corruet, impinget, quia cæcæ sunt, & in tenebris agunt: imò tenebras menti

132

Imperfect.

offundunt. Ea propter satis apte obseruauit Imperfectus homilia 15. in Matthæum Christi Domini, postquam dixit: *Nolite vobis thesaurizare thesauros in terra, sed thesaurizare vobis thesauros in caelo, &c.* statim nullo interstitio addidisse: *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*: illud scilicet innuens, eum oculo simplici, & claro insignitum esse, qui diuitias despicit, & egenis liberaliter easdem largitur: illum verò oculo nequissimo, & obscurissimo præditum esse, qui auarus, & parcus est, cuius

vere totum corpus tenebrosum est, totum videlicet in tenebris, & caligine: atque aded crebrius impingit, ac corrui. Obicit autem Imperfectus eiusmodi auaros, & sordidos homines satis benè, & acutè in terrenis videre, & oculatos esse. Respondet verò his verbis: *Sicut enim qui graues oculos habet, si ponas eum in aliquo obscuro, tenebrosoque loco, melius videt: si autem ponas eum in sole, nihil videt, quia oculus eius non suffert solis candorem: sic homo mundialis, qui oculum, id est, mentem terrenis rebus sordidatam habet, si ponas eum in rebus mundialibus, sapit: si autem trahas eum ad res spirituales, tenebrescit, ac nihil sapit*. In his ergo labuntur, & concidunt.

Imperfect.

Cæterum illud *corruet* similitudine à folijs arborum ducta additum fuisse putat Iansenius, ut prior isthæc pars posteriori respondeat. Isaia 64. *Cecidimus quasi folium vniuersi*: quem loquedi modum supra expendimus. Debet autem per comparationem efferri ad hunc modum: *Qui confidit in diuitijs, corruet*. Is nimirum, qui diuitias, & opes auarè asseruat, & in illis spem locat suam, similis erit arbori, quæ defluentibus folijs nudatur. Et quidem virentia folia spem immortalitatis adumbrant, (ut author est Diuus Ambrosius in Psalm. 1.) Itaque perinde est, ac si dicat, qui spem suam diuitijs adiicit, ab spe immortalitatis deiectus concidit. Sic enim Paulus: *Noli sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, & vero*, innuens scilicet hæc inter se pugnare: atque aded eum, qui in opibus spem reponit, spem Deum prorsus abiicere solitum. Nec mirum: sicut enim arborum folia hyemis frigore appetente defluunt: sic etiam in auaris, qui misericordiam in pauperes exuerunt, charitate refrigescente ipsa spes foliorum ad instar defluentium concidit, & delapsa perit. Contra verò.

133

Isa. 64.  
num. 6.

Ambros.

*Iusti quasi virens folium germinabunt*, id est, futurorum bonorum virentem quandam spem recipient. Sicut enim arbor veris calore confota folia virentia progerminat: sic liberalis, & misericors (hic enim nomine iusti notatur, ut sapè aliàs animaduerti) charitatis calore, & misericordiæ æstu tepescens spem pullulabit virentibus folijs quasi vernantem. Chrysostomus in illud Apostoli: *Oportet semper hereses esse. Sicut radix* (inquit) *in pingui plantata solo singulis annis tempestinos affert fructus, & folia: sic & pecunia in manibus pauperum plantata, non solum in singulos annos, sed etiam in singulos dies spirituales nobis fructus, foliaque producit: fidenciam scilicet in Deum, peccatorum abscessum, conscientiam bonam, leticiam spiritualem, spem incundam, & bona, quæ preparauit Deus diligentibus se*. Rursus vitio radicis arborum folia, & fructus defluere solent: si verò radix incolumis, & robusta sit, folia, fructusque vberes producit. Vtique radix malorum omnium est cupiditas, & auaritia (teste Apostolo) radix vitiatæ, & putris. Quapropter quicumque eiusmodi egit, misit-ve radicem, omnem spirituale fructum, & virentia spei folia citius abiicit. Quemadmodum ex aduerso, qui elemosynam copiose largitur (hæc enim multorum bonorum radix est ex Ambrosio in libro de Abel, & Cain) velut arbor sana, & incolumi radice virtutum omnium vberes fructus producit, & fiducia in Deum folia pullulat viridantia. Rodolphus verò fatius putat folia, iustorum, & misericordium esse eorundem opes, & diuitias: fructus autem ipsa misericordiæ opera. Itaque cum ait Salomon: *Iustus autem quasi virens folium germinabit*, perinde est, ac si dicat. Iustus diuitias multas, tanquam folia afferet: sed quorsum? Nimirum, ut sicut folia fructus contegunt, & ab æstu, & frigore defendunt: sic etiam apud illos opes

134

Ambros.

ra misericordiae tanquam fructus quidam opibus ipsi recti, & defendi semper virent.

XXIX. Qui perturbat domum suam, possidebit ventum: & qui stultus est, seruiet sapienti.

135

**Q**ui perturbat domum suam, possidebit ventum. Hebr. Possidens domum suam, hereditate accipiet ventum. Possimus etiam conuertere: *Hereditate relinquet ventum.* Vox originalis est, *לחל*, *linchal* à radice *Nachal*, quæ significat hereditario iure aliquid obtinere. Septuaginta: *Qui non conuersatur domi hereditabit ventum.* Aquila, Symmach. & Theodot. concinunt cum nostra.

*Et stultus seruiet sapienti* Hebr. *Et seruus stultus sapiēti corde.* Septuaginta. *Et seruiet imprudens prudenti.*

Prima expositio est Caietani ad hunc modum: *Qui seniores sunt in domesticos*: qui scilicet filios, familiamque immitti conuersatione exturbant, atque prouocant, hi sane habebunt heredem ventum, quia nimirum concitati, & prouocati à patre filij obedientiam, & subiectionem exuunt, & vento similes redduntur, quem cohibere, ac coercere nulli integrum est. Quod si obiicias secundum hanc expositionem, priorem versiculi partem cum posteriori recti non posse, excogitauit nexum Caietanus, per quandam disparitatem consimilem, hoc modo. Parens trux, & immitis culpa sua priuat se potestate filiorum: contra vir sapiens stultum, insipientem, & proteruum filium humanitate sua in suam ipsius redigit potestatem. Itaque oppositio est inter parentem imprudentem, & prudentem. Ille enim amittit potestatem in filium sapientem: hic vero accipit illam in stultum. Et quidem filios, qui obsequium, & obedientiam erga parentes abiecerunt, cum ventis contulit Petrarcha in sermone de Filiis contumacibus.

Petrarcha

136

Ceterum hæc Caietani expositio mihi parum solida videtur. Tamen si locum istum de perturbatione, & confusione domesticorum interpretari licet, ego sic explico: *Qui perturbat domum suam possidebit ventum*, id est herus, aut dominus, qui in domesticos suos, mancipia scilicet, ac vernas, crudeliter sæuit, qui assiduas turbas in domo excitat, & omnia permiscet: hic sane possidet ventum liquidum, & fugacem: seruos inquam possidet fugaces, ac desertores, qui ventorum in morem è domo illius vnus post alium labuntur, atque fugiunt. Ita enim accidere solet, vt serui, & mancipia dominos truculentos, & sæuos fugiendo deserant. Huic ergo expositioni apte affuitur alia pars: *Stultus autem seruiet sapienti*, id est, ei, qui prudentia præstat, qui quis sapientia, & prudentia inferior est, sponte interruit. Itaque sensus est: sæuum, ac immitem dominum proprii serui deserunt, prudenti vero ac moderato domino omnes alij minus sapientes libenter subduntur. Quod si hæc expositio, quæ mihi satis germana videtur, non satis arridet, accipe aliam.

137

Iansenius, & Rodolph. per *domum*, rem omnem domesticam, & familiarem intelligunt, quod non est insolens scripturæ: infra cap. 24. *Sapientia aedificabitur domus, & prudentia roborabitur.* Et cap. 14. *Mulier sapiens aedificat domum suam*, id est, auget, cumulatque rem suam. Itaque sensus est: *Qui perturbat domum suam*, id est, qui rem suam familiarem dilapidat: fauet lectio Septuaginta, quæ sic habet: *Qui non conuersatur domi*, id est, qui rebus domesticis tractandis, ac tuendis non vacat: is quidem possidebit ventum, id est, breui interuallo merum

Prou. c. 24  
num. 3. &  
num. 1.

ventum, ac nihil habebit. *Et qui stultus est, seruiet sapienti.* Nimirum hic ipse, qui facultates suas decoxit, ob stultitiam suam coactus angustia seruiet prudentiori. Hæc ille. Verum aliter expositio accommodatius efformari potest ad hunc modum: *Qui perturbat domum suam*, id est, qui facultates suas perdit, ac deuorat, possidebit ventum, seu hereditabit ventum, id est, patrimonium quantumuis maximum, quod hereditario iure à patre accepit, ad instar venti obtinebit: ocyus enim venti in morem diffilabitur, & aufugiet. Quod si legas cum aliis: *hereditare faciet ventum*: sentus erit, merum ventum hæredibus suis relinquet, id est, nullas opes ad hæredes suos transmittet. Omnia in idem recidunt: *Stultus autem seruiet sapienti*, id est, qui ad eum modum per summam stultitiam opes decoxit, quas à maioribus suis accepit, ad egestatem redactus cogetur seruire sapienti, qui res suas tueri, & defendere nouit.

XXX. Fructus iusti lignum vitæ: & qui suscipit animas, sapiens est.

C

**F**ructus iusti lignum vitæ. Hebræa non dissimulat. Septuaginta: *De fructu iustitie nascitur arbor vitæ.*

138

*Et qui suscipit animas sapiens est.* Chald. *Et suscipit animarum est sapientia.* Septuag. longe aliter: *Auferentur autem intempestiua anima iniquorum.* Caietanus item legit. *Et capiens animas est sapientia.*

Prima expositio est Hebræorū, qui locum istum sic conserunt: *Fructus iusti est lignum, vel arbor vitæ*: ex iusto nimirum, velut ex vitæ arbore salubrem, ac dulcem fructum decerpere licet. Quapropter suauitate huius fructus allectæ multæ ad ipsum animæ accurrunt. Ipse verò sua sapientia inescans capit, & captas possidet. Itaque illud *suscipit animas*: sic conuerti malunt: *possidet animas*. Quasi dicat, sapiens multos sibi seruos reddit: vt nimirum versus iste superiori respondeat, qui desinit in illa verba: *Stultus autem seruiet sapienti.* Nostræ vero lectionem ad hunc sensum allicere licet: *Et qui suscipit animas, sapiens est* (suscipit inquam) id est, capit: capere autem ad seruitutem referri solet: inde mancipium, velut manu captum.

E

Iansenius à superiori expositione non multum abit, sic scilicet: *Fructus iusti arbor vitæ*, id est, iustus non sibi tantum, sed etiam aliis prodesse studet: imitatur enim vitæ arborem, ex qua suauem, & salubrem fructum capere omnibus licebat: hic verò sapiens cum sit, animas multas suscipit, id est, lucratur Deo: iuxta illud Lucæ 5. *Ex hoc iam eris homines capiens.* Veruntamen vtraque expositio mihi parum idonea videtur.

Luc. 5.

139

Existimo ergo nomine iusti in hoc loco (vt aliàs in hoc capite) misericordem & beneficum hominem notari: atque ideo sensum esse. *Fructus iusti est arbor vitæ*: fructus nimirum, qui misericordie ob collocata beneficia, atque eleemosynas confertur, id est, merces illius est arbor vitæ, puta in hoc sæculo. Nam de vitæ æterna hic non agi suadent verba, quæ sequuntur: *Si iustus in terra recipit, &c.* sensusque sic confirmandus est. Cum Salomon passim in hoc libro valetudinem, incolumitatem, & longam vitam misericordie polliceatur (vt iam inde non semel monui) hoc idem similitudine arboris vitæ promittit in hoc loco. Quasi dicat: *Misericors mercedis loco capiet vitæ arborem*, id est, vitam non secus producet, quam si fructu ligni vitæ vescetur in dies ætatis iaduræ quotidie redimens: *Et qui suscipit*

*suscipit animas, sapiens est.* Quapropter qui suscipit animas, id est, qui multos pauperes subleuat, qui peregrinos excipit, & necessariis emolumentis donat, &c. hic vere, & ex animo sapit. Et quidem *suscipere*, ex communi scripturæ phrasi idem est, quod *opem ferre*. Psalm. 118. *Suscipime secundum eloquium tuum, & viam, & alibi. Tu es susceptor meus.* Et Psalm. 40. *Propter innocentiam susceperisti me, & passim aliàs: Itaque suscipere animas, est eisdem auxiliari, & opem ferre.* Nisi etiam malis animam accipi pro voluntate: tunc enim *suscipere animas*, erit voluntates & gratiam aliorum inire beneficiis, atque donis. Quò spectasse videtur lectio Hispanica, quæ hoc loco ad verbum habet. *El cobrante las voluntades es sabio.*

Psalm. 118  
num. 116.  
Psalm. 40.  
num. 13.

140

Quod si hæc displicet interpretatio, priora illa verba: *Fructus iusti est arbor vitæ*: sic accipe. Misericors ad instar obtinet ligni vitæ: quia sicut arbor vitæ vescentibus vitam, & valetudinem afferebat: sic etiam ille suis eleemosynis, & beneficiis largitionibus pauperum vitam, & sanitatem tuetur. Etenim arbor vitæ satis accommodatam viri misericordis similitudinem offert: erat enim in medio paradisi, ut omnibus undique ad illam pateret accessus. Sic misericors velut in medio situs est: non accipit personas: sed omnibus æquè sui, ac suarum rerum copiam facit. Arbor vitæ nullo tempore fructus intermittebat, & in singulos menses germinabat, secundum illud Apocalypsis: *Ex utraque parte fluminis lionum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum.* Misericors autem nullo tempore eleemosynas intercipit, & non modo in singulos menses: sed etiam in singulos dies vberes eleemosynarum fructus profert. Reliqua ex te fingito.

141

Reliquum est, ut de lectione Septuaginta iudicium feramus: hæc enim sic habet: *De fructu iustitiæ nascitur arbor vitæ: auferentur autem intempestive anime inimicorum.* Sententia profecto facilis, & luculenta est, sed à nostra lectione vulgata, & ab originibus abhorrere viderur. Quapropter observa etiã nunc id, quod non semel aliàs animadverti, Septuaginta in illud valde eniti solitos, ut in his parabolis, quæ fere duplici parte opposita constant, nunquam antithesis desit. Vnde si forte alicubi hæc antithesis aut deerat, aut obscurior erat, illam additis nonnullis verbis expresserunt. Ergo in hoc loco, cum posteriorè partem, quæ suadet eleemosyna, ope, & auxiliis omnibus pauperes subleuare, in priori inclusam, & satis supra repetitam esse viderent, ut antithesis esset illustrior, pro illa quandam aliam priori aduersam sententiam subrogarunt. Itaque aiunt: *Ex fructu iustitiæ nascitur arbor vitæ*, id est, ex eleemosyna, tanquam ex semine germinat vitæ arbor, hoc est: viri misericordis merces est prolixior, ac longior vita, & valetudo incolumis similis ei, quæ ex arboris vitæ esu homini eueniret, nisi olim excidisset ex paradiso: *Auferentur autem intempestive anime iniquorum*, id est, ex aduerso auari, & sordidi immaturè decedent, ante senectutem, & canos mors illos inuadet. Nam qui pauperum vitam bonis suis producere, & tueri noluerunt cum possent: iure optimo propria vita priuati morte intempesta de medio tolluntur. Iam intelliges ex hac lectione Septuaginta, non parum roboris accedere nostræ expositioni. Pergo ad alia.

XXXI. Si iustus in terra recipit: quanto magis impius, & peccator?

142

*Si iustus in terra recipit.* Hebr. *En iusto in terra reddetur.* Caietan. habet: *Ecce iustus in terra*

Tom. 1.

*omendabitur: Septuag. Si iustus quidem vix saluabitur.* Chald. *Ecce iustus in terra roboratur.* Alij vero conuertendum potius existimant: *Si iustus in terra vim adhibet, aut vim patitur.* Dissimilitudinem istam parit vox originalis, quæ significat *reddere*, item *facere*, & *pacificare*. Vnde etiam illa inter Hebræos satis inoleuit lectio. *Iustus pacem habebit in terra.*

*Quanto magis impius, & peccator?* Hebr. *Etiã qui impius, & peccator, supple reddetur.* Septuag. *Impius, & peccator ubi parebunt?* Chald. *Impij autem, & peccatores de terra perdentur.* Hanc sententiam iuxta lectionem Septuaginta vsurpauit Petrus 1. can. cap. 4. de quo infra.

Prima ergo interpretatio sic habet: *Si iustus in terra recipit*, id est, si iusti merces non omnino in futurum sæculum differtur: sed magnis, amplissimisque beneficiis illius officia compensat Deus in hac vita: quanto magis peccator suorum scelerum potiori iure pœnas dabit, etiam ante mortem? Displicet hæc expositio Ians. quia Salomon hic argumetur à minori ad maius: illa verò omnino æqualia videntur: tantam enim iustus dignitatem affert ad præmia, quantam impius ad supplicia. Cæterum hæc Iansenij obiectio facile eludi potest. Nam dicere quis posset cum peruulgata apud Scholasticos opinione, Deum quidem in futuro sæculo in peccata citra dignitatè animaduertere: bonis autem iustorum operibus ultra dignitatem retribuere: sic vero argumentatio à minori ad maius optimè conformatur ad hunc modum. Si iustus qui in alio sæculo largam, & merita superantem mercedem refert, sapius etiam in hac vita non exigua beneficia recipit à Deo: quanto magis impius, qui in futura vita impares meritis pœnas daturus est, grauiã quoque in hac vita Deus supplicia immitteret? Et quidem hanc interpretationem satis commendat series contextus. Nam cum in superiori versu Salomon præmiũ commemorasset, quò Deus iustum afficit in hac vita, satis accommodatè comparisonem præmissam subnectit inter præmia atque pœnas. Fauet etiam Chaldæus, si tu ita legas (ut habet Regius codex.) *Ecce iustus in terra roboratur: impij autem, & peccatores de terra perdentur*, id est, si quidem iustus in terra pro meritis fortunatur, & augetur: potiori iure impij pro demeritis, laboribus & calamitatibus obruendi erunt.

Sed tamen licet prædicta expositio concinna videatur, & contextui accommodata: cæterum authoritas, & communis conspiratio interpretum me in aliam impellit, ac flectit. Ergo vtramque partem de suppliciis capiendam existimo hoc modo. *Si iustus in terra recipit, &c.* si scilicet iustus pro minimis quibusdam, & venia dignis culpis pœnas non leues dat in hac vita: quantas utique pro magnis piaculis impium in alia dare oportebit? Hæc sane argumentatio legitima est, quæ sæpe aliàs in scriptura occurrit. Hierem. 25. *Quia ecce in ciuitate, in qua inuocatum est nomen meum, ego incipiam affligere: & vos quasi innocentes immunes eritis? Non eritis immunes, &c.* & cap. 49. *Ecce quibus non erat iudicium, ut biberent calicem, bibentes bibent: & tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes.* Accedat etiam locus Isaïæ cap. 32. *Super humum populi mei spine, & vepres ascendent: quanto magis super omnes domos gaudij ciuitatis exultantis?* Sed elegantissimus est locus 1. Pet. 4. qui sic habet. *Quoniam tempus est, ut incipiat iudicium à domo Dei: si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Euangelio?* Subdit vero verba deprompta ex hoc capite. *Et si iustus vix saluabitur, impius, & peccator ubi parebunt?*

Hierem. 25  
num. 29. &  
49. num. 12.

Isaï. 2.  
num. 13.

1. Pet. 4.  
num. 17.

145 Verba isthæc ex Patribus non pauci attigerunt, **A** nec iustus parcat, emendans eos varietate tribulationem, cum de hac re aperte sit dictum. Et si iustus vix saluus erit? &c. Et certe hæc mihi ante alias expositio arridet, quam suadet ipsemet contextus. Cum enim Petrus de magnis laboribus, ac molestiis verba faceret, quibus Deus erudire solet pios, atque iustos, sic addit, *Nemo autem vestrum pariat, ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor: si autem ut Christianus non erubescat: glorificet autem Deum in isto nomine: nimirum gratias ingentes Deo agat, quod tam nobilem labores tolerandi causam obtulit. Quia tempus est, ut iudicium incipiat à domo Dei.* Gaudet scilicet, quia in hoc sæculo punitur. Nam Deus ita decreuit, ut domestici eius, id est, iusti seuerius corripentur in hac vita, atque vindictæ initium ab illis sumeretur (videtur autem Petrus expressisse illa verba Ezechiel. 9. *A sanctuario meo incipite.*) Sed quid inde? Attegit. *Si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Euangelio? quasi dicat; Iustus sane, integerque iudex ille est, qui nec domesticis quidem suis parcat. Ergo qui tam seuerè in suos familiares ob leuiore culpas agit, qua tandem ratione, in alienos ob grauissima scelera, & piacula desæuiet? D. Gregor. Moral. 26: cap. 17. putat similitudinem ductam fuisse à motu naturalis corporis in centrum, qui velocior est in fine, quam in principio, atque rationem sic et formari. Si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Euangelio? Si scilicet diuina seueritas, cum primum aduersus culpas moueri, & incitari incipit, tantam in ipsos iustos stragem edit, qua tandem vi, & impetit in fine motus sui contra impios, sceleratosque ferretur? Peccata (inquit) neququam diuina seueritas inulta remanere permittet: sed iram iudicij à nostra (scilicet impiorum) hic correptione incipit, ut in reproborum damnatione tanquam in fine motus conquiescat.* Chrysofom. hoc ipsum similitudine serui exprimit, qui cum videt filium seuerissime à parente corripi, & emendari, totus contremiscit, atque totam demum iram in se iam effundendam expectat. Confirmat eandem sententiam Petrus verbis ex Salomone productis addens. *Et si iustus vix saluabitur, impius, & peccator ubi parebunt?* Ex quo fit eum locum non de futuro sæculo, ac iudicio: sed de pœnis, quibus Deus in iustos animaduertit in hac vita, exponendum esse. Itaque sensus est: si iustus vix tandem huius vitæ calamitatibus, & ærumnis eripitur, quibus Deus leuiore illius culpas punit: impius, atque peccator vbinam post vitæ istius decursum parebunt? id est, quas in pœnas, quos in cruciatus adibunt, ut magnorum scelerum pœnas luant? Sic vero explicatus locus iste omnino concinit cum lectione vulgata: quapropter non dubito hanc expositionem reliquis præferendam esse.

1. Pet. 4.

Ezech. 9. num. 6.

D. Greg.

148

Chrysof.

**Didymus.** Didymus, Oechumenius, & alij non pauci. Quod per hyperbolem dictum existimauit Carthusianus super illud Matth. 24. *In errorem inducantur (si fieri possit) etiam electi.* Ergo iusti vix saluandi dicuntur, quia parum affuit, vt damarentur propter innumera pericula & discrimina, quibus obiecta fuit semper eorum salus. Hieronym. ergo in eo lib. contra Pelagianos sic habet. *Certe iustus est, qui in die iudicij vix saluatur: saluatur autem facile, si nihil haberet macule. Ergo iustus est in eo quod floret multis virtutibus, & vix saluatur in eo, quod in quibusdam indiget Dei misericordia.*

146 Augustinus in Psalm. 6. de conuersione iusti ad Deum exponit. Cum enim præmisisset ingentem difficultatem, quæ fere in resipiscencia est, huius difficultatis duas quidè offert causas: priorem quidem his verbis. *Quod enim facile sanatur, non multum cauetur: ex difficultate autem sanationis erit diligentior custodia sanitatis.* Itaque Deus propterea nonnullas salutis recuperandæ difficultates immittit, vt recuperatam iam semel salutem diligentius tueamur. Posteriore vero sic addit. *Simul etiam vt agnoscat, quanta pœna in impiis præparatur, qui se nolunt conuertere ad Deum, si tantam difficultatem conuertentes patiuntur. Sicut scriptum est: Si iustus vix saluus erit, peccator, & impius, ubi parebunt?*

**August.** Itaque ex difficultate, & labore pœnitentiæ colligit Augustinus magnitudinem pœnæ, & cruciatu, quibus Deus in impios animaduertit. Et quidem meritò. Nam difficultas, & labor pœnitentiæ satis extollit magnitudinem delicti: magnitudo vero delicti, pœnæ atque supplicij grauitatem apprimè declarat. Igitur ex mente Augustini illud, *Si iustus vix saluus erit*, non de beatitudine, & gloria, sed de gratia indispiscenda accipiendum est hoc modo. Si iustus multo labore, & angore vix tandem resipiscit, & animi sui salutem assequitur, quot & quanta supplicia manebunt iniustum, & peccatorem ob culpam illam, quæ tam difficile deletur.

147 **Ambros.** **August.** **Ambros.** Cæterum Diu. Ambrosius in Apolog. 2. pro Dauid cap. 3. & August. in lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 14. hæc verba de laboribus, ac pœnis temporalibus, quæ vel ad correptionem, vel ad exercitationem immittere solet Deus iustus accipiunt. Ambros. enim sic habet. *Si iusti pœna atrocioris receperunt sententiam, tu quemadmodum tibi spem impunitati proponis, cum scriptura dicat: Si iustus vix saluus sit, peccator, & impius ubi parebunt?* August. vero sic addit. *Quid enim iustus vnico, cui tamen Deus non pepercit? Et quid euidens iustus, quod*





## CAPVT DVODECIMVM.

**Q**VI diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes, insipiens est. 2. Qui bonus est, hauriet gratiam à Domino: qui autem confidit in cogitationibus suis, impie agit. 3. Non roborabitur homo ex impietate: & radix iustorum non commouebitur. 4. Mulier diligens, corona est viro suo: & putredo in osibus eius, quæ confusione res dignas gerit. 5. Cogitationes iustorum iudicia: & consilia impiorum fraudulentia. 6. Verba impiorum insidiantur sanguini: os iustorum liberabit eos. 7. Verte impios, & non erunt: domus autem iustorum permanebit. 8. Doctrina sua noscet vir; qui autem vanus, & excors est, patebit contemptui. 9. Melior est pauper, & sufficiens sibi, quàm gloriosus, & indigens pane. 10. Nouit iustus iumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia. 11. Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est. Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam. 12. Desiderium impij munimentum est pessimorum: radix autem iustorum proficiet. 13. Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem iustus de angustia. 14. De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis: & iuxta opera manuum suarum retribuetur ei. 15. Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia. 16. Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam, callidus est. 17. Qui quod nouit, loquitur, index iustitiae est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus. 18. Est qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientiae: lingua autem sapientium sanitas est. 19. Labium veritatis firmum erit in perpetuum: qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacij. 20. Dolus in corde cogitantium mala: qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium. 21. Non contristabit iustum quidquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo. 22. Abominatio est Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placeat ei. 23. Homo versutus celat scientiam: & cor insipientium prouocat stultitiam. 24. Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet. 25. Mæror in corde viri humiliabit illum, & sermone bono latificabitur. 26. Qui negligit damnum propter amicum, iustus est: iter autem impiorum decipiet eos. 27. Non inueniet fraudulentus lucrum & substantia hominis erit auri pretium. 28. In semita iustitiæ vitæ iter autem denarium ducem ducit ad mortem.

1. *Qui diligit disciplinam, diligit scientiam, qui autem odit increpationem, insipiens est.*

**Q**ui diligit disciplinam. Hebraicè. Diligens correctionem, diligens scientiam. Septuaginta. Diligit sensum. Scholiast. Qui diligit disciplinam, diligitur. Aquila, Symmachus, & Theodot. à vulgata non abeunt.

Nonnulli existimant hoc in loco Salomonem eximium ad scientias capeffendas adolescentibus præceptum tradere. *Qui diligit disciplinam, diligit scientiam.* (Nomine disciplinæ correptionem, & castigationem intelligit.) Itaque ait: adolescentem, qui virgam, & ferulam amat, hic sane satis eo argumento declarat se scientiam diligere impensius, atque adeò futurum, vt breui eam consequatur. Ex aduerso autem iuuenis correptionis peritus, eruditionis, & sapientiæ vsquaque expertus erit. Quantum vero correptio, & castigatio ad obtinendam sapientiam faciat, innuit Cyprianus de disciplina, & habitu virtutis, vbi disciplinæ amorem appellat: *Custodem bonæ spei, fomitem, ac nutrimentum bonæ indolis*, scilicet in iunioribus.

Cæterum existimo nomine scientiæ hoc loco (sicut aliàs in hoc libro) practicam illam cognitionem animum instruentem ad operandum, & pie, sancteque viuendum accipiendam: atque adeò sensum esse. *Qui diligit disciplinam, diligit scientiam.* Qui scilicet gaudet correptione, & obiurgatione, cum mali aliquid admisit, is sanè vere, & ex animo studiosus est sapiens, ac pius: secus autem, qui correptiones inique fert, is sane insipiens erit, hoc est improbus, & peruiçax. Sed obseruandum est illud.

*Qui diligit disciplinam, diligit scientiam:* non enim ait scientiam assequitur, sed diligit. Hinc natum Philosophi vocabulum autumat Chrysofomus, quod Pythagoras, vt alia multa ex sacris libris hausit, quorum lectione, vt auctor est Clemens Alexandrinus libr. Stromat. aliquando imbutus fuit. Aiunt enim Pythagoram sciscitanti an sophos, id est, sapiens esset, occurrisse: non quidem se σοφός, id est sapientem: sed φιλόσοφος, id est, amatorem sapientiæ dici velle. Placuit deinceps mirum in modum hoc nomen, tum quia eximiam sapientiæ dignitatem testaretur: tum etiam, quia inuidiam antiquorum sapientum imminueret: atque adeo exinde ab omnibus sapientibus vsurpatum fuit. Augustin. lib. 14. de Trinitate cap. 1. sic habet. *Non omne terrebimur exemplo Pythagora, qui cum ausus non fuisset sapientiam profiteri, Philosophum potius, id est, sapientiæ amatorem se esse respondit. A quo hoc nomen exortum ita deinceps posteris placuit, vt quantalibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisque, vel sibi, vel aliis videretur excellere, non nisi Philosophus vocaretur.*

Aliam huius nominis satis diuersam rationem obtulit Clemens Alexandrinus libr. 4. Stromatum. *Ac mihi (ait) certe videtur Pythagoram solum Deum sapientem esse dicere: propter eam autem, quæ sibi intercedebat cum Deo amicitiam, vocabat se Philosophum.* Ergo siue hinc, siue inde nomen istud libauerit Pythagoras: illud sanè hoc ex loco mutud accepisse existimat Chrysofomus, quod quidem volentibus læculis adeò celebratum est, vt non modo antiqui Ethnici, & sapientes Philosophi, & eorum doctrina dicta sit Philosophia: sed nostræ

tes etiam sapientes non tam scientia, quam moribus instructos, Philosophos: & Christianam disciplinam, philosophiam passim vocitent Græci Patres. Nil solennius Chrysofom. Nazianzeno, Ba-

A filio, & aliis. Vide quæ nos supra contulimus in c. 1. vers. 2.

Suadet vero correptionem diligere Chrysofomus homilia de Ferendis reprehensionibus, & conuersione sancti Pauli, locum istum edisserens his verbis. *Qui enim odit redargui, ait Salomon insipiens est. Non dixit sic: vel sic redargui, sed tantum redargui: nam siquidem iuste arguit amicus, agit vt peccatum corrigat: sin absque ratione, & immerito, iam laudanda est voluntas eius, & probanda intentio mentis, agnoscendumque & testandum amicitia beneficium. Non enim reprehenderet, nisi multum diligeret. Proinde ne stomachemur, nec succenseamus, cum arguimur. Quibus verbis optima ratione euincit Chrysofomus correptiones ad amandas esse. De stultitia autem eorum, qui easdem asperrantur, breui interstitio verborum sic attexit. In peccatis id efficiunt reprehensiones, quod in vulneribus remedia. Idcirco sicut insipiens est, qui pharmaca reicit: ita & stultus est, qui non suscipit grato animo reprehensiones. Et sanè ille, qui correptiones refutat, non solum in eo insipientem se prodit, quod rem adeò sibi proficuum, &*

B vtilem abiicit: sed etiam ex eo, quod cum alios non audiat multa ignorare necesse est. Nam licet mirum in modum suspicias (ait Chrysofomus) & perspicias ea, quæ oportet: attamen homo es, & consiliario, & monitore tibi opus est Solius enim Deus est nullius indigere, & nullo opus habere consiliario. Eapropter de eo solo dicitur. Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Quid lucidius sole? Et tamen lux eius deficit. Et profecto sicut lucidam illam lucem se penumerò superuenientes tenebra obtegunt: ita & intellectum nostrum, quasi in meridie fulgentem, & perspicuum inconsiderantia obrepens tenebrosam reddit: & nonnunquam euenit, vt sapiens non videat, quod oportet, & minor, & hebetior clare, & acute illud perspiciat. Confirmat hoc Chrysofomus exemplo Moysis, qui ab Iethro focero suo barbaro, atque indocto homine non leuem obiurgationem audiuit auditamque boni cõsuluit: nimirum vt ea ratione correptionis amorem se præberet. Absoluit denique sanctus ille Doctor his verbis prædictum de ferenda reprehensione tractatum. *Reprehensionem bene ferre non vulgare, sed summa philosophia præconium, & laus est.* Quibus verbis Salomonis sententiam expressit.

*Qui diligit disciplinam, diligit scientiam,* nam vt iam inde supra admonui, philosophia est amor, seu dilectio sapientiæ.

Incidit etiam in hunc locum Antiochus in Pandectis sacre Scripturæ homil. 68. vbi sic habet. *Homò siquidem de se quam modestissime sentit, seque pro abjecto habet, ac vili, multa cum animi voluptate, & benevolentia exoptat, quæ in se recedunt correptiones, aut quantalibet asperam obiurgationem. Beatus (inquit) Monachus, qui se aliud esse censet nihil, quam omnium peripsena. Hanc sententiam confirmat statim testimonio Salomonis dicentis. Qui diligit disciplinam, diligit scientiam: ostendens fieri posse, vt tanta sit alicuius animi deiectio, & humilitas, vt correptiones, & obiurgationes non admet solum, sed impensius exoptet. Placuit autem mihi Scholiastis adnotatio in hunc locum, qui nomine peripsematæ Græcè ἀειψήσας significari putauit ramentum, aut limaturam: atque adeo sententiam sanctissimi Patris eam esse, Beatus ille Monachus, qui aliud nihil se esse censet, nisi omnium peripsena, id est, limaturam: qui scilicet sese omnium hominum limis correptionibus inquam asperrimus, quæ limarum adinstar, si quid elatum, & dispar est, exterunt.*

3  
Chrysof.

Cyprian.

D. Chryf.  
Pythag.  
Cle. Alex.

August.

Cle. Alex.

D. Chryf.

D. Chryf.  
D. Nazianzenus.  
Basilienus.

4

Antioch.

i. Cor. 4. & expoliunt, libenter subiicit. Huc referenda sunt  
num. 13. verba Pauli. *Facti sumus omnium peripsa, &c.*

I. I. *Qui bonus est, hauriet gratiam à Domino: qui autem confidit in cogitationibus suis, impiè agit.*

**Q**ui bonus est, hauriet gratiam à Domino. Hebraicè: *Educat benevolentiam.* Septuaginta: *Melior, qui inuenit gratiam à Domino.* Sic habet correctior textus Complutensis: *Melius, qui inuenit gratiam apud Dominum.* Chaldaeus: *Qui suscipit.* Aquila: *Bonus supereffundit* (vel potius) *affluenter haurit beneplacitum, & gratiam à Domino.* Græcè *ὁ ἀγαθὸς*, quæ vox utramque recipit lectionem.

*Qui autem confidit in cogitationibus suis.* Hebraicè: *Et virum machinationum peraget reum.* Pagninus: *Et malas habentem cogitationes condemnabit.* Concinit Caietanus. Septuaginta. *Vir autem iniquus tacebit.* Chaldaeus: *Et viri impij infringitur consilium.* Verbum Hebraicum est *דָּוַר יַרְסָאֵל*, in Hiphil à *דָּוַר יַרְסָאֵל*, id est, impium esse. Quapropter in Hiphil erit impium declarare, aut peragere. Ita vulgus aliorum interpretum. At noster vulgatus cum satis nosset in ea coniugatione verba aliquando non mutare, sed solum intendere significationem, ideo transtulit syncerere, *impiè agit.*

Caietanus, Iansenius, & Rodolphus existimant Salomonem, qui præmiserat discrimen, quod intercedit sapientem inter, atque insipientem, iam nunc ostendere quantum bonum inter, atque malum inter sit. Itaque de bono, atque malo in vniuersum edifferendum existimant locum istum. Cæterum ego potius reor de humili, atque superbo sermonem esse: sic enim postulat contextus. Nam cum posteriori loco confidente in suis cogitationibus obiiciat, & opponat bono: sanè boni nomine humilem intelligit. Hæc fuit mens Venerabilis Bedæ, & Hugonis, & ea ratione versus hic cum superiori optime necitur. Cum enim de audiendis correptionibus, & obiurgationibus dixisset, apte humilitatem attexit: hæc enim vna præcipue ad increpationes libenter audiendas animum comparat: vt satis declarant præfata Antiochi verba in ea homil. 68. quibus alia adnectit satis ad rem. *Vir humilis incredibili letitia perfunditur, tacitus super correptione priuata, & contemptu, magis quam pro exhibito honore, & proprij celebritate nominis, unde & talis à Deo prædicatur beatus iuxta Isaiæ testimonium: Sanctificatis eum, qui extenuat animam suam: qui autem odit correptiones, imprudens.* Quibus verbis Isaias humilitati odium correptionis ex aduerso opponit. Lege etiam Chrysostrum in ea homilia de ferendis reprehensionibus.

Ergo sic ait. *Qui bonus est, hauriet gratiam à Domino*, humilis scilicet Dei fauorem consequetur. Aliqui ex his, qui conuertunt. *Educat placitum*, seu voluntatem à Domino, interpretatur de ipsamet iusti voluntate: vt sensus sit, voluntatem suam, id est, quidquid ipse vult, à Deo obtinebit.

Quæ sententia etsi vera sit (humilitas enim maximam precibus ad impetrandum vini facit) ceterum in vulgatam lectionem nimidum cadit. Et sanè cum hæc sententia alibi occurrat (nimirum capite octauo, vbi sapientia ait; *Qui me inuenit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino* (sic enim habet Origenes.) & cap. decimo octauo. *Qui inueniet mulierem bonam, inueniet bonum, & hauriet inuicentiam à Domino.* Hebraicè, *voluntatem à*

**A** Domino) utrobique accommodatior sensus euadit: si videlicet Salomon eiusmodi homines fauorem, opemque diuinam consequuturos esse dicat. Rursus secundum hanc expositionem posterior pars cum priori melius coit. Mentem igitur Salomonis videtur attigisse Beda, qui locum istum expendens ait. *Harum partium connexio talis est, qui bonus est, non confidit in cogitationibus suis, sed Domini gratiam querit, & questam inuenit: per illam verò accipit, vt pie viuere possit. Qui autem in cogitationibus suis fidit, bonus esse nequit: nam quia gratiam superni adiutoris petere non curat, merito in impia actione perdurat.* Hæc ille. Sed tamen vide an locus iste à superiori dependeat: ego enim ita reor, atque adeo sensum esse. *Qui bonus est* (nimirum humilis, ac demissus, qui increpationes, & animaduersiones libenter excipit) *hauriet gratiam à Domino*, id est, vel ob eam causam, quia correptiones demissus audit: ad peruincenda, & debellanda vitia sua, efficacem gratiam, & auxilia à Deo obtinebit. *Qui autem confidit in suis cogitationibus.* Ille scilicet, qui propter tumorem, & elationem animi, cum sibi satis sapere videatur, documenta, & hortamenta aliorum detrahat, hic sanè *impiè agit*, id est, in sua scilicet impietate diutius perstabit.

**C** Augustinus librum integrum de gratia, & correptione complexit, atque dum hæc duo concordia reddere studet, sententiam istam Salomonis non semel attingit docens gratiam correptioni præsto esse, & corda per seueras obiurgationes contuncta, & stimula gratiæ, atque adiutorio Dei obsequentiora fieri. Nam cap. 7. sic ait. *Corripitur ergo origo damnabilis, vt ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur. Si tamen qui corripitur, filius promissionis est, & strepitu correptionis forinsecus insonante, atque flagellante Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operatur, & velle. & sane cum hæretici contendere posita gratia nullum correptioni locum esse, vtiq; aiebant. Cum ipsa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis, quia vides me eius præcepta facere nolle, & non potius eum rogas, vt in me operetur, & velle? Occurrit verò Augustin. cap. 5. *Quicumque corripitur non vis, ex eo sanè corripendus es, quia corripitur non vis. Non vis enim tua tibi vitia demonstrari: non vis, vt feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo Medicum quæras: non vis tibi in ipse ostendi, vt cum deformem te vides, reformatorem desideres, eique supplices; ne in illa remaneas foeditate. Et post pauca. Dolor quippe ille, quo sibi displicet, quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in maioris orationis affectum, vt Deo miserante incremento charitatis auitus designet agere repudenda, & dolenda, & agat laudanda, & gratanda. Denique per correptionem fieri, vt diuina gratia, & auxilia ad superanda vitia opportunè adsint, comprobatur Augustinus testimonio Pauli 2. ad Timoth. 2. vbi postea quam dixit. *Cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.* Addit. *Nequādo Deus det illis penitentiam ad cognoscendam veritatem, & respiciant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad illius voluntatem.* Illud nequando, positum est pro si forte, aut si quando: nisi forte placeat Anselmi coniectura, qui ait. *Corripiamus eos, ne forte nobis non corripientibus Deus aliquando per seipsum det illis penitentiam, & nos erubescamus, qui de salute eorum desperabamus, & nullam inde mercedem habeamus.* Ex his constat gratiam & fauorem Dei illi, qui correptiones libenter audit, præsto esse ad vitia emendanda, sicut qua nulla salubris est animaduersio, aut castigatio. Illud autem verbum *hauriet*, ad copiam & affluentiam gratiæ notandam additum est. Rursus quia verbum *hauriet*,**

8

August.

August.  
9August.  
2. ad Tim.  
2. num. 25.

Anselm.

Villano.

germanè significat aquam ex imo trahere, aut educere, diciturque proprius de altis puteis, affluentiam istam gratiæ ab humilitate fluere significat. Ita sensit in quadam concione Villanous Archiepiscopus Valentinus, vbi hæc habet. *Hauriet gratiam à Domino, id est, Deo adiuuante ab humilitate, qua se profundius demisit, velut ex altissimo puteo uberem gratiam trahet*: humilitas nimirum, & animi profunda demissio, qua obiurgationes exceptit, in causa erit, vt gratiam affluentiore ab ipsa profunde manantem obtineat. Et quidem de humilitate sermonem haberi in hoc loco iam inde monui.

10

Reliquum est, vt de lectione Septuaginta iudicium feramus, quæ sic habet. *Melior, qui inuenit gratiam à Domino: vir autem iniquus tacebit.* Græcè *ὁ ἀδικῶν τὸ σιωπῶν* est verbum medium, atque adeo duobus modis conuertere licet: nimirum *tacebit, & tacebitur*. Sensus tamen non dissidet. *Melior*, Græcè *κρείττων* est etiam *potentior*. Ergo sensum sic efformandum esse existimo. *Melior*, id est, potentior, atque valentior est iustus, qui inuenit gratiam à Domino, qui fauorem scilicet Deiactus est, qui Deo auxiliatore vtitur: *Vir autem iniquus tacebitur*. In scriptura *tacere ac silere* passim est excindi, & prosterni, Sophoniæ, primo Hebraicè. *Succisus est omnis populus*. Hieronymus: *Conticuit*. Et Abdiaz. *Quomodo succisus es*. Hieronymus: *Conticuisse*. Et Hierem. 25. *Et conticuerunt arua pacis*. Et quidem tria verba דמם *Damam*, דמה *Damab*, & דומ *Dum*, significant simul *excindere*, & *silere*. Ergo sensus erit: *Vir autem impius tacebit, aut tacebitur*, id est, peccator succidetur, infirmabitur, aut elidetur. Ad hæc boni consule hanc meam coniecturam. Fortasse Septuaginta, Chaldaus, imò & noster etiam Interpretes in primitiuis inuenerunt *ירוע* *Iruang*, pro *ירשע* *Irsangh*, à verbo *רוע* *Rauang*, quod quidem tria significat, *conteri*, *malum esse*, & *tacere*: atque indenata triplex illa lectio, *impie ager, conteretur, & tacebitur*, qua vsi sunt vulgatus, Chaldaus, & Septuaginta. Ad alia.

Soph. 116. 1  
Hierony.  
Abdias 1.  
num. 3.  
Hier. 25.  
num. 37.

III. Non roborabitur homo ex impietate, & radix iustorum non commouebitur.

11

**N**on roborabitur homo ex impietate. Hebraicè: *Non erit stabilis homo in pietate*. Caietanus: *Non stabilietur homo impietate*. Septuaginta: *Non prosperabitur homo ex iniquo*, sic habet textus correctior. Complutensis: *Non dirigitur*, eodem sensu. Aquila, & Symmochus, *non stabilietur*.

*Et radix iustorum non commouebitur*. Septuaginta. *Radices autem iustorum non auferentur*.

Rodolphus existimat hæc verba ad posteritatem referenda, vt sensus sit: *Non roborabitur homo ex impietate sua*, impius scilicet nullos, aut vix paucos numerabit filios: his enim domus robotatur, & ad posteros transit. Ex aduerso verò *radix iustorum non commouebitur*, id est, sicut arbores, cuius radices altius defixæ sunt, effulos ramos germinat: sic iusti copiosam prolem germinabunt. Vel potius quemadmodum plantæ nouis radicibus hinc inde proiectis, terram in dies ampliore occupant, & fortius stabiliuntur: sic etiam iusti pluribus indies productis filiis tellurem late implebunt, & stabilius in terra obfirmabunt. Et quidem filij nonnunquam ramis conferuntur. Apud Hebræos *בן* *Ben*, filium, & ramum sonat. Et vulgo, *A los renueuos de los arboles llamamos hijos*. Item posteritatem cum radicibus arborum componi suadet locus Psal. 51. *Enellet te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuicium*.

Psal. 51.  
num. 7.

**A** Cæterum vt leuiores, atque minoris momenti alias, atque alias expositiones omittam, vulgata translatio hunc sensum reddit. *Non roborabitur homo ex impietate* (impietatem appellat impiè & iniuste partas diuitias, quasi dicat. Iniuste partis nemo roboratur, aut stabilitur: nemo scilicet robustam inde, firmam, & stabilem fortunam adipiscitur. Nam cum male parta male dilabuntur, cum his pariter fortuna hominis labitur, ac ruit. *Radix autem iustorum non commouebitur*. Nomine radicis in scriptura passim facultates intelliguntur, & fortunæ. Iob. 5. *Ego vidi stultum firma radice*, id est, locupletem. Et cap. 15. *Nec mittet in terram radicem suam*. Et infra vers. 12. *Radix iustorum proficiet*, & sæpè alibi. Quapropter sensus erit, facultates iustorum, id est iuste partæ, tanquam arbor, quæ altiores egit radices, nulla vi auellentur, vel auferentur: stabiles erunt, & immotæ. Nota est illa diuisio bonorū in mobilia, & immobilia, quæ vulgo dicuntur: *Muebles y rayzes*. Ergo in eo præstant iustorum facultates in priorū bonis: quod hæc verè mobilia sunt, illa verò immota, & constantia: hæc instabilia sunt, illa radices habent. Audi Chrysof. hom. 2. in epistol. ad Ephesios. *Si vis filijs tradere diuitias, posside iustus, si velle sint tales: hæc enim manent, stantque firmæ, ac stabiles: quæ autem non sunt eiusmodi, cito pereunt, & intereunt*.

12

Iob. 5. n. 5.  
& 15. n. 29

**C** Vel aliter discrimen inducit Salomon inter bona externa, & æterna, caduca, & spiritalia: ita scilicet, vt nomine impietatis diuitias in vniuersum accipiat, quas (vt iam inde supra non semel animaduerti) impietatem sæpius appellat Salomon per synecdochem, quia plurimque impietati, & iniustitiæ auxiliantur. Ergo ait, *Non roborabitur, vel stabilietur homo ex impietate*: hoc est, diuitiæ isthæc caducæ nihil roboris, ac stabilitatis habent, vt illis homo innixus diu perstare possit. *Radix autem iustorum non commouebitur*. Iustitia videlicet, & pietas constantiâ habent, quæ iustos constantes, & immobiles reddunt, & velut arbores, quæ profundas radices egerunt, obfirmant: illa labuntur, & decurrunt: hæc fixam, & constantem immobilitatem habent: Et quidem diuitiæ, & fortunæ bona externa appellatur, quia extra hominem sunt, & radicibus carent. Iustitia autem, & pietas bona interna dicuntur, quia intra hominem hærent, & in ipsa hominis anima radices defigunt. Vnde Paulus ait. *In charitate radicati, & fundati*, &c. ad Ephes. Chrysofomus in homilia 2. in Genesim. *Tale quiddam sunt diuitiæ, tale quiddam vniuersa huius vitæ prosperitas, nihil firmum habens, nihil subsistens, nihil fixum, nihil radicatum: sed magis quam fluminum fluente prætercurrit. Atque spiritalia non sunt talia: sunt enim firma, immobilia, vicissitudinem non accipientia, sed ad omne sæculum se extendentia. Quanta igitur sit inscitia nutantia cum immobilibus commutare?*

Chrysof.

13

**F** IV. Mulier diligens corona est viro suo: & putredo in ossibus eius, quæ confusione res dignas gerit.

**M**ulier diligens corona est viro suo. Hebraicè: *Mulier virtutis, aut fortitudinis corona est mariti sui*. Pro corona est *גִּתְרֵשׁ* *Gatheresh*: de corona regia, & sponsalitia dicitur Canticor. 3. *Viæte Regem Salomonem in corona, qua coronauit eum mater sua*, &c. Septuag. *Mulier fortis corona viro suo*. Symmachus: *Mulier abundantia*. Theodot. *Fortitudinis*. Chaldaus: *Mulier honesta*.

14

Et putredo, &c. Hebraicè ad verbum: *Et velut putredo in ossibus pudore afficiens*. Septuaginta

Ad Ep  
Chrysof.

paulo aliter, sicut autem in ligno vermis: sic virum disperdit mulier malefica. Scholiast. Et sicut vermis in firmamentis, aut fulcimentis. Videtur autem significare, vel ossa, vt vulgata, vel ligna, quæ ædiū tecta sustinent, & laquearia fulciunt, quæ si à vermibus, & tinea exesa diffingantur, ocyus tecti ruina sequitur.

Duas huius sententiæ partes discludere libet, & de singulis seorsum agere, *Mulier diligens corona est viro suo.* Est, qui mulierem diligentem, vxorem amantem virum interpretatus est, sed perperam. Id enim fontibus aduersatur. Mulier igitur diligens appellatur sollicita, & studiosa, non locors, aut lenta: mulier inquam sedula, quæ sollicitè, & studiosè res domesticas agit. Hæc scilicet corona insignit virum suum, id est, honorem, & splendorem illi affert. At inquit, in Hebræo est, *Mulier fortis*: quod magis ad robur, & animi inuictam constantiam spectare videtur, qua coniux vtī debet aduersus procos, & adulteros. Occurrit Chrysostr. in hom. 4. in Epistol. ad Titum, *Vxor, quæ verè, & sollicitè domus suæ curam habet, pudica quoque sit necesse est. Nam huiusmodi dispensationi, & curæ serio inferniens, nunquam vel circa delicias, vel circa intempesiuos, improbosque processus, aut aliquid aliud huiusmodi se occupabit.* Itaque diligens, & sollicita coniux eadem pudica, & casta est. Hæc igitur casta, & sedula vxor, *Corona est viro suo*, corona imperij, atque potestatis insigne est. Quapropter non solum vxor sedula marito gloriam, & splendorem affert: sed etiam imperium, & quandam regiæ potestati haud disparem dignitatem. Adest etiam nobis hoc loco os illud aureum Ioannis Antiocheni, qui hom. 11. in Psalm. 4. David adulterium venusto schemate reprehendit, *Quoniam (inquit) David mulierem, quæ erat in viri potestate, tanquam alienum regnum occupauerat (cuilibet enim viro regnum est propria coniux, & non sic Rex purpuram, & diademata, ut vir vxorem suam diligit) propterea qui ex vxore natus ei erat filius, insurrexit tyrannus, volens abriperè regnum patris: ut rapuit ipse regnum alienum, & vim passus est circa proprium: & qui clanculum peccauerat, de eo triumphus palam actus est.* Hæc ille: ex quibus constat vxorem sedulam, quæ tota marito suo addicta est, regnum viro deferre, & corona insignire, imò ipsa est pro corona, atque purpura. Huius autem regni maiestatem satis declarauit Chrysostr. cum dixit David ob tyrannidem, qua regnum hoc, & coronam occupauit, fablato Vria, merito satis à proprio filio regno & corona spoliandum fore, ni Deus maximam culpæ partem condonasset. Ad hæc idem Chrysostr. hom. 34. in primam Epistolam ad Corinth. de hoc coniugali regno sic scribit, *Deinde ut alterum esset subiectum, alterum verò imperaret. (Nam quod est par honore solet pugnam inducere) non fuit, ut esset populare imperium in matrimonio, sed regnum & sicut in castris eundem videris ordinem in vnaquaque domo. Est ergo loco quidem Regis maritus: præfecti autem, & legati vxor: tertium autem imperandi locum sortiti sunt filij, &c.* Accedit Aristoteles, qui in Oeconomicis viri potestatem in vxorem regno similem esse dixit. Mulier igitur proca, & impudica, quæ alienis viris se substernit, maritum suum regno, & corona spoliat: vel certè alios ad societatem imperij admittit, & monarchiam, & regnum, cui coniugium simile est (vt ibidem docet Aristoteles) in Oligarchiam, & Rempublicam transfert. Hæc sanè fuit mens Dicæarchi apud Stobæum: qui adulteram affatur, *illa (inquit) non regnum, sed publicares est: illi scilicet non vnus maritus, sed multi imperant proci, & mœchi.* Heu miseram! Contra

**A** vero mulier fortis corona est viro suo: casta nimirum, ac fidelis coniux coronam, & regnum defert viro suo, dum ei soli sui potestatem facit, reliquos arcet, ac repellit.

Cæterum quia hæc de coniugibus agit: obseruandum est fuisse olim coronas nuptiales, aut coniugales, quibus sponsi, ac sponsæ capita redimebantur: de quibus supra diximus cap. 4. vers. 9. Rationem autem, propter quam sponsus, ac sponsa in die nuptiarum coronas capite gestabant, obtulit Carolus Paschasius in lib. de corona nuptiali. Coronas (inquit) capiebant sponsi, ritu victorum: tum quia, quod se inuicem, vir scilicet feminam, & femina virum vicerat, res illis triumpho digna visa est. Tum etiam, quia eo salubri remedio coniugalis vsus, turpis, atque illicitæ libidinis victores iam iam inde forent. Dicit autem sponsos ritu victorum olim coronari: quia corona sponsalitia erat myrthea, vel oleaginea, vel laurea, qua victores etiam vtī solebant. Igitur si locum istum de nuptiali corona accipiamus, huius coronæ significationes non inepte eidem accommodare licet ad hunc modum, *Mulier fortis*: scilicet casta, & fidem præstas viro suo illi corona, donat non alia, nisi nuptiali: id scilicet efficit fide, ac pudicitia sua, vt maritus eas res certo assequatur, quas nuptialis corona significat: scilicet imperium in vxorem, ab illo solum, & non ab alio deuictam se esse ostendens. Deinde libidinis victoriam illi addicit: nihil enim est, quod magis virum conciliet, & à turpi, illicitaque reuocet, quam explorata fides vxoris. Ac denique id efficit vt maritus eam lætitiæ, & voluptatem, quam in die nuptiarum primum habuit, semper teneat. Hanc etiam lætitiæ corona nuptiali adumbrari innuit locus ille Cantic. 4. *In corona, qua coronauit eum mater sua in die dispensationis eius, & in die lætitiæ cordis eius.* Subdit:

*Et putredo in ossibus eius, quæ confusione res dignas gerit.* Pronomen illud eius, alij ad maritum, alij vero ad ipsammet vxorem reuocant. Vxori certe accommodant Beda, Salonius, Hugo, Caietanus, Lyra, & alij non pauci. Vt sensus sit; Ossa mulieris impudicæ, & adulteræ putredine, & tæbo implentur, id est, luxuria, quæ velut putredo quædam, saniesque omnia illius ossa inficit, ac corrumpit. Nomine autem ossium Beda, & Caietanus intelligunt internum animum, qui peccatis luxuriæ, tanquam sanie scatet. Alij autem per ossa robur, & vires accipiunt, vt sententia sit; Sicut putredo, & sanies ossa corrumpit, & arrodit: sic etiam luxus, & libido vires, ac robur mulieris excedit, ac consumit.

Cæterum primo arbitror quidem per ossa cuncta membra esse capienda, accepta scilicet parte pro toto, vt sæpe alias in scriptura, & maxime in hoc lib. cap. 15. *Fama bona impinguat ossa.* Et 14. *Putredo ossium inuidia*, id est, membrorum omnium. Secundo existimo illud pronomen eius, ad virum esse referendum. Ita docent Iansenius, & Rodolphus. Et suadet textus Hebraicus, in quo affixum est generis masculini, atque antithesis duarum partium ita postulat. Ergo sensus erit, *Et putredo in ossibus eius, &c.* id est. Sicut mulier sedula, & pudica corona est viro suo: sic etiam vxor, quæ confusione, & pudore res indignas aggreditur, eiusdem viri ossibus, id est, membris omnibus putredinem, atque saniem immittit: illum scilicet zelotypia, & suspicionibus implet, quæ nulla corruptior, ac lethalior pestis excogitari potest. Itaque mulier impudica corruptionem, & pestem affert viro suo: imò ipsissima pestis est. Nazianzenus in Poëmate de laudibus virginittatis.

Chrysostr.

Ioannes Antioch.

15

Chrysostr.

Aristot.

Dicæar.

16

Car. Pascha

Cantic. 4.

17

18

Nazianz.

Rursus emenda viro coniux, nec moribus illa,  
Sæpe bonis, quæ sita, attractaque pestis,  
Pestis, quam nulla liceat ratione fugare,

19  
Chrysof.

Chrysofostomus autem in libro de Virginitate zelotypiam cum insanabili morbo contulit, qui intimas vorat ossium medullas, Nam si vel summam (inquit) aliquis egestatem commemorarit, si morbum insanabilem medullas vorantem nihil zelotypia par atulerit. Ad hæc possumus hoc referre ad tremorem, & metum, quem zelotypia afferre solet. Attingit illum ibidem Chrysofostomus, Ne puncto quidem temporis (ait) tremore vacuus est, sed tanquam candentibus subiectis carbonibus sic tumultuatur, seque versat in omnes partes; loquitur autem de zelotypo. Potest ergo corruptio, & putredo ossium hunc tremorem notare. Nam (vt author est Hypocrates) membrorum tremorem, qui senibus imprimis euenire solet, corruptio, & eliquatio medullam intra ossa efficere solet. Ergo Salomonem sic accipere licet, Et putredo, aut corruptio in ossibus eius, &c. Nimirum vir illius graui metu percellitur, & totis artibus contremiscit: non aliter atque ille, cuius membra omnia, eliquatis, & corruptis ossium medullis, tremore assiduo concutiuntur.

Chrysof.

Hypocr.

Rursus quia illa medullarum corruptio, & eliquatio fenum propria est, licet quoque ad senectam significandam allicere, vt si sensus sit. Illa vxor, quæ leuitate morum suorum marito zelotypiæ causa est, vtique illius imminuit carpitque dies, & præcoccem quandam senectam eidem adducit. Ita docet Ecclesiast. cap. 30. vbi ait, Zelus imminuit dies, & ante tempus senectam adducit.

Eccles. 30.  
num. 26.

20

Quod si nomine ossium per metaphoram vires notari malis (vt non pauci in hoc loco) sensus erit. Mulier impudens, & indecore agens maritum suum corrumpit, atque elidit ossa, id est, vires & lacertos. Succedat memoriæ id, quod docet Chrysof. hom. 38. in Genesim, Fideles, faciles, & obsequentes uxores non solum voluptate perfundunt viros suos: sed etiam ad mala ingruentia toleranda validos, & robustos reddunt. Nam si fuerit (inquit) ornata virtutibus, & mansueta vxor, non solum viro communicationis præbebit consolationem: sed omnia illi leuia, & facilia reddet, & percipere non sinet illas externas malitias, & difficultates, quæ quotidie domi nascuntur. Et breui verborum interstitio sic atexit, Hæc concordia adamante firmiores, & ferro fortiores eos reddit: nimirum ad perferendos fortunæ aduersæ ictus. Et quidem ad hanc sententiam venuste deflexit D. Anastasius Synaita verba illa, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Os (inquit) ad robur, caro ad voluptatem pertinet: nimirum quia vxor non solum voluptatem communionem suam multam affert marito suo, sed etiam robur ad perferenda mala auxilio suo maximum addit. Itaque non solum illi caro, sed etiam os est. Iam intelliges quò tendam. Putredo, aut corruptio ossium (inquit Salomon) est mulier illa, quæ confusione res dignas gerit, id est, viri sui robur labefactat, & eneruat. Nam quemadmodum concors, & fidelis mulier ferreum, & adamantinum ad oblitendum malis, velut confirmatis ossibus maritum reddit: sic etiam ex aduerso infidelis, & procax fœmina, velut effractis, corruptisque ossibus ad labores tolerandos mollem, atque enervem reddit.

Anastaf.

21

Sed vocanda est ad trutinam lectio Septuaginta, quæ sic habet, sicut autem in ligno vermis: sic verum disperdit mulier malefica. Satis accommodata est comparatio zelotypiæ cum verme, ac tineæ, quæ praua lidæ trabis medullam exedit, & atrodit. Sicut enim trabs, quam tineæ pertudit, ac perforauit, defracta totius tecti ruinam sæpius adducit: sic

A etiam cum forte maritum, qui trabis instar maxima totius domus, & familiæ vnicum fulcimentum est, zelotypia vermis in morem exedit, & animi penetralia arrodit, sæpius illo tuente, ac concidente tota pariter domus, & familia ruit, ac concidit. Nam vt quotidie videmus, innumerabiles familias viri zelotypia euertit, ac subruit. Apre igitur Salomon, Sicut enim in ligno vermis, &c. Possumus etiam hanc similitudinem de præcoci senectâ, quam zelotypia adducere consuevit, interpretari (nam tineæ vetustis trabibus innasci solet.) Item de roboris, atque virium deficientia ad sustinendos labores domesticos: nam sicut trabs tineæ adesa, & pertusa tecti onera infracta perferre non potest: sic maritus, cuius animum zelus arrodit, domesticas molestias, & labores infractis viribus tolerare nequit.

Mulier malefica, sic vocat adulteram, Græcè κακοποιος, maleficam, & veneficam sonat. Mulierum ad veneficia conficienda procliuè ingenium est, sed maximè adulterarum: sunt enim adulterium, & maleficium proxima, & quasi quadam cognatione annexa, adeo vt simul atque mulier adulterum excepit, statim de veneficiis cogitet. Adest huius sententiæ author Tullius ad Herennium lib. 4. vbi sic ait, Maiores nostri quam impudicam indicarunt, eam veneficij quoque damnatam existimarunt. Quid ita? Quia necesse est illam, quæ corpus suum addiderit turpissimæ cupiditati, timere permultos. Quos istos? Virum, parentes, cæterosque, ad quos viderit sui decoris infamiam pertinere. Quid postea? Quostan topore timeat necesse est, vt veneficio petat. Cur? Quia nulla potest honesta ratio illam retinere, quam magnitudo peccati facit timidam, intemperantia audacem, natura muliebris inconsideratam. Quid veneficij damnatam? Quid? Putabant impudicam quoque necessario. Quare? Quia nulla facilius ad id maleficium causa, quam turpis amor, & intemperans libido commouere potuit. Huc pertinet illud Ausonii.

22

Tullius.

Auson.

Toxica zelotypo dedit vxor macha marito.

Item leges mulieres adulteras, & veneficas copulant in leg. consensu §. vir quoque ibi nisi adulteram, vel veneficam. C. de repud. Et in §. meliores in Authentica de nuptiis. Ad hæc Catonem dicere solitum narrat Fabius lib. 5. de exemplis: nullam adulteram non eandem esse veneficam. Accipe etiam illud Euripidis.

Euripid.

Quot cades iam veneficiorum lethalium,  
Mulieres inuenerunt viris perniciem afferentes.

Mitto Hieronymum contra Iouinianum lib. 1. cap. 8. & Chrysof. hom. 49. in Matth. & alibi, vbi docent, adulteram statim se ad venena, & veneficia recipere. Vide multa, quæ hac super re conflauit Tiraquellus in leg. 8. conn. circa finem. Merito adulteram mulierem veneficam, aut maleficam appellant Septuaginta: qui id nominis vsurpantes locum fecere alteri expositioni ad hunc modum, Putredo ossium (aut si mauis) sicut in ligno vermis, sic virum disperdit mulier malefica, id est. Sicut lignum tineæ corrumpit: sic etiam mulier adultera veneficiis maritum petens, illum ocyus vitiat, & tabescit (apertius dixerim) ligno cuius arido carie confecto, & adeso similem reddit. Nec insolens ista comparatio viri maleficiati cum ligno vitiatum. Athæneus lib. 6. ad veneficam, Tu illum venenis tuis putrefecisti, & velut lignum carie corruptum vitasti.

23  
Hieronym.  
Chrysof.  
Tiraquell.

## V. Cogitationes iustorum iudicia: &amp; consilia impiorum fraudulentia.

14

**C**ogitationes impiorum iudicia, &c. Hebraicè, *Iudicium, consilia callida impiorum dolum*. Septuaginta, extrema verba sic extulerunt, *Gubernant autem impij dolos*. Chaldaeus, *Solertia impiorum fraus est*.

Hieron.

Diuis Hieronymus in cap. 5. Amos Prophetae incidit in priora verba, & ad mentis constantiam retulit hoc modo, *Cogitationes iustorum iudicia*, id est, iusti post multam cogitationem decernunt: vbi autem decreuerunt, non facile mutant sententiam. Et quidem hunc locum aduersari putat Hieronymus alteri apud Amos, vbi sic Propheta, *Et reuelabitur quasi aqua iudicium*. Septuaginta verò sic extulerunt, *Et voluetur sicut aqua iudicium*. Hieronymus ad hæc, *Voluetur quasi aqua iudicium pessimorum: quia non stat in una sententia, sed circumfertur omni vento doctrine. Quod probauerant, improbant: & quod prius laudauerant, putant esse pro nihilo*.

Gregor.

Diuis Gregorius lib. 19. Moral. cap. 13. venusta etiam verba coniecit in hunc locum expendens illa Iob 29. *Et diademate iudicio meo. Iusti* (inquit) *iudicia secum quotidie introrsus agunt, quid Deo, quid proximo debeant, solerter aspiciunt. Vnde bene quoque per Salomonem dicitur: Cogitationes iustorum iudicia. Iusti quippe ab omni strepitu seculari ad corda sua redeunt, ibique ascendunt tribunal mentis, atque ante oculos se, & proximum statuunt: deducunt ad medium regulam testamenti, qua dicitur: Quæ vultis ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis: transferunt in se personam proximi, & sollicitè attendunt, quid sibi, si ita essent, fieri, aut non fieri iuste voluissent. Sicque districto iure, atque iudicio causam suam, & proximi iuxta tabulas diuinæ legis in foro cordis examinant. Bene ergo dicitur: Cogitationes iustorum iudicia, quia ipse eorum intus motus cordis, quasi quadam libra est iudiciaria potestatis. Hactenus Gregorius, qui nomine iudiciorum iudicium subsellia, & tribunalia accepisse videtur. Et quidem apte. Nam vox Hebraica *משפח* *Masphah*, quæ in hoc loco reperitur, etiam publicum iudicium, forum, & tribunal notare solet in scriptura. Itaque sensus est, in ipsa iusti hominis anima forum quoddam interius est: in quo nihil, nisi ex iure, & æquitate, ratione iudice decernitur.*

25

Gregor. Bernard.

Huius fori leges attigit Gregorius in præfato loco. Bernardus verò reliquas huius iudicij partes enumerauit: de interiori domo cap. 14. *In domo propria, & in propria familia habeo accusatores, testes, iudices, & tortores. Accusat me conscientia, testis est memoria, ratio iudex, voluptas carcer, timor tortor, oblectamentum tormentum: quotquot enim fuerint oblectamenta mala, tot erunt tormenta dira in pœna. Nam inde punimur, vnde delectamur*. Paulus etiam huius iudicij interni meminit, & patronos, caufidicosque numerauit ad Rom. 2. *Testimonium* (inquit) *reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*.

Rom. 2. n. 5

Merito ergo Salomon ait, *Cogitationes iustorum iudicia*. Causas verò, & lites, quæ apud iudicem istum agitantur, attigit August. in Psalm. 33. *Miseri* (inquit) *sunt, qui ad conscientiam suam redire nolunt, ne ibi peccatorum suorum litibus euerantur*. Itaque lites super peccatis intenduntur. Ambrosius verò de tempore, quo iudicium istud peragitur, in lib. de Pœnitentia, cap. 5. sic addit, *Et putas prodesse tibi non habere consciunt, cum conscientia quotidianum*

August.

Ambros.

**A** habeas perpetuum, & nullis horis vacans iudicium. Vacant sanè quibusdam horis, imò etiam quibusdam dierum circulis publica tribunalia: at conscientia tribunal nullis horis vacat, &c. Quid plura? De in corruptione huius seuerissimi iudicij sic Chrysoſt. in lib. Epistol. 7. *Quod si aliorum condemnationem nihil morantur, at certè fieri non potest, ut propria conscientia iudicium effugiant, quod nec vitari, nec corrumpi potest, nec ulli terrori cedit, blanditijs, aut pecuniarum largitione labefactatur, nec temporis longitudine obscuratur*. Rursus de summa seueritate huius interni, & animo inclusi iudicij luculenter Ambrosius serm. 2. in cap. 12. Danielis, *Quem enim alter iudicat, potest utcumque esse excusabilis. Res autem sine excusatione est, qui non conscientia sua iudicio condemnatur. Quem alter iudicat, potest quandoque à suo iudice indulgentiam sperare: qui se ipsum iudicat, à quo indulgentiam postulabis? Et post pauca, Omnium enim seuerissimas supergreditur conscientias, qui à sua conscientia, sua sententia condemnatur. Addit verò Ambrosius non modo in conscientia iudicio reos vocari, conuinci, & damnari: sed etiam scelus pœna imposta puniri, & vendicari, *Sua* (inquit) *sententia Iudas proditor condemnatur, & suspenditur: mirum fortè vobis, quod non eum populus iudicauerit, non præses addixerit. Hoc scelera-ri solet esse iudicium, ut impietatem suam ipse dum recordatur, & puniat: scelus suum, dum recognoscit, & vindicet*. At inquires: licebit saltem ab hoc seuerissimo iudicio ad aliud mitius causam transferre? Minime verò. Gregorius Nazianzenus apud Antonium in Melissa, *Illud solum* (inquit) *non potest recusari internum, atque in nobis insitum iudicium*. Hactenus de iudicio, & tribunali interno, de quo locum istum satis accommodatè interpretatus est Gregorius.*

Chrysoſt.

26

Ambros.

Ambros.

**C**aterum si ad literalem sensum spectemus, ut quasdam alias leuioreſ expositiones missas faciam, locus hic sic edisserendus est, *Cogitationes iustorum iudicia*, id est, iusti omnes cogitationes, & studia ad id referuntur, ut suum cuique ius tribuant, ac neminem bonis suis defraudent, *Et consilia impiorum fraudulentia*, id est, ex aduerso impiorum cunctæ meditationes, & rationes ad id spectant, ut proximis fraudem, & imposturam faciant, atque fraude, & dolo eorum bona corrodant. Itaque de iure, & iniurijs sermo est. Septuaginta extrema verba sic extulerunt, *Gubernant autem impij dolos*. Græcè *ὡς ἐπύραος*, de nauibus propriè dicitur, quæ gubernaculo, aut temone moderantur: atque adeo sensus est. Impij ea ratione dolo, & fraude opera sua regunt, qua Naucleri naues magnas temone. Et quidem apta est comparatio. Nam temo, aut gubernaculum, quo nauigia reguntur, ab externis non videtur, quia infra aquas est: & tamen ingentes moles huc illuc vertit. Sic fraudes, atque doli ab improbis celantur, & teguntur, & tamen hi grauias sæpè negotia, & causas administrant. Nec verò defunt, qui ob eam causam à vertendis temone nauibus *versuriam* dictam fuisse autiment. Pergo ad alia.

Nazian. Anton.

Gregor.

27

## VI. Verba impiorum insidiantur sanguini: os iustorum liberabit eos.

**V**erba impiorum insidiantur sanguini. Hebraicè, *Insidiari*, vel *ad insidiandum sanguini*. Septuaginta, *Verba impiorum dolosa*. Sic habet correctior textus: tamen in plerisque additur, *Ad sanguinem*. Aquila, & Symmachus concinnant cum nostra.

Sententia est luculenta. Cum enim præmiserit impios consiliis, & cogitationibus suis fraudes moliri: addit nunc eos non solum dolos apud se cogitare, & construere: sed etiam de his inter se collatis sermonibus agere, & pacisci. Itaque ait, *Verba impiorum insidiantur sanguini.* Impij scilicet de iustis, & infontibus de medio tollendis verba conferunt, ac sese ad sanguinem fundendum mutuo cohortantur, & acunt. Sic interpretantur non pauci. Alij de falsis testimoniis aduersus iustos conceptis edisserunt, quibus subscribo: quia sic hæc prior pars melius nectitur cum posteriori, ad hunc modum, *Verba impiorum insidiantur sanguini.* Impij scilicet per fraudem, & dolum testimonia falsa contra infontes proferunt, *Os autem iustorum liberabit eos.* Ambigua est hæc sententia: nam pronomen *eos*, potest referri ad impios, & ad iustos ipsos: vel in vniuersum ad omnes alios, *eos* scilicet, id est, qui subbet (ita Iansenius) vt sensus sit, *Iuste contra ore suo neminem damnant*: sed absoluunt plurimos, eosdem verbis, & patrocinio suo tuentes. Ad iustos reuocari malunt Rodolphus, Caietanus, & alij. Quasi dicat, ipsimet iusti ore suo, vbi auditi fuerint, falsa testimonia eludent: quia scilicet apud integrum iudicem maior fides habetur ipsis etiam pro se dicentibus, quam improbis eosdem accusantibus. Vide etiam an satis sit ad ipsos impios referre, *Os iustorum liberabit eos*, id est, iusti quidem haud par pari referent: sed eos ipsos, à quibus fraudulentis accusationibus damnantur, eos inquam ipsi testimonio suo absoluent.

VII. *Verte impios, & non erunt: domus autem iustorum permanebit.*

29

**V**erte impios, & non erunt. Hebraicè, *Vertendo impios non ipsi.* Septuaginta, *Quocumque se verterit impius, deletur.* Chaldaeus, *Subuertentur impij, & non inueniuntur.* In primitiuis pro verbo, *Verte*, est *הפח* *Haphoch*, in Machor à radice *הפח* *Haphach*, quæ significat crebrius vertere, Reg. 2. cap. num. 13. Psalm. 31. num. 12. Osee 7. num. 8. & alibi. Aliquando etiam *euertere*. Hierem. 20. *Sicut ciuitates, quas Dominus subuertit.* Et Iob 9. *Subuertet eos in furore suo.* Et alibi passim etiam idem est, quod *conuertere*. Sophomæ 39. num. 9. Threnorum 3. num. 3. Quia ergo Machor sæpè accipitur pro Zibui, noster Interpres per tempus imperatiuum exculit. Sed quoniam verborum structura aliquid suppleendum esse suadet, scilicet personam agentem, quæ huiusmodi impios *vertat* aut *subuertat*, aut *conuertat*, non idem de hoc suppleendo iudicium ferunt interpretes. Et hinc quidem nata aliæ, atque aliæ expositiones.

Hier. 20.  
Iob 9.

30

Beda quidem duas, aut tres allegoricas expositiones de Ecclesia, & Hæreticis coniecit in hunc locum: quibus omiſſis Iansenius, & Rodolphus existimant esse verba Salomonis alloquentis Deum. Quasi dicat, *ô Deus verte impios, & improbos, vt non sint* (quemadmodum cum dicit Dauid, *Effunde frumentum, & concludere aduersus eos.* Et rursus, *Effunde super illos iram tuam*) tunc verò *verte* perinde est, ac *subuerte*, aut *euerte*. Sunt quidam, qui exponant *verte*, id est, conuerte *ô Deus illos ad pietatem, & bonam frugem, atque sic impij esse desinent.* Cæterum non sunt audiendi.

Ps. 82. n. 14

31

Ergo si actio isthæc Deo tribuatur (quod non omnino displicet) per placet sanè expositio Caietani, qui locum istum de conuersione fortunæ à secundam in aduersam explicat hoc modo, *Verte impios, id est, conuerſa fortunæ rota illos deuolue, &*

**A** à fastigio, in quo sunt, ad imum deturba, & non erunt, hoc est deficient, & prorsus tollentur de medio: iuxta illud *D. deficient peccatores à terra, & iniqui, ita vt non sint.* Quasi dicat: facile admodum tibi est *ô Deus*, impios vnica conuersione deprimere, ac deicere. Age igitur, illos verte: nam te vertente dicto citius non erunt. Simile est illud Psalm. *Deus meus pone illos, vt rotam, &c.*

Alij verò malunt Salomonem orationem suam intendere in auditorem suum, hoc modo: Tu quicumque es, qui ægrè fers impiorum sceleritatem, *verte impium, & non erit*: nimirum auerte à te, id est, paululum ab illo discede, & aliud age, fietque vt cum iterum in illum intenderis iam inde non sit. Iuxta illud Psalm. 36. *Vidi impium super exaltatum, & eleuatum supra cedros Libani. Transiui, & ecce non erat, & non est inuentus amplius locus eius.*

Pf. 36. n. 35

Sic Rodolphus. Sed vide an potius illud *verte*, perinde sit, ac *circumage impium*, aut in orbem gyra, vt sensus sit, Tam cito impius perit, atque esse definit, quam cito voluitur in gyrum, id est, non longiori spatio permanebit, quam est id, quo gyrus absoluitur, *Verte igitur in gyrum*, & interim non erit.

**C** Ad id spectat illius Philosophi olim laudibus victum facinus, qui rogatus, vt suam de vitæ humanæ breuitate enunciaret sententiam vertit semetipsum in orbem: inueniens scilicet eam vnus gyri duratione metiri. Huc alludit vulgatum illud apud Græcos effatum, *κύκλος τῶ ἀνθρώπου*, id est, *circulus, aut orbis vitæ humanæ*: quod ego non ad vicifitudinem, sed potius ad durationem refero, id est, res humanæ ea velocitate abeunt, & deficient, qua circulus, vel orbis conficitur à saltatore vel ab alio.

32

**D** Hanc verò expositionem ideo reliquis præfero, quia melius cum posteriori hemistichio confabulatur. Subdit enim Salomon, *Domus autem iustorum permanebit.* Quasi dicat, *Verte impios, & non erunt*, id est, impiorum instabilitas tanta est, vt occlusi ipsi intereant, quam orbis confici, aut absolui possit. Ad hunc sensum allici potest locus alter Eccles. 2. *Resum appellauit errorem, & gaudio dixi: quid frustra decipis? Vbi Hebræa ad verbum sic habent,*

Eccles. 2.  
num. 30.

*Resum appellauit circuitum, aut circulationem*, id est, ea breuitate decedere, & abire dixi, quæ circulatio, vel orbis conficitur. At *domus*, id est, opes, & familia iustorum diutius perstabit. Et quidem hæc extrema pars, suadet, vt illud *non erunt*, sic accipiamus: vt non vticumque improbos defuturos esse significet, sed omnino, ita vt ne filij eorum, aut familia superstes sit.

**E** Succedant memoriæ verba Psalm. 36. vbi post illa verba, *Transiui, & ecce non erat, & non est inuentus locus eius*, subiicitur, *Custodi innocentiam, & vide equitatem, quia sunt reliquæ homini pacifico. Iniusti autem disperibunt, simul reliquæ impiorum interibunt*: reliquias verò filios superstites appellat Dauid. Huic ergo loco nequaquam abſimilis est Salomonis sententia, qui dum improbis accommodat illud *non erunt*, sic illos perituros esse dicit, nullæ eorumdem reliquæ, id est, filij reliqui sint: cui aduersatur illud, *domus autem iustorum permanebit.*

Pf. 36. n. 36

Septuaginta Interpretes illam vertendi actionem ipsimet impio tribuunt hoc modo, *Quocumque se verterit impius, deletur, &c.* id est, etiam si impius multa loca vertat, ac mutet, tamen vbique terrarum infortunium, & interitus illi aderit, illum inuadet, ac de medio tollet.



VIII. *Doctrina sua noscetur vir: qui autem vanus, & excors est patebit contemptus.*

33

**D**octrina sua noscetur vir. Hebraicè, *Ad os intellectus ipsius laudabitur vir*, id est, secundum intellectum suum: vel iuxta mensuram intellectus. Septuaginta, *Os intelligentis laudatur à viro*. Chaldaus, *Vir laudatur iuxta intellectum eius*. Symmachus, *Secundum prudentiam suam laudabitur vir*.

*Qui autem vanus, &c.* Hebraicè, *Et peruersus corde erit in contemptum*. Septuaginta, *Socors autem subsannatur*. Aquila, *Erit in contemptum*, sicut nostra.

Primo Beda locum istum sic illustrauit. Doctrinam suam quisque vir, (id est, virtutibus præditus) esse agnoscitur, si nimirum recta docens eadem operibus exequatur. Secundo alij frigidam interpretationem excogitarunt ad hunc modum, *Doctrina sua agnoscitur vir*, id est, quam quisque facultatem didicerit, doctrina sua testatur, an Theologus, an Medicus, an Catholicus, an Hæreticus sit, &c. Alij alia leuiora.

Meum ergo de hoc loco iudicium sic se habet. Imprimis verbum illud *agnoscitur*, non solum ad agnitionem, sed etiam ad opinionem, & æstimationem refero. Quasi dicat, suspicitur, & æstimatur: & ut respondeat quidem ad amulsum verbis illis, *patebit contemptus*. Deinde per *vanum* nihili hominem intelligo, minime serium, & grauem, sed meras nugas, atque iocos vbique dicentem. Vana enim sæpe appellantur, quæ ludicra sunt, & non seria.

Hierem.  
10. num. 15.

Hierem. 10. *Vana sunt* (supple idola) *& opus vni dignum*. Et alibi passim. Huic significationi hærent Septuaginta, qui pro *vana* habent *vanos*, id est, locos, otiosus: fere enim otiosi, & deides sunt nugaces, & vani. Vel aliter *vanus* sumitur pro

Psalms 61.  
num. 10.  
Eccles. 20.  
num. 21.

*mendax*: nihil obuium magis in Scriptura. Psalm. 61. *Vani filij hominum, mendaces filij hominum in statibus*. Ecclesiast. 20. *Et quasi fabulavana*, id est, mendax. Mitto alia. Ad hanc significationem pertinet vox originalis נָגַהֵב *Naghahab*, id est, obliquus, aut peruersus corde, fallax scilicet, ac mendax. His præmissis locum istum duplici interpretatione donare licet. Prior est ad hunc modum,

34

*Doctrina sua noscetur*. Quasi dicat. Hominem serio, & grauius dicentem, & cum prudentia coniuncta verba vbique vsurpantem cuncti suspiciunt, admirantur, & maximi faciunt. Ex aduerso autem, *Qui vanus, & excors est, patebit contemptus*, id est, leuis homo, & derisor, qui nihil serium, & graue, sed nugas, & iocos vbique eloquitur, ab omnibus despicietur, & pro nihilo ducetur. Quid certius?

Quemadmodum nihil æquè hominem apud alios commendat, & extollit, sicut verborum grauitas, atque pondus: ita etiam nihil æquè abicit, atque opinionem eius extenuat, sicut nugæ, ac ioci frequentes, quæ homines ridiculos, & exprobrabiles reddunt. Vnde nugaces Græci κρυολογοί *anegoi*, appellantur voce decomposita, id est, nugas sic eructantes aut despumantes, sicut ollæ aquas feruentes vndequaue expuunt. Notat autem Aristophanis Scholiastes eiusmodi homines ollis, aut cacabis conferri ob fuliginem infamiam, qua infecti ipsi, atque inusti sunt, & proximos quosque tingunt. Hinc scurrarum immensa apud omnes nationes infamia, & dedecus. Cuius dedecoris meminit (mea quidem sententia) Paulus, cum ait ad

Aristoph.  
Scholiast.

Ephes. 5.  
num. 4.

Ephes. 5. *Turpitudine, aut stultiloquium, aut scurri-*

**A** litas, quæ ad rem non pertinet. Nam Græcè est, *ἀνύκωστα*, id est, indecentia, seu non decentia: quæ scilicet decori aduersantur, contemptum, & infamiam accerfunt. Accipe verba Gregor. Nazianz. orat. 43. in Ecclesiast. *Piger, & ignatus domum minuunt derisores, & scurra facti*. (Hinc constat pigritiam, & otium scurrilitati, & leuitati coniuncta esse, vt supra obseruauimus) *miseri ad ingluuiens suam rebus omnibus abutentes, argento ductiles, exigui pretij causa turpiter, & abiecte quidam facere sustinentes*. Horum mores, & vilitatem elegantissimè descripsit Plautus his verbis.

NAZIANZ.

Plautus.

**B** Nihil est profecto stultius, vilius, Neque stolidius, neque mendaciloquius, neque argutum magis, Neque confidentiloquius, neque periturius, quam vrbani assidui

*Cines, quos scurras vocant.*

35

Et quidem eiusmodi homines, qui alios deridet, & facetiis petunt, ridiculos, & contemptibiles esse multis rationibus comprobat Clemens Alexandr. lib. 2. Pædag. cap. 5. Ex multis hæc habeto, *Ridicularum autem (ait) vel potius irridendarum affectionum imitatores exigendi sunt à nostra republica*. Cum enim verba omnia emanent à cogitatione, fieri non potest, vt verba aliqua emittantur ridicula, quæ non procedant à moribus ridiculis. Et paucis interiectis, *Si enim ridiculam personam suscipere, quomodo in pompis videntur nonnulli, in animum minime induxerimus: quomodo internam hominem magis ridiculam sustinere figuram sustinebimus? Et si personam nostram alia persona ridicula nunquam induxerimus: quomodo studuerimus in verbis esse, & videri ridiculi: id quod est omnium, quæ sunt in homine longe pretiosissimum, id est, sermonem, ludibrio cunctorum exponentes?* Hæc ille.

Cl. Alex.

**C** Posterior expositio sic habet, *Doctrina sua noscetur vir*: is nempe, qui vera vbique profert ac docet, ab omnibus suspicitur, & magni habetur. Et quidem hanc priorem partem de veritatis enunciandæ studio intelligi debere suadet posterior pars, quæ de mendacio accommodatius interpretatur (vt supra animaduerti.) Adde etiam lectionem originalem inde illustrari. Nam si verbum ex verbo reddas, sic est efferendum hoc hemistychiū, *Propter os intellectus ipsius laudabitur vir*. Quid verò aliud est *os intellectus*, nisi os quod ab intellectu, & mente nullo modo dissidet, vel abit, sed cum ipso congruit, ac concinit. Nam mentiri, auctore Aug. est *contra mentem, & intellectum ire*. Ergo hic homo veritatis studiosus, & veridicus commendatur, & in cælum vsque effertur ab omnibus. Contra verò qui *vanus, & excors est*, id est, mendax, & illusor, *patebit contemptus*. Frustra hic multa de vili opinione, & infamia mentientium: supra enim non pauca dixi, cap. 10. vers. 4.

**D** Tantummodo expendendæ mihi sunt voces illæ *vanus, & excors*: mendax ergo vanus dicitur. Sunt qui legant pro vano homo *obliqui spiritus*: quia nimium petunt istam lectionem ex voce illa *Naghahab*, quam hic subesse nuper diximus; ac proprie obliquum seu peruersum notare. Libet ergo hic addere satis elegantem D. Antiochi sententiam in hom. 66. de veritate, vbi ex modo, quo primum à Deo conditus est homo, illum ab omni mendacio abhorreere debere lepide euincit. Ait enim scriptura, *Inspirauit in faciem eius spiraculum vita, & factus est homo in animam uiuentem*. Chaldaus habet *in animam loquentem*. Ad hæc verò sic Antiochus, *Neceffe est ex hominis ore nullum effundi sermonem, qui non veritate omnimodo nitatur, vt spiritus ille veritatis, qui idem Deus est, intelligatur in hæc*

36

37

**E**

**F**

Genes. 2.  
num. 7.

Antioch.

carne sibi delegisse domicilium: qui per hoc apud omne hominum genus comperietur veridicus: atque ita demum glorificabitur Dominus habitans hominem, dum in omni verbo verax est Dominus, nec ullum possit de ipso deprehendi mendacium. Sententiam huius orationis, quæ pau d̄ obscurior est, sic edissero. Deus quidem afflatu suo hominem condens satis testatus est se Spiritum sanctum suum in illum transfudisse, ut in eo moraretur. Et quidem hic Spiritus sanctus exinde spiritum halitumque hominis, quo verba efformantur, animat, mouetque. Ergo ait Antiochus: plurimum quidem summam veritatem Dei (licet sic dicere) dehonestat, qui mendacia profert. Nam cum Spiritus sanctus moderetur spiritum nostrum, cum eloquimur, quicumque mentitur, non sine Spiritu sancto halitum mouente, & verba efformante mentitur. (Loquor autem de materialibus verbis, quibus mendacium constat, quæ non aliter Deus præstat nobiscum, quàm materiale opus cuiuslibet alterius peccati.) Si ergo nunquam homo mendacium ore suo effunderet, utique ait Antiochus. Spiritus sanctus per hoc apud omne hominum genus comperietur esse veridicus, atque ita demum glorificaretur Deus inhabitans hominem, quia in omni verbo verax esset, nec ullum de illo possit deprehendi mendacium. Existimat enim Antiochus Spiritus sancti gloriam, vel ex eo tantum violari quodammodo, ac lædi, quod materialem mendacii enunciationem tantumdem efficere dicatur. Ad hanc sententiam pertinet locus Iob. *Viuu Dominus, &c. quia donec superest balitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem: nec lingua mea meditabitur mendacium.* Quid clarius? Sed subiicienda sunt alia eiusdem Antiochi verba superioribus annexa, quibus mendaces acerbius stimulat. *Quotquot igitur (ait) semet irreciunt mendaciorum funiculis, frustrantur, & elidunt Dominum, fiuntque prædones Domini, dum id, quod penes se depositum est, non reddunt incolumem, & sanum. Spiritum enim acceperunt nulla contagione mendacii decorem, nulla deprauatione obliquum: hunc si reddiderint Domino intermixtum variis mendaciorum coloribus, utique videri possent contaminasse depositum: quo fit, ut dici debeant rei alienæ suppilatores.* Aliqua occurrunt in his verbis obseruatione digna. Primo enim spiritum, halitumque istum, quo vitiumus, depositum appellat, quem tunc sanè reddimus Deo, cum expiramus, atque animam agimus. Hinc fit, uti cum depositum istud in nostram fuerit utilitatem collocatum, (illo enim vitiumus ad vitam) circa illius custodiam arctius obstringamur: adeo ut non de leui solum, sed de leuissima etiam culpa teneamur, (verba sunt iuris.) Ita enim iure cautum est, ut quotiescumque pignus in depositarij utilitatem deponitur, si forte ex leuissima etiam illius culpa perierit, ipsi pereat. Luculemius dixerim. Cum Deus spiritum, halitumque istum, quem ducimus, quo etiam ad verba conformanda vitiumur, tanquam depositum nobis utile tandem aliquando recuperaturus dederit, ideo quod ad custodiam illius attinet, tenemur de leuissima, ita ut ob leuissima quæque verba puniendi merito timus: dicete Christo Domino. *Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij: ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Et quidem inter leuiora peccata, quæ verbo committimus, aut primum, aut primo proximum locum obinet mendacium. Rursus dum ait Antiochus mendaces spiritum coloribus quibusdam imbueret, & inficere, actomodate loquitur. Nam spiritus quidem iste, ac ventus nullo colore præditus

est. Quoties autem colores aliqui in aëre visuntur, non veri, sed falsi, & adulterini colores sunt. Verba igitur nostra (inquit Antiochus) cum nihil aliud sint, quam spiritus, & aër ore efflatus, vera esse debent, clara scilicet, perspicua, & coloris expertia: nam fuci, & colores in aëre semper falsi sunt, & fallaces. Mentientium autem est verbis suis colorem aliquem quærere, quo veritatem contegant. Ex eo igitur mendaces furti appellat D. Antiochus, quia spiritum, quem adeo vitreum quodammodo perspicuum, & mundum acceperunt, innumeris mendaciis versicolorem, atque adeo infectum, commaculatumque restituant. Denique mendaces obliquum, & quasi obtortum spiritum reddere affirmat. Inter alia præsentissimæ mortis signa & prognostica, illud numerat Cornelius Celsus lib. 2. *Corn. Cels.* de medicina, cap. 20. cum æger non rectum pleno ore: sed obliquum per oris alterum angulum spiritum, halitumque reddit: est enim illud profligatæ admodum naturæ. *Nam spiritus (inquit) sic non tam redditur, quam fugit, & elabitur.* Ad rem, nullum fortasse certius in homine mortalis culpæ prognosticum est, quam assiduam mendacium. Nam cum veniales omnes, ac leuiore culpæ ad lethales disponant, nullum fortasse præsentius disponit, quam assiduam mendacium. Hoc sibi voluit illud Sap. 1. *Sap. 1. 26. 27.* ubi ait: *Os, quod mentitur, occidit animam suam, & infra 19. Et qui loquitur mendacia peribit.*

*IX. Melior est pauper, & sufficiens sibi: quam gloriosus, & indigens pane.*

**M**elior est pauper. Hebraicè, *Melior despectus, & seruus sibi ipsi.* Rodolphus conuertit: *Melior est contemptus, qui habet famulum.* Septuaginta: *Melior vir in vilitate seruans sibi.* Symmachus: *Vili, & seruans sibi.* Chaldæus: *Melior est abiectus, qui habet seruos: quam gloriosus indigens pane.* Hebraicè: *Qui glorificans se carens pane.* Septuaginta: *Quam honorem sibi circumponens, & egens pane.*

Cum primitiua Hebraica duplici modo efferri possint (aut enim legere licet: *Melior est vir contemptus, & seruus sibi:* aut etiam, *seruus illi*) duplicem quoque sensum offerunt. Alterum sequutus est Chaldæus hoc modo. *Melior est abiectus, qui habet seruos, quam gloriosus, & indigens pane.* Quæ verba ego sic interpreto. Si quis infimæ conditionis vir labore, & industria auget censum, & facultates, ita ut multos seruos, copiosamque familiam alat: hic sanè longè melior est, id est, pluribus habetur, magisque colitur ab omnibus, quam vir gloriosus, hoc est generis nobilitate insignis, & multos proavos, atavosque numerans, & indigens pane: si videlicet pauper sit, & angustia rei familiaris laboret. Quorsum hæc? Nimirum ut generosos, ac nobiles stimulet ac pungat Salomon, ne otio, ac desidia soluti in egestatem se vnquam deuenire patiantur. Nam hi, qui paupertate premuntur, quantumlibet illustres sint, & maiorum suorum gloria splendeant, vulgo despiciuntur, & nihili habentur. Contra vero degeneres quidam, & illiberales homines, si fortè diuitias, & copias industria, atque labore suo pepererunt, à cunctis obseruantur, colunt, suspiciuntur.

Posterior expositio, quam exhibet translatio vulgata, parum abtã priori: *Melior est vir pauper, & sufficiens sibi.* Sic conuertit vulgatus illam clausulam. *Et seruus sibi,* ita ut ille dicatur seruus sibi, qui industria sua sibi ipsi necessaria cumulauit, etiam si ad id opus fuerit quædam seruitia, & illiberalia exercere.

Antiochus

Iob. 7. n. 3.

39

40

41

exercere. Is ergo, inquit Salomon, qui sua industria ex paupere, & vili diues euasit, & sufficientes, seu opportunas sibi copias nactus est, *Melior est*, id est, vulgo pluris habetur, & obseruantius colitur, quam gloriosus, & ingenuus, si tamen indignus sit. Quibus verbis Salomon videtur nobilitatem diuitiis, copisque metiri. Hæc fuit mens Hieronymi ad Heluidiam, vbi sic ait, *Nobilitas mundi nihil aliud est, quam inueterata diuitia*: qui verba hæc ex Aristotele, in lib. de Nobilitate (cuius quædam fragmenta apud Stobæum, & alios occurrunt) accepisse videtur. Hinc est illud Euripidis.

Hieron.

*Nobilitatis mentionem amabo ne mihi feceris,  
Hoc in pecuniis situm est.*  
Item in Erichtheo.

*Da operam opibus: nam illa nobilitatem donant,  
In paupertate vero obscuritas inest.*

Euripid.

Horat.

Consonat etiam illud Horatii sermone secundo Satyra secunda.

*Omnis enim res*

*Diuitiis pareat, quas qui construxerit, ille  
Clarus erit, iustus, sapiens, etiam Rex.*

Quæ quidem omnia non ita intelligo, quasi nobilitas tota in diuitiis consistat: sed quia hæc si diuitiæ, & copiæ absint, vulgo contemnitur, & ludibrio habetur: iuxta illud Horatianum vulgo tritum lib. 2. serm. Satyra 2.

42

*Ergenus, & virtus, nisi cum re, vilior alga est.*  
Lege multa de hac re apud Tiraquellum de nobilitate cap. 3. 26.

Venio ad lectionem Septuaginta, quæ paulo diuersam sententiam reddere videtur: Sic enim aiunt, *Melior vir in utilitate seruiens sibi, quam honorem sibi circumponens, & egens pane*. Salomon carpit his verbis (mea quidem sententia) quosdam exigui census homines, qui vt externum quendam in vestibus, seruis, aliisque eiusmodi rebus splendorem venditent, & ostentent, semetipsos inedia, fameque conficiunt. Itaque ait, *Melior vir in utilitate seruiens sibi*, id est, præstat vtique, ac sibi melius prospicit ille, qui in vili habitu, & inglorius sibi ipsi facultatibus suis inferuit, ex his victitans, & in quotidianas escas insumens, *Quam bonarum sibi circumponens, & egens pane*, id est, quam ille, qui cibo parcens fame atque inedia enectus externum quendam ornatum, & splendorem veste, cultuque mentitur. In eiusmodi homines inuehitur Chrylost.

Mat. c. 25.

hom. 22. in Matth. atque ad hanc sententiam deriuat illa Christi Domini verba, *Nonne anima plus est, quam esca, & corpus plusquam vestimentum?* Inde inquit fit, quod si corpus præstat longe omnibus indumentis, corpus quidem prius curandum sit, & sufficienti alimento reficiendum. Vestis autem ornatus, & cultus præ cura corporis contemnendus. Obseruat præterea Chrylostomus Christum Dominum in eo capite sic dixisse, *Ne solliciti sitis animæ vestra, quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Postquam* (inquit) *de necessario disputauit cibo, transit ad leuius: neque enim, ita per omnia necessarium vestimentum est, sicut alimentum*. Rursus ad illa verba, *Considerate lilia agri quomodo crescunt, & non laborant, neque nent, &c.* quærit Chrylostomus non potius Pavum, aut Cygnum, aut alias aues pulcherrimas considerare iussit Christus: sed ex herbis duxit similitudinem? Occurrit primo id factum cuiusdam exaggerationis gratia, vt homo vestium cultum, & elegantiam prorsus aspernaretur, cum videret Salomonem ipsum, qui reliquos vestium gloria, ac splendore superauit, ab vilissimis quibusdam floribus, & herbis longo interuallo vinci. Claudit autem hanc sententiam venusto Epiphonemate, *Cur igitur ex his in superbiâ mentis erige-*

43

Tom. I.

*ris, in quibus per facile de te obtinet etiâ herba vifloriâ?* Vterius addo à floribus, herbisque ex eo ductum exemplum, non autem ab auibus: quia aues siue pastæ vberius, siue impastæ sint, plumis eodem modo abundant: imò potius si quando ob pabuli defectum in maciem soluuntur, plumarum ambitio, & leges, experientia duce, maior est, ac copiosior. Secus herba, quarum, nisi vberi succo in pingui solo radix alatur, folia marcent, & arescunt. Nam herba succum illum, quem terra suppeditat, accommodatè, & iustè sic distribuunt: vt siquidem sterilior sit, radix quidem illum ebibat, & sola inde innutritur: reliqua autem folia, scilicet flores, & fructus marcescunt. Si autem vberior, ex radice in folia, flores, fructusque redunt. Iam intelligis, quò tendam. Sanè illi, qui honorem sibi circumponentes corpus fame conficiunt, imitantur aues, quæ impastæ, & macie confectæ exterius tanquam plumarum quadam gloria, & cultu splendent. (Vide an eiusmodi homines propterea vulgo *Pelones*, vocentur, quia ob inedia macilentis sunt: macilentis autem præter morem excrescunt pili, sicut auibus plumæ, vt experientia compertum est.) Ili autem, qui tenuem censum adepti corpus imprimis curant, & quod inde fit reliqui, in vestes, & cultum expendunt, herbas quidem æmulantur, quæ radicem primum tuentur, foliorum autem, ac florum gloria nequaquam vestiuntur, nisi vberior, ac pinguior annus sit. Eapropter Christus Dominus cum de cura indumentorum agit, non Pavones, non Cygnos, aut reliqua spulchriores aues: sed lilia, atque scæni nos æmulari iubet.

X. *Nouit iustus iumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia.*

**N**ouit iustus iumentorum suorum animas. Hebraicè, *Cognoscens iustus animam iumentisui*. Septuaginta, *Iustus miseratur animas iumentorum suorum*: sic Chrylost. hom. 26. in Epistol. ad Rom. *Viscera autem impiorum crudelia*. Hebraicè, *Miserationes autem impiorum crudeles*. Vox originalis est רחמי Rachame, misericordias sonat. Senius esse videtur. Tunc cum maximè miserantur, & lenius agunt, sæuitiam vocare licet. Septuaginta propius ad nostram lectionem accedunt, *Viscera autem impiorum in misericordia*. Chaldæus, *Miserationes impiorum crudeles*.

Prima expositio est Hebræorum, qui cum in primitiuis singulariter habeatur, *Nouit iustus animam iumentisui*, sic exponunt: Iustus non modo vitam animi, sed etiam corporis (hec enim iumentisui instar obtinet) tuetur, & curat, *Ac viscera impiorum crudelia*: quia etiam in semetipsos sæuiunt, atque vt scelera sua perficiant, sanitati, & valetudini corporis, imò etiam vitæ non parcunt.

Secunda interpretatio docet verba ista per similitudinem esse edisserenda, ad hunc modum: Iustus sic prospicit, ac benefacit proximis suis, sicut iumentorum, aut pecorum pastor suis pecoribus, ac iumentis. Sicut enim hi, qui bruta animalia moderantur, aquationis, & pabuli tempus, opportunitatemque exploratam habent, & singula pecoribus opportune administrant, etiam si nullam gratiam ab his rationis expertibus sperent: sic iusti etiam apud ingratos homines, qui bruta animantia impericia, & morum stoliditate superant, beneficia collocant sua. Ita fert mens Rodolphi, à qua non longe abit Beda, qui sic ait, *Iustus nouit, &c.* id est, *Compatitur, & miseretur hebetudini, & fragilitate proximorum sibi commissorum*. Hæc expositio non probatur, tum quia in verba ipsa parum

45

46

P P

apte cadit: tum etiam, quia ab animantibus, & iumentis parum apta similitudo ducitur ad notandam beneficentiam in proximos: imò potius hanc similitudinem tanquam contrariam veræ beneficentiae refutat. Seneca lib. 4. de benefic. cap. 13. ubi sic ait, *Non est beneficium, quod in questum mittitur. Nam qui beneficium, ut reciperet, dedit, non dedit. Ideo non damus beneficium animalibus, quæ aut usui, aut alimento futura nutrimus: nec beneficium arbutis damus, cum colimus, ne siccitate, aut immoti soli duritia laborent. Nemo enim ex æquo, & bono ad agrum colendum venit.* His similia verba habet Tullius in libro de Amicitia, & Aristoteles similiter ob eandem causam docet hominem cum animantibus, aut arboribus amicitiam inire non posse.

Seneca.

Tullius.  
Aristot.

47

Tertia igitur, & germana sententia huius loci est illa, quam tradidit Chrysostomus homilia 29. in Epistolam ad Romanos, ubi sic ait, *sunt enim sanctorum anima vehementer mites, & hominum amantes non solum erga suos, sed etiam alienos: ita ut hanc suam mansuetudinem etiam ad animantia bruta extendant. Propterea, & sapiens quidam dixit: Iustus miseretur animarum iumentorum suorum. Si ergo iumentorum, multo magis hominum.* Hæc ille. Et quidem fieri non potest, ut eius, quem animantium rationis expertum misericordia capit, non etiam multo maior hominum miseratio tangat præcordia. Addo etiam fere omnes illos, quos immanes, ac sæuos in animantes extitisse constat, etiam in homines crudeles, atque efferos fuisse. Neronem autem animantium nece maximè delectatum: adeo ut laxamenti gratia eorum lanienam, & carnificinam crebrius viseret, & gladio suo iugulum sæpius ipse peteret. Item muscis stilo aureo confodiendis eundem oblectatum ferunt, eiusdem vero in homines par semper extitit truculentia, & immanitas. Mito alios. Illud præterea huic sententiæ adstipulatur, quod tradit Gregorius Tolos. lib. 30. cap. 38. apud quasdam respublicas, cum ad publica supplicia inferenda carnifex desideratur, Popam aliquam è macello ad id munus obeundum cogi. Huic enim, qui cæcis quotidie animantibus non perhorrescit, hominem etiam perimere haud horrore futurum existimarunt. Ad hæc Opianus libro secundo de venatione nimis longas Regibus venationes interdicit, *Ne (inquit) cade animalium delectati, hominum quoque interneciones cogitent.* Optimè igitur Salomon ad extollendam misericordiam hominis iusti ait, *Iustus novit.* (id est miseretur) *animas iumentorum suorum.* Nam ille, quem iumentis sui miserescit: multo magis hominis miserebitur. Subdit:

Greg. Tol.

Opianus.

48

*Viscera autem impiorum crudelia.* Hoc est, impiorum præcordia nullius rei tangit miseratio. Hebraicè, *Miserationes impiorum crudeles,* id est. Tunc cum maxime misereantur, & lenius agere videtur, sæuitia est, & immanitas. Rodolphus ita exponit, *Misericordia impiorum crudelis,* id est, impij si quando misericordiam præstant, utique ex his præstât, quæ ab aliis per summam crudelitatem, & sequitiam rapuerunt: atque ad eò quæ in quosdã pietas, & lenitas videtur, in alios quidem immanitas est. Vel aliter, impij cum aliquid ex misericordia donant, dum cunctantur, dum exprobrant, dum obtrectant, crudeliores multo sunt dando, quàm si non darent. Seneca lib. 2. de benefic. cap. 4. *At plerique (inquit) sunt, qui beneficia asperit a te verborum, & supercilio in odium adducunt eo serm. usi, ea superbia, ut impetrasse pœniteat.* Et cap. 5. crudelitatem hanc extollit, *Malo mihi iam neges beneficium, ubi in radium adductus animus incipit beneficium odisse, dum expectat. Quemadmodum acerbissima crudelitas est, quæ trahit pœnã, & misericordiam genus*

*A est cito occidere, quia tormentum ultimum finem sui seculum affert: quod vero antecedit tempus, maxima supplicij futuri pars est. Ita, &c.* Misissas facio alias parum accommodatas eiusdem hemistichij expositiones.

XI. *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est.*

**Q**ui operatur terram suam, satiabitur pane Hebraicè, non dissonat. Septuaginta, *Replebitur pane.*

49

*Qui autem sectatur, &c.* Hebr. *Et sequens, vel qui sequitur vacuos carens corde.* Rodolph. *Qui sequitur inania.* Chald. *Qui sectatur vacua, indigens intellectus est.* Sept. *Qui autem sequuntur vacua indigentes corde.* Symmachus concinit cum nostra. Aquila, & Theodor. cum Septuaginta, *vacua.*

Huius loci sententia adeo perspicua est, ut interpretatione non indigeat. Tamen translatio Septuaginta locum fecit discordiæ, quam al. qui hunc ad sensum vocant, *Qui operatur terram suam, replebitur pane,* id est, qui agris colendis suam operam impedit, is sanè prædiues erit. Nam terra copiosis proventibus labores solet compensare, *Qui autem sequuntur vacua indigentes corde,* id est, qui negotiationi, & mercaturæ student, (isti enim vana sequi dicuntur) Græcè *μωταία,* quæ vox non stulta solum, & inepta sonat: sed etiam quæ frustrantur sine suo atque eluduntur. Ergo agriculturam mercaturæ opponit Salomon, asseritque illam præferendam, quia ex ea securior percipitur proventus: huius vero lucra dubia sunt, & crebrius frustrata deficiunt. Et quidem *μωταίας τὰς τέχνας,* id est, vanas, siue frustratas artes appellavit Plutarchus mercaturam, & negotiationem 1. Politicorum. Non recedit ab hac expositione D. Hieronym. ad illa verba Isaiaë 23. *Operare terram tuam: etenim naues nequaquam veniunt de Carthagine. Profuit etenim Tyro (inquit Hieron.) naues interire peregrinas, ut cogatur operari terram suam, de qua in proverbis dicitur: Qui operatur terram suam, satiabitur panibus, &c.* *Ut nequaquam de incerto fluctuum, naufragiorumque discrimine: sed operis sui vivat frugibus.* Ad quã sententiam alluci etiã potest lectio vulgata, etiam quo ad extrema illa verba, *Qui autem sectatur otium, stultissimus est.* Nam si mercaturæ, & negotiationis operas cum agriculturæ laboribus conferamus, omninò sedentariæ, atque otiosæ sunt.

50

Plutarch.  
Hieronym.

51

Cæterum clarior, & luculentior est sententia, quam ut his tenebris offundi debeat. De sollicita industria contra inertiam loquitur Salomon. Itaque ait, *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus,* id est, ditabitur. Meminit autem agriculturæ, tum quia hæc magis assiduas operas postulat, & nullum desidiæ locum facit: tum quia proventus illius ditior est, *Qui autem sectatur otium, stultissimus est,* id est, qui otio, & inertia soluitur, huius ingens stultitia, & vecordia. Hebraicè, *indiget corde,* id est, hic non modo in paupertatem, & rei familiaris angustias deveniet: sed etiam in cordis, mentis videlicet, atque intellectus inopiam incidit: inops rei, atque mentis est. Eundem sensum reddunt aliæ lectiones. *Quidam enim habent, Qui sectatur vacuos,* id est, qui inertes æmulatur. Alij, *qui sectatur vacua,* vel *vana,* vel *inania,* id est, inanem, & vacantem vitã agit, *stultissimus est.* Otium sanè non modo stultitiæ argumentum est: sed etiã auget, & cumulat. Hinc est illud Cassiod. *Natura humana sicut durus laboribus instruitur: ita per otia torpentia infatuatur.* Consonat Plutarch. in Moralib. *Ingenium hominis ceu cariem, & senium in otio contrahit propter obscuritatem,*

Cassiod.  
Plutarch.  
Petar.

52 *Et muta quies, vitæque sedentaria non modo corporibus, verum etiam animis marcorem affert.* Accedit alius non enervatus Philosophus, qui ita scribit, *Qui enim desidēs, ignavis, & otiosos vivunt, mehercule, non magis vivunt, quam stolidæ pecudēs, ac mera belluæ: neque enim vivunt, sed spiritum trahunt, sicut pecudēs solent.* Sed appositissima sunt ad hoc institutum verba Chrysostomi homil. 5. in epist. 1. ad Corinth. *Nemo (inquit) erubescat ex his, qui sunt artifices: sed hi, qui nihil agentes aluntur, & sunt otiosi qui multis utantur ministris, & priusquam dici possent, curantur, coluntur, & observantur: perpetuum enim opus facientem inde alii est genus Philosophia: eorum sunt animæ puriores: eorum sunt mentes robustiores, ac firmiores. Nam qui est otiosus, multa temere loquitur, & multa agit temere, & toto die nihil operatur, torpore, & veterino mentem repletam habens.*

53 Locum istum spirituali sensu donarunt Hieronymus ubi supra, Petrus Damianus in Epistola ad fratres mandatorum transgressores, Beda, & Hugo hic. Ex quibus alij nomine telluris suæ animam, alij corpus intelligant. Beda, atque Hugo ad animum referunt. Petrus Damianus ad corpus: cuius verba libet hic attexere, quia venusta sunt, *Quisquis desiderat spiritualium segetum ubertate discere, desudet nunc agrum sui corporis disciplina, ac continentia vomere continuo labore sulcare, & tanquam novallium suorum glebas sarculo sapiente confringat: dum quidquid durum, quidquid infæcundum in se deprehenderit, iugis penitentia contusionibus terat. Nec desinat gula prurientis urticas, atque inhorrescentes carnalium desideriorum vepres radicibus extirpare, quo uberis proventus spiritualium segetum valeant sui corporis rura proferre. Vnde Salomon ait. Qui operatur terram suam, saturabitur panibus. Hæc ille.*

XI. *Qui suavis est in vini demorationibus: in suis munitionibus relinquit contumeliam.*

54 HÆC verba desiderantur in primitivis Hebraicis, sed exhibentur in textu Septuaginta, ubi ad verbum sic habetur, *Qui iucundus est in vinorum conversationibus.* Lyra aliter extulit ad hunc modum, *Qui suavis est, in vini moderationibus.* Sic etiam habentur apud Bedam: seu mendum manifestum Græcorum fides evincit,

Sententia est perspicua, *Qui suavis est in vini demorationibus, aut conversationibus.* id est, qui suaviter, & iucunde indulget comotationibus, & cœniis. *In suis munitionibus relinquit contumeliam:* deo scilicet patrimonio exhaustam omnibus facultatibus domum relinquet: quo nihil contumeliosius excogitari potest. Sic Ianfenius. Sed vide aliter verba ista edifferenda sint. Pro munitionibus Græcè est, *χορηγία*. Est autem *χορηγία*, teste Suida, non solum castrum, & munitio: sed etiam quodcumque cubiculum clausum, ac feris munitum: nempe cœnacula, aut alios ædium recessus. Ergo Salomon ait: *Quicumque suavis in cœniis, atque comotationibus oblectatur in cubiculis, cœnaculis, & recessibus ædium suarum, relinquit contumeliam,* hoc est, vomitus, & fordes, nihil turpius, atque fætidius.

Quod si nomine munitionum castra, arcesque munitas intelligi malis, licebit quidem hanc sententiam ad militarem disciplinam referre hoc modo, *Qui suavis est in vini demorationibus,* id est, Dux ille, aut Princeps, qui vini, epularumque illecebris suavis delinitus diutius immoratur cœniis: is quidem in munitionibus, id est, in arcibus fidei suæ commissis, aut ditioni subiectis ignominia suæ

A notas, & monumenta æterna relinquet: quia nimirum illo cœniis, & comotationibus vacante, hostes irrumpunt, & arces, castraque debellant, ac diripiunt. Lepidum est in hanc sententiam Petri Navi viri suo ævo falsissimi dictum in Vgotionem Fagalium præstantissimum alioqui ducem, tamen voracissimum, ac epularum appetentissimum. Is ergo cum splendidum cœniium ageret admonitus Pisanos, & Lucences ad arma cœpessenda excitari, & rebellionem cogitare, cum ocyus exurgens seditionis æstum sedare posset, epularum suavitatem delinitus dapes intermittere noluit. Itaque urbem utramque vna die amisit. Cum igitur Vgotio iuvenem se adhuc quate nos altiles capos, & totidem perdices affos, item hædi clunes, edissumque vitulæ infartum pectus, præter alia falsamenta vna cœna deuorare solitum referret, false admodum Navius, *Non est (inquit) Vgotio, cur hæc à te iuvene comesta admiremur, cum iam inde senex, nec plandentibus instructus, duas urbes vno prandio absumpseris.* Hic sane in vini demorationibus suavius distentus, id est, diutius immoratus cœniis, munitiones duas amisit, perpetuum ignominia monumentum posteris relinquens. Diuus Ambrosius in libro qui inscribitur ad sacras Virgines, *Innumerabiles (inquit) iugum dominationis diu recusantes vinolentia in alienum redigit arbitrium. Alexander omnium victor vino victus est, quam plurimæ urbes diu obsessæ, nec raptæ custodibus epulis, vinoque sepultis hosti patefactæ sunt, & incendiis concremata, &c.*

Denique possumus verba præmissa alia interpretatione donare: si videlicet munitionis, vel arcis nomine per metaphoram caput hominis accipiamus, quod instar est arcis, ac summi propugnaculi. Is ergo, qui vino immoderato se ingurgitat, *in suis munitionibus relinquit contumeliam.* Quia dum vinum, ebrietasque capitis arcem petit, & supremam illam hominis munitionem pulsa ratione scandit, & captat, ingens inde ignominia, & probrium in eiusmodi capite derelinquitur. Nam ut author est Seneca de remediis fortunæ, *Caput illud, quod vinum semel tentavit, omni magistrati administrando semper ineptum est.* En quantam ignominiam vna ebrietas derelinquat. Plato apud Stobæuratem obtulit, serm. 18. *Gubernator (inquit) ebriosus, & quiis cuiusque rei præpositus omnia subvertit, sine navigium, sine currum, sine exercitum, sine urbem, siue quamcumque rem fidei suæ commissam.* Ob eam causam Salomon in 1. cap. 29. regibus vinum interdicit. Basilus etiam in oratione de ebrietate, & ingluvie, *Dynasta (inquit) ne bibant vinum, nec illi, quibus magistratus aliquis mandatus est, aut aliqua rerum publicarum administratio conceditur.* Sed elegantissimè Plato Dialog. 3. de Republica lib. 31. *Non conceditur (inquit) custodi, ut ebrietate gravatus, ubi terrarum sit, nescia, nempe ridiculum esset custode indigere custodem, & caput capite.* At enim quanta tyrannide vinum capitis arcem petat, & in suam ditionem redigat supremam illam munitionem, erudite attingit Basilus ubi supra, *Cum multum (ait) meri infusum fuerit, quasi tyrannus quidam arcem petit, & à summo vertice ingentes tumultus animæ præbet, nulli rei ne principali quidem parcens: sed ipsam primum rationem in servitutem captam adducit: deinde eam disfectionem, ac ornatum, qui doctrinæ partus est, confundit, ac perturbat visu indecoro, voce horrenda, ira præcipiti, libidine effrenata, æstro, ac furore in omnem inhonestam voluntatem. Ad alia.*

XII. *Desiderium impij munimentum est pessimorum: radix autem iustorum proficiet.*

58

**D**esiderium impij munimentum est pessimorum. Sic lego non *monimentum*, vt in quibusdam codicibus mendosè scribitur. Hebraicè, *Desiderat impius rete malorum*. Caiet. verò transtulit, *Desiderium impij laqueus malorum*. Chaldaus, *Desiderat impius rete mali*. Septuaginta, *Cupiditates impij malum*.

*Radix autem iustorum proficiet*. Hebraicè, *dabit*, id est, proferet, pullulabitque germaina, & fructus. Septuaginta, *Radix verò iustorum in munitionibus*. Ad syntaxim, & constructionem huius loci obseruandum est, *pro munimento* in primitiuis Hebraicis esse nunc, מצוד *Metsud*, à radice צוד *Tsud*, id est, venatus est. Itaque rete, aut venationem transferre licet, pro qua voce Hieronymus, & Septuaginta, legerunt, non *Metsud*, sed potius מצוד *Metsod*, à radice מצוד *Matsod*, quæ significat ædificare, aut attollere munitionem. Itaque *Metsod* turrim, vel arcem sonat. Inter vulgatum verò, & Septuaginta, id tantum interest, quod vulgatus vocem *Metsod*, ad priorem huius sententiæ partem retulit. Septuaginta verò posteriori accommodarunt. Idèd transtulerunt, *Radix iustorum in munitionibus*. Denique in marginalibus appendicibus ante vocem רעע *Raghim* additur רעע *Rauagh*, id est, deficiens. Ita verè licet, *Impius decidit rete deficiens malorum*.

59

His prælibatis Beda, Hugo, Lira, Dionys. & alij, quotquot legunt, *Desiderium impij monumentum est pessimorum*, priorem partem sic edisserunt, *Impius* quidem tunc maximè gestit, & quasi optatis fruatur, cum impiorum memoria recolitur: eorum enim libenter meminerit, quorum mores imitationem simulat. Addit Hugo *monumentum*, hinc accipi posse secundum familiarem scripturæ usum pro sepulchro, secundum eam acceptionem non vnam, aut alteram, sed quatuor, vel quinque huius loci expositiones constat. Cæterum quam longe hæc à vera lectione, & ab originibus abeant, satis ex dictis liquet.

60

Rodolphus, & Caietanus Rabinorum vestigia prementes, cum sic transferendum putauerint, *Desiderat impius rete malorum*, sententiã sic conformant. Impius omnes omnium malorum artus, & nocendi artes desiderio suo complectitur. Ea enim est aliena auferendi cupiditas, & auaritas, *vt retia pessimorum*, id est, omnes sceleratissimorum hominum artes, & machinas ad ea captanda vnus adhibere concupiscat. Caietanus verò qui conuertit, *Desiderium impij laqueus malorum*, sic exponit. Impius ea impense desiderat, quibus illaqueatur, & præpeditur: quemadmodum mali, ac scelerati homines illaqueari, & præpediri consueuerunt. Cæterum cum istæ expositiones in nostram vulgatam lectionem minimè cadant, refutandæ sunt.

61

Iansenius ergo nostram lectionem sic edisserit, *Desiderium impij munimentum est pessimorum*. Impius scilicet mirum in modum exoptat pessimos quosque roborari, fortes ac validos esse, vt pios, & iustos vi, & potentia sibi substernant. Attamen frustra. Nam *radix iustorum proficiet*, id est, iusti in dies magis, ac magis, velut arbores, quæ profundiores radices agunt, fulcientur, & solidius obfirmabuntur. Non displicet: tamen alia mihi occurrit (nisi fallor) accommodatior interpretatio, *Desiderium impij monumentum est pessimorum*. Impius desiderat munimentum pessimorum: optat scilicet ab illis muniri, stipari, & defendi: nam se solo debi-

lis, & parum firmus videtur sibi. Vel aliter desiderat, *munimentum malorum*, id est, diuitias, & opes, in quibus mali robur ponunt, impense cupit, *Radix autem iustorum proficiet*, id est, iustorum robur, & firmitas inconcussa (hanc enim nomine radicis accipiendam esse existimo) in dies maior erit, quasi dicat. Impius cum seipso debilis sit à fortunis, amicis, aliisque externis suæ firmitatis auxilia petit: at iustus se solo constans, & magnæ ad instar arboris actis radicibus firmus est: vt potè qui sua ipsius probitate fulcitur. Audi Iob 31. *Si putauit aurum robur meum, & obrizo dixi fiducia mea*, id est, absit à me, vt impios imitari velim, qui robur suum, & spem in diuitiis, atque opibus collocant. Et Paulus, *Nolite sperare in incerto diuitiarum, &c.* De quo alibi non pauca diximus.

Iob 31.

num. 24.

De translatione Septuaginta aliud iudiciũ est, *Cupiditates impij malum, radix autem iustorum in munitionibus*. Impiorum cupiditates, & studia rebus malis, id est, caducis & terrenis affixa sunt, nihil sublime, & caeleste cogitant. Contra verò radices iustorum, id est, eorum affectiones, & studia in munitionibus, quasi dicat: iusti altiora, & sublimiora affectant, caelestia meditantur, in hisque figunt desideria sua. Vel aliter, impij quidem voluntas, & mens exarmata est, atque imbellis, atque ad eò illam innumeræ cupiditates, & prauæ affectiones inuadunt. At verò *radix iustorum*, id est, eorumdem voluntas animique, (sitamen hunc radicis nomine significari nõ ægrè fers,) in munitionibus, id est, septus vndique, ac munitus est, ne scilicet prauæ cupiditates illum adoriantur, & debellent. Aut denique, quod fatius reor, nomen radicis, (vt alibi monui) ex familiari scripturæ loquendi modo diuitias, & fortunas sonat. Atque ad eò sensus est, *Cupiditates impij malum*, id est, ad malum inferendum pronæ: iustos enim & probos circũuenire, & bonis suis spoliare cupidissime desiderant, *Radix vero impij*, id est, eorũ facultates, in munitionibus, hoc est, tutæ, atque securæ sunt ab eorum infidiis, vi, ac potentia, quasi muris septæ, ac præcinctæ forent.

62

Hæc autem expositio, quæ mihi ante alias probatur, tuadet, vt ad eandem sententiam vulgatam lectionem vocem, *Desiderium impij munimentum est pessimorum*. Vtique vox *Metsod* de qua supra, non modo arcem & tutam ad manendum stationem sonat, sed etiam machinam, aut substructionem quandam ad inuadendum, Eccles. 9. *Venit contra eam Rex magnus, vallauit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio*. Ergo ait: imperij cuiuscumque cupiditas in eo incumbit, vt machinis omnibus, quibus pessimi vti solent, facultates iustorum adoriantur. Sed nihilominus *Radix iustorum proficiet*, id est, iustorum opes, & res familiaris ab iniustis petita non extirpabitur, sed in dies augetur, ac cumulatio erit.

63

XIII. *Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem iustus de angustia.*

**P**ropter peccata labiorum ruina proximat malo. Hebraicè, *In prauaricatione labiorum laqueus malus*. Rodolphus, *Laqueus malum*. Supple capiet. Caietanus, *In rebellionem labiorum impinget malus*. Consonat Chaldaus. Septuaginta, *Propter peccata labiorum incidit in laqueos impius*. Vox Hebraica, שרמ *Mokes*, vtramque significat, laqueum, & ruinam.

64

*Effugiet autem iustus de angustia*. Septuaginta, *Iustus autem effugiet ab eis*, supple *laqueis*.

Lectionem originalem duplicem ad sensum

allicere integrum est. Prior est, *In prauaricatione laborum laqueus malus*, id est, qui peruertunt labia sua, & verbis fraudulentis alloquuntur simplices, laqueos ad eosdem deludendos, & captandos tendunt. Et sanè nullus laqueus, aut decipula ad captandum hominem instructior, quam verba simulata & composita. Quid certius? Posterior sensus est, qui verbis suis alios dolos instruit, retia sibi ipse sternit, & laqueos, ruinam, & casum accersit. Ad hanc sententiam pertinent vulgata verba, *Propter peccata labiorum ruina proximat malo*. Ille scilicet, qui verbis suis alios perit, ipse sibi suæ ruinæ author est: nam sui ipsius verbis illaqueatus, & irretitus concidet. Et rursus iustus, cui ille ruinam, & exitium parabat, *Effugiet de angustia*, id est, technas, & dolos, quibus vndique teneri videbatur, vitabit, atque euadet. Sed expendendum est verbum illud, quo vsus est vulgatus, *proximat malo*, id est, malus, qui verbis suis alios impellit, ruinæ proximior in eo, cui dolos parat. Sententia est vulgaris, & sæpe aliàs inculcata à Salomone. Quapropter ad alia excurro.

XIV. De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, & iuxta opera manuum suarum retribuetur ei.

DE fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, Hebraicè, *De fructu oris viri saturabitur bono, & retributionem manuum hominis reddet ei*. Septuaginta, *De fructibus oris anima viri replebitur bono, & retributio laborum eius dabitur ei*. Aquila, Symmachus, & Chaldaeus, *Retributio manuum eius*.

Caietanus lectionem originalem expendens sensum excogitauit à vulgata omninò alienum, *De fructu oris viri saturabitur bono*, nimirum auditor, *Et iuxta opera manuum suarum retribuetur ei*: hoc est, ipsemet percipiet operum suorum compensationem. Itaque Caietanus existimat discrimen, quod inter eloquia, atque opera intercedit, his verbis exprimi. Quasi dicat; fructus eloquij ad auditorem spectat: fructus autem operum ad eum redit, qui operatur: atque adeò satius est operari, quam eloqui. Sed tamen hæc neque solida sunt, neque cum lectione contra coeunt.

Vulgo tria aliorum interpretum expositio est, *De fructu oris sui saturabitur iustus, &c.* id est, iustum tum sermones, tum facta non modo aliis profunt, sed etiam ex eisdem ingens ad illos redit emolumentum. Quæ expositio (si paulò amplius vergeatur, & illustretur) congrua est. Sensus igitur sic habet, *De fructu oris sui, &c.* id est, iustus ea mensura, qua alios ore suo consolari, & verbis lenire curauerit, ipse solatia, & gaudia reficiet, delinitus à Deo, & consolatus. Quid enim aliud est de fructu oris proprii exalturata, nisi suauitatem, & delectationem, quam aliis sermonibus suis impendit, ipsum experiri, & gustare? Ad id spectant illa verba magni Gregori in Moral. *Et gaudia tribues, unde es letificandus accipies*. Conferitur autem consolatio cum fructu: quia sicut fructus tum solum dulcis, & suavis est, cum maturus, & decoctus: sic etiam consolatio tunc solum delectat, cum mature, atque opportunè adhibetur. Ambros. in Psalm. 37. sic addit, *Si fructus ante maturitatem carpitur, acerbus est. Et si medicus medendi tempus expectat, ut digestis aegritudinibus medicina subsidia deserantur, ne acerba adhuc, & immatura (ut afferunt) aegritudo curationis remediis reluctetur: quanto magis explorare nos conuenit, ut mature, & opportunè medi-*

cinalis sermo procedat, qui non accendere lucum, sed lenire videatur. Consolatio autem matura, & opportuna est, quæ tempus non antevertit, vel differt: vtrumque enim, vel anticipatio, vel dilatio consolationem ingratam reddit. De anticipata consolatione loquitur Ambros. supra: ubi rursus addit, *Vis vrget doloris, premitur cor mulieris afflicta, quæ immaturo obitu maritum amisit, aut filios. Quid properas, cum te illa non audiat, nisi deseruescat dolor, &c.*

Venusta sunt in hanc sententiam verba Plutarch. in lib. de Consolatione, *Vt medici vehementi fluxu pituitæ non statim succurrunt pharmacis, sed foris aliquid admouent, quod tempore concoquat dolorem: ita in recenti dolore tacendum, donec tempore mitior admittat consolationem*. Alibi etiam vitur similitudine vitis, quæ postquam vinitor palmites excidit, non prius luxuriantibus pampinis ridet, quam aliquo dierum intervallo lachrymis perstillantibus fleuerit. Sic etiam ait, *Quibusdam flandi magna licentia permittenda est, ut amentibus tandem lachrymis rideant*. Rursus de consolatione sera, & diutius dilata elegantissimè Hieronym. in Epist. ad Pamachium,

*Sanato (inquit) vulnere, & in cicatricem superinductæ carni, si medicina colorem reddere voluerit, dum pulchritudinem corporis quaerit, plagam doloris instaurat. Ita, & ego serus consolator, qui opportune per biennium taciui, vereor ne nunc importunus loquar, & atrectans vulnus pectoris tui, quod tempore, & ratione curatum est, commemoratione exulcerem*. Hæc ille. Tempestiuam igitur, & opportunam consolationem Salomon fructum oris accommodatè appellauit: quia sicut fructus ante tempus suum oblatu acerbus est, & acris, & elapso eiusdem tempore, vel nimium decoctus delipit, & fatuus est, aut corruptus in amaritudinem vertitur: sic etiam consolatio anticipata molesta est: dilata verò, & sera sæpè fatua, sæpius autem ingrata, & amara cecidit. Ergo de fructu oris sui saturabitur iustus: quia solatiū, quod oratione sua aliis impertit, ipse copiosius hauriet ad saturitatem. Addit:

*Et iuxta opera manuum suarum retribuetur ei*. Pariratione qui non verbis tantum, sed etiam manibus, id est, operibus proximo stipem, opem, & auxilia impenderit, manibus quoque suis mercedem operum suorum auferet, plenas utique manus referet: iuxta illud, *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*. Translatio Sept. id tantum differt à vulgata lectione, quod vtraque pars de oratione consolatoria accipienda est: ait enim, *De fructu oris anima viri replebitur bonis, & retributio laborum dabitur ei*, id est, ea mensura ipsius anima solatio, & letitia complebitur, qua ipse alios dulci laborum oratione consolatus fuerit.

XV. Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audiet consilium.

VIA stulti recta in oculis eius, Hebraica non dissonat. Septuaginta, *Via insipientum recta, & eorum ipsi rectam autem consilia sapientis*. Symmachus, *Qui vero audiet consilia sapientis, etis omnia in idem recidunt*.

Sententia est luculenta, *Via stulti, &c.* id est, quidquid stultus apud se statuit, ac decernit, rectum omninò, atque æquum esse putat: quippe quod sapientia, & consilio reliquos sibi inferiores ducit. Qui verò sapiens est, libenter quilibet aliorum aures accommodat: nam cum in rebus propriis quemcumque parum æquum iudicem esse agnoscat, alios consulit, & eorum decretis libentius fidit. Hæc quidem sententia nititur eo veteri proloquio, *Nemo sibi æquus iudex*: placent sæpè homini deformia, quia propria;

quod præsertim vsu venit tum insipientibus, tum prauis hominibus. Imperitiæ, & inscitæ id tribuit Augustinus epistol. 174. contra Arrianos, *Hominēs (inquit) non intelligentes quid propter, quid dicatur, validas, & constantes volunt habere sententias, & cum arripiunt defensionem alicuius opinionis, ab ea vel nunquam, vel difficile reflectuntur. Dum docti, atque sapientes magis putari, quam esse concupiscunt: ideo alios audire detrectant.* Aristoteles libro nono Ethicor. capite nono id ipsum prauitati, & incontinentiæ adscripsit. Nam perturbatio animi, quæ ex incontinentiâ, & prauitate accidit, consultationem euertit, & ad illud sæpius decernendum impellit, in quod animus male affectus propendet: Itaque ait, *Incontinens enim, & prauus id sibi proponit, & desiderat, attingit cogitando, & rationes subducendo. Quare rectè quidem consultabit: malum autem magnum existimabit,* id est, post consultationem mala bonis præferet. Ergo siue nomine stulti imperitum, & inscium, siue prauum hominem capiamus, aptè Salomon ait, *Via stulti recta in oculis eius. Via (inquam) id est, sententia, decretum, vel opinio sua, stulto, hoc est, vel imperito, vel prauo homini mirum in modum placet: propterea illi mordicus adhæret, & aliorum respuit documenta, & consilia.*

70 *Qui autem sapiens est, audiet consilia,* id est, ex aduerso, qui peritus est, aut probus, is libenter alios auscultat, & accepto consilio sententiam mutat. Nam cum sapiens sit, parum suo iudicio tribuit, cumque probus, & continens sit, suas opiniones vehementius non amat. Hinc est, ut plerique doctrina, & probitate insignes homines sua scripta aliis examinanda, & discutienda libenter obtulerint. Ex quibus Ambrosius in epistol. 40. ad Sabinum, sic scribit, *Neque enim legi à te solum mea, quæ nonnunquam tribuo in vulgus, sed in tua calculum venire sententia desideravi. Non erit longi subsellij ista iudicatio, & mora, ut dictum est antiquitus.* At-

Ambros. *rigit Ambrosius vetus prouerbium, quod sic olim habebat, Aliena iudicare non est longi subsellij,* id est, breuissimo interuallo homines de alienis rebus subducta ratione decernunt: in his enim facilis, & procliuus est censura, secus in propriis. Itaque qui de propriis rebus alios consuluit, non solum certissimum, sed breuissimum etiam suæ consultationis compendium nactus est. Addit Ambrosius: *Nescio enim quomodo, præter imprudentiâ calignem, quæ me circumfundit, vnumquemque fallunt sua scripta, & aurē prætereunt, atque ut filij eorum deformes delectant: sic etiam scriptorem indecores etiam sermones sui palpant.* Et post pauca amicū affatus, ait, *Assume igitur beneuolo animo aurē versutiæ, & pertracta omnia, sermones euentila, notam appone ad verbum dubij ponderis, & fallaciæ statera. Male se habet liber, qui sine assertore defenditur, ipse igitur pro se loquatur, qui procedit sine interprete. Hic tamen non egreditur à nobis, nisi à te acceperit auctoritatem.* Itaque cum fide tua prodire iusseris, committetur sibi.

Ambros. *Ad hunc modum Ambrosius sua scripta aliorum tractat, ac censura subdebat, & Sabinū minus docti sententiam in propriis propriæ præferendam iudicabat.*

XVI. *Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat iniuriam, callidus est.*

71 *Fatuus statim indicat iram suam.* Hebraicè, *Stultus in die cognoscitur ira eius.* Rodolphus conuertit, *stultus in ipso die ira sua cognoscetur.* Beda, & Hugo alterius lectionis meminerunt ad

A hunc modum, *Stultus eadem hora pronuntiat iram suam.* Septuaginta, *Imprudens eadem die enunciat iram suam.* S. Cyprianus, *patet facit furorē suum.* Theodotion, *notum facit.* Chaldaus, *Stultus impetunt, seu præter tempus iram suam ostendit.*

*Qui autem dissimulat, &c.* Hebraicè, *Et operiens ignominiam callidus est.* Reperitur autem hoc loco vox ערום *Gharom*, de qua non semel alibi diximus: vbi obseruauimus secundum genuinam vocis vim de serpentis astutia dici. Septuaginta, *Abcondit autem inhonorationem vir astutus.* Symmachus, & Theodotion non discedunt à vulgata.

B *Interpres noster illud ביום Baim, id est, in die, quod in primitiuis est, perinde esse putauit, ac statim, à quo non abit translatio Septuaginta, qui legunt, in ipsa die, nec non illa alia in ipsa hora.* Ergo Rodolphus qui sequutus est illam sententiam, & lectionem, *stultus in ipso die ira sua cognoscetur,* sic exponit. *Stultus tunc præcipuè suam prodit, & ostentat vecordiam, cum irascitur, nam ira correptus homo multa temerè dicit, plura inconsultè agit. Ira enim, & furor vbi prudentiæ, atque rationis fræna abiecerunt, insanè debacchantur: ratio autem, & consilium iram temperant.* Basilus

C *in homilia de ira, Quapropter (inquit) si fortè in cogitationem, aut mentem ira veniat, aut cadat, eam ita contineamus, ut equum iugalem nobis ratione tanquam freno quodam obtemperantem, ac ordinem proprium nequaquam excedentem, & viam ingredientem, per quam à mentis recto consilio dirigatur. Et breui interstitio addit, Ad quod maximè utilis indignatio: quoniam veluti canis pastori, sic ira rationi obediens mitis quidem, ac mansueti iuuantibus eam, & ab ipsa ratione reuocabilis erit.* Nazianzenus item in Poëmate de ira tribus aliis similitudinibus describit modum, quo ratio iracundiæ obstitit.

*Vt ergo diras grandinæ arcens domus, Lapsuque frutices in graui præstant opem.* (Lapsum vtique appellat fluminis labentis impetum.)

*In pugna ut victis mænia salutem ferunt: Sic ratio præsens ira cum turbas mouet, Cum sumat id, quod pectus exurit tuum, Ignem prius quàm pariat, & flammam excitet, &c.*

Aptè igitur Salomon ait stultum in ipso die iræ suæ cognosci. Nam si statim atque ira animum subit, ratio robustior illius imperum non cognoscit, tanquam frænum iugalem equum coërcens, tanquam pastor canem reuocans, tanquam domus grandinæ arcens, tanquam frutex à flumine correptum continens, & tanquam murus victo refugium præbens, ipsius rationis imbecillitas, & infirmitas deprehenditur, atque homo stultus, id est, parum ratione, ac mente valens esse ostenditur. Sed tamen cum hæc expositio in vulgatam lectionem non cadat, eam non satis probo.

72 *Secunda communis interpretatio sic habet, Fatuus statim indicat iram suam,* id est, stultus, qualibet ex causa iram concipit, atque euomit. Est enim maximum stultitiæ argumentum statim ad iram proflite, & nihil à quo animo ferre.

Ratio autem ex præmissis peti potest, quia cum subito iracundiæ impetus coërcere ad vnam rationem spectet, hæc autem in stultis iaceat: ideo in his ira plurimum inardescit. Libet autem secundum hæc expositionem lectionem originalem pendere, quæ pro illo aduerbio *statim*, habet *in die*, vel iuxta Septuaginta, *in ipsa die*, quasi dicat: Iratus homo vnius diei periodo ostendit, an fatuus, an prudens sit. Nati subito irasci aliquando, & furore corripri humanæ conditionis est: iram autem producere, & ultra diem vnum extendere,



stultitia, atque insania. Propterea Paulus admonet ad Eph. 4. *Ira scimini, & nolite peccare, sol non occidat super iracundiam vestram* Quia vero aliquis existimabit Paulum eam sententiam ex hoc Salomonis loco hausisse, non erit abs re illam pressius excutere. Iubet ergo Paulus, ne sol super iracundiam occidat. Quam sententiam aliqui Doctores ad allegoricum sensum alliciunt, ex quibus non nemo nomine solis rationem, atque mentem intelligit, quæ in humano microcosmo solis instar micantissimi omnia suis splendoribus collustrat. Itaque ait. Ne sol, id est, mens super iracundiam occidat: ne scilicet iracundia tam sit atrox, & implacabilis, ut mentem hebetet, & ad insaniam vertat. Augustinus in Psalm. 26. enarratione. 1. Anselmus, & D. Thom. Thomas; in hunc locum, & Nazianzenus in Poëmate de ira, per solem Christum Dominum accipi voluerunt. Ex quibus sic Nazianzenus.

*Ne sol ira se tua condat caue,  
Sive ille radios qui foras mittit suos,  
Sive ille radiat, qui prohis intus viris:  
Namque ipse stultis occidit: contra botis,  
Cupidisque honesti lucet, ac cernentibus,  
Hoc tribuit, ut fulgeant vehementius.*

Itaque Nazianzenus solem, id est, Christum, ira fauente, in nobis occidere affirmavit: quia lux, id est gratia illius in nobis interit, ac deficit. Iuxta illud Ioannis: *Qui odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quo vadat.*

Cæterum Augustinus per solis occasum Christi mortem capiendam putavit, quasi dicat. Sol, id est, Christus non occidat super iracundiam vestram: ne scilicet, cum memoriæ occurrunt ea, quæ Christus ante mortem gessit, ac dixit, cum deposita omni similitudine pro suis carnificibus, & persecutoribus rogavit, perseveret ira tamdiu, ut idem Christus sol iustitiæ super illam occumbat: id est, ira necdum deposita in memoria nostra accedat & moriatur. Nam in eo, qui contemplata Christi morte, ira non defauit, sol quidem super iracundiam quodammodo obit.

Reliqui de naturalis, & mundani solis occubitu interpretantur. In his Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus, Theodoretus, & Tertullianus in lib. de oratione, & lib. de patientia. Augustinus ubi supra, Polycarpus in epistola ad Philippenses, Cyrillus in Thefauro. Athanasius lib. 2. contra Arrianos, & alij plures. Ex quibus Augustinus sic ait: *Intelligitur quidem, quod licet ex ipsa humana conditione, & infirmitate surrepit ira Christiano, non debet deum teneri, & fieri pridiana.* Sed cur, vel in actum, vel in alium diem differre iram prohibet Paulus? Non vnam offerunt rationem Patres. Primò, Tertullianus in eo libro de oratione, idem iram in noctem non esse producendam docet; quia nox est tempus orationi decretum: ira autem orationis vim, & robur elidit. Itaque ait: *Etiamsi irascendum est, non ultra solis receptum, ut Apostolus admonet. Quia temerarium est, aut noctem sine oratione transigere, dum cessas fratri satis facere, aut orationem perseverante iracundia perdere.* Secundò, in libro de Patientia aliam paucis verbis rationem obtulit. Sol (inquit) super iracundiam nostram si occiderit, periclitamur, non licet nobis vna die sine patientia manere: Præmiserat enim nos patientia, seu spiritu quodam vivere. Tertio, Theodoretus ex eo iram ante solis occubitum excidendam esse dicit, quia nox est tempus quieti, & sopori à natura tributum: ira vero quietem exturbat, insomnes reddit. Quarto, & Theophylactus sic addit. *Sol non occidat super iracundiam nostram.* ne scilicet sol

hostibus relictis abeat. Putat enim quodammodo allusum ad illa verba. Iosue 10. *Sol contra Gabaon ne movearis*, id est, ne prius ad occasum decurras, quam Gabaon debellatus, & profligatus fuerit. Pariratione ait Paulus: *Sol non occidat super iracundiam vestram*: satagite scilicet exemplo Gedeonis, ut prius sæuissimos hostes iracundiam scilicet, odia, & inimicitias superetis, quam sol occumbat.

Quintò, idem Theophylactus alibi docet iram antequam sole occidente, nox ingruat, sed adam esse, & inimicum conciliandum, ne forte succedente nocte, vel ipse, vel hostis tenebras ad vindictam nocti aliquid contra se invicem moliantur. Sextò, attexit novam rationem Theophylactus ad hunc modum: *Ne sol vobis adhuc simulantibus abeat, nequando videatur indignis vobis præbuisse lumen.* Quasi dicat, quandiū aliquis in iracundia, & furore agit, ipso quidem solari lumine indignus est. Ne ergo integra dies tibi irato abeat, ne per diem integrum luce solari indignus fuisse deprehendaris. At inquires, cur ille, qui iram, & furorem alit, luce ista indignus est? Rationem assignat Augustinus supra. *Equū erat sanè (inquit) ut eum, quem lux invisibilis deseruit, ipsum quoque lumen visibile omnino desereret: nimirum quia qui odit fratrem, in tenebris est.* Ad

addit Chrysostomus. *Vis ira impleri? sufficit tibi vna hora, & altera, & tertia. Ne vobis adhuc simulantibus sol recedat, ortus quippe est à bonitate, ne ergo recedat, cum lux erit apud indignos. Nam si Deus misit ex multa bonitate, & peccata tibi remisit: tu autem proximo non remisit, vide quantum sit malum.* Quasi dicat, Deus quidem solem suum oriri facit super bonos, & malos: ne ergo tu ex malis esse velis, qui luce solis indigni sunt. Cum enim Deus peccata tibi condonans, per quæ dignus eras, ut sol radios suos contraheret, & lucem conderet, eundem nihilominus tibi illucescere, & fulgere facit, ut doceat proximis iniurias remittere. Magnum utique piaculum est, odium, & iram in proximum alere, & ea luce per diem integrum frui. Septimò, idem Chrysostomus optimam rationem adscribit his verbis, quæ mihi præ cæteris literalis videtur. *Quando autem ventura est vespera, reconciliare, & recens malum extingue. Timet enim Paulus, ne si nox eum, qui est iniuria affectus, in solitudine inuenierit, inflammatum ignem maiorem accendat. Nā si nox apprehenderit, non poterit dies sequens malū nocte quoque coactum, & congregatum extinguere. Et quidē aptè: nam animus nocte vacans iræ causas longa meditatione succedit. Addit autem Chrysostomus venustam similitudinem. Quomodo sol, si quod est aeris in nubem coactum, & condensatum per diem non potuerit calore diurno mollire, & dispergere, occasionem præbet tempestatis, dum nox reliquias apprehenderit, & eas novis vaporibus aluerit: ita etiam in ira, &c.*

Denique subest etiam alia, atque alia expositio. Prior est ad hunc modum. Ira, & indignatio citius animos vestros deserat, quam sol terram. Nam cum ipsamet tellus, & aer sole decedente, & nocte ingruente, feruere, & æstare desinat, turpe est hominem nihilominus iracundia, & indignatione æstare, & flagrare. Posterior sic habet. Sol iste testimonio Christi Domini docet depositis simultatibus inimicos nostros diligere. Ita enim Christus: *Diligite inimicos vestros, & benefacite, &c. Visitis filij Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, &c.* Ait ergo Paulus, *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Deducet enim solem hunc, qui ad docendam, & suadendam inimicorum dilectionem è cælo splendet, cursum suū absoluere, & tanto ex doctore nihil addiscere. Hæc

Ad Eph. 4  
num. 26.  
74

August.  
Anselm.  
D. Thom.  
D. Nazianzenus.

Theophyl.

Theophyl.

78

August.

75

76  
Ambros.  
D. Chry.  
Theophyl.  
Anselm.  
Theodor.  
Tertull.  
August.  
Polycarp.  
Cyrill.  
Athanas.  
Tertull.  
August.

79

77  
Theophyl.

80

fanè omnia suadent, ne ira diuturnior sit: adeò vt si quando ob conditionis humanæ infirmitatem efferbuerit, vltra diem vnum non producat. Nam si primo, & sequenti die iram tenueris (ait Chryso- stomus) sepe etiam ad annum vsque extendis, & de cetero ipse seipsum augent inimicitie, &c. Salomon igitur ait stultum in die vna annuntiare, aut indicare iram suam, hoc est: Iram per diem integrum trahendo producere, stultis maximè tribuendum est, cum tot sint rationes, quæ iram ante diem expletum deponere, & abicere suadent.

81 *Qui autem dissimulat iniuriam, callidus est.* Ex interpretibus aliqui, vt hæc posterior pars priori ad vnguem respondeat, dissimulare iniuriam, vel ignominiam perinde esse putant, ac celare iram de illata iniuria conceptam: vt sensus sit; Sapiens, & cordatus homo, si non potest iracundiam subitam omninò vitare, saltem illam animo celat, ac dissimulat.

Basilius. Ita præcipit Basilus, in homilia de Ira. Si enim (inquit) nihil moueris, integer es animo, ac sanus. Si vero aliquid animo pateris, saltem in te conde tristitiam. In me turbatum est cor meum, (inquit Propheta) id est, non extra perturbationem animi ostendi: sed veluti quandam intra lictus abruptam vnam retinui. Vide an eò spectauerit Salomon, Regum, cum dixit sibi quidem cordis latitudinem obtigisse, sicut arenam, quæ est in littore maris. Quia nimirum subitæ perturbationes iræ sic intra cor illis abrumpebatur, sicut vndæ maris in littoris arenas impingentes refractæ resiliunt.

82 *Addit Basilus, Sedabis igitur mentem latrantem, & exacerbatam,* id est, sicut canis allatrans alienos clausis foribus contineri solet, ne foras exeat, atque obuium quæque inuadat: sic ira intra pectus coercenda est. Attegit, Tecum in tui cordis recessu rationis tribunal verebere, quemadmodum pueri immodestum aliquid agentes viri venerabilis præsentiam vereri solent. Sed quia initio obseruavi vocem Gharom, quæ callidum sonat, propriè ad serpentis altum notandum spectare, aliquid de hac re subiiciam. Quomodo autem in ira, & furore se gerat serpens, docet Dauid in Psalmo, 7. cum ait: Furor illis in similitudinem serpentis sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, ut non exaudiat voces incantantium. Aspides autem serpentes (teste Augustino in hunc locum) cum ab incantatoribus, & Mar- tis verbis magicis petuntur, quibus eos è cavernis extrahere, & necare contendunt, non contra feruntur, & virus in aduersarios expuunt: sed vnam aurem terræ illidunt, alteram caudam opprimunt, & obturant, vt non exaudiant voces incantantium: Ergo qui dissimulat iniuriam, callidus est, non alio fanè, quam hoc serpentis astu præditus: nam verbis maledicis, ac probris petitus ab aliis, non contra exprobrat: sed vel aures obturat, ne audiat, aut se minimè audire simulat immotus, in concussus, &c.

Psalm. 57. *August.* Cæterum licet præfata expositio mihi placeat, & vulgatæ lectioni concors sit: tamen nescio an alia sit huius loci sententia germanior *faruus statim vel in die* (vt habent Origines) *indicat iram suam*, id est, stultus cum ab aliquo iniuria affectus est, vel ignominia palam iram effundit suam in die, hoc est in luce, & in omnium oculis læuit: ex quo fit, vt eius ignominia cunctis innotescat. *Qui autem dissimulat iniuriam, vel ignominiam callidus est.* Quasi dicat, ille quidem sapit, ac cordatus est, qui iniuriam sibi illatam, & contumeliam dissimulando, & conuincendo tegit. Huc pertinet illud effatū, quod Aristoteli tradit Stobæus. *Iniurius qui vlciscitur exaggerat*, id est, eo maiores esse suo ipse calcula cõprobat, quoad vltionem immittit ferunt.

83 *Non displicet etiam Rodolphi interpretatio, quæ*

A *Estimanda etiam est lectio Chaldaica. Stultus importune iram suam ostendit.* Itaque illud in die Chaldaeus conuertit importunè, vel intempestiuè, & quidem aptè. Nam Paulus inter opera tenebrarum, id est, tenebris digna, & caligine, indigna verò vt lucem aspiciant, iras, & contentiones numerat ad Rom. 13. *Abiciamus (inquit) opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus: non in comestationibus, &c. non in contentione, & amulatione, &c.* Ergo qui de die irascitur, importunè quidem satis, & intempestiuè id præstat, dignam tenebris, & caligine rem in lucem proferens. Mitto alia, &c.

XVII. *Qui quod nouit, loquitur, index iustitiæ est: qui autem mentitur testis est fraudulentus.*

84 *Qui quod nouit, loquitur, index iustitiæ est.* Sic habet correctior textus. In antiquis erat *index iustitiæ est.* Hebraicè: *Efflauit veritatem, annuntiauit iustitiam*, aut *efflans veritatem, annuntiauit iustitiam.* Priori loco subest verbum *יָפִי* Iaphiach, à radice Iaphach, quod est efflare, aspirare, cuius vim hoc in loco statim dicemus. Septuaginta: *Planam fidem annuntiabit iustus.* Symmachus: *Qui patefacit fidem, annuntiat iustitiam.* Chaldaeus: *Qui attestatur veritatem, enarrat iustitiam.* Caietan. habet: *Loquetur fidelitatem, & annuntiabit iustitiam.*

*Qui autem mentitur, &c.* Hebraicè: *Testis falsitatis dolum*, supple, *loquetur.* Septuaginta: *Testis autem iniustorum dolum.* Symmachus: *Testis falsi dolum.* Chaldaeus: *Testimonium falsum dolum est.*

Missam facio expositionem Hugonis, qui antiquam, & mendosam lectionem sequutus sic explicuit: *Qui quod nouit, loquitur, index iustitiæ est,* qui ea tantum, quæ certo cognouit, ac didicit, eloquitur, iudicem iustum imitatur, qui neminem sententia sua iniuste, & causa improbata damnat: sed iuxta allegata, & probata decernit: *Qui verò mentitur, testis est fraudulentus*, id est, qui mendaciis asserendis astueuit, testem falsum amulatur, qui crimina imponit infontibus. Hæc ille paulò obscurius, sed non ad rem. Ego veram lectionem amplexus primò ita expono. *Qui loquitur id, quod certò nouit, quia vel oculis ipsemet vidit, aut ex loquente authore didicit, is quidem index iustitiæ est:* ascitus videlicet in iudicium ostedit testimonio suo iudici, quid æquum, quid iustum, atque adeò author est iustæ sententiæ: *Qui autem mentitur testis, est fraudulentus.* Iansenius putat comma figendum esse post vocem *testis*, præscripto modo, non dissentio, vt sensus sit, *Testis autem, qui mentitur fraudulentus est*, id est, totius fraudis author est: is enim iudicem ad sententiam iniustam ferendam impellit. Itaque hoc prouerbium aduersus falsidicos testes pronuntiatum est, & iudices à calumnia vindicat, qui secundum allegata, & probata sententiam pronuntiant. Et secundum hanc interpretationem locus fortasse sit antiquæ lectioni. *Qui quod nouit, loquitur, index iustitiæ est*, id est, testis vera pronuntians, ipse quidem pro iudice iusto est: nam secundum testimonium illius iudex iustus decernit. Vnde in iure ciuili cognitiones causarum, & testimonium declarationes præiudicia appellantur: quia in his veluti præiudicata res est, & ante decisionem decreta, vt tradit Brissonius de verborum significatione.

Non displicet etiam Rodolphi interpretatio, quæ

talis est, *Qui quod nouit, loquitur*, scilicet per assuetudinem, id est, qui à teneris consuetudine ipsa didicit, veritatem eloqui, & adamare; is quidem in iudicium ascitus testimonium verum profert: & ex aduerso, *qui mentitur*, etiam per assuetudinem, id est, qui mendaciis proflandis vsu ipso assuevit, si ad iudicium vocetur, testimonium falsum facile dicit. Et quidem inter alia capita, ob quæ testes improbari, & refutari solent in iudicio, & foro, illud est optimum caput, teste Brocardo, si sæpius etiam in iocis, & per assuetudinem mentiri solitus comprobetur. Id verò in eo nititur, quia qui extra iudicium temere mendacia multa promittit, etiam in iudicio falsa dicturus creditur, ac præsumitur.

Brocard.

86

Cæterum licet præfatæ expositiones mihi videantur accommodatæ, nescio tamen an alia sit Salomonis mens: hæc scilicet, *Qui quod nouit loquitur, index iustitiæ est*. Hebraicè, *Efflans veritatem*, id est, qui confidenter, qui pleno spiritu rem enuntiat, qui cum dicit testimonium non promittit vocem tremulam, & veluti suffurato spiritu strangulatam (vt mos est mendacibus) is quidem index iustitiæ est: ipso enim dicendi, ac proferendi modo satis innuit se vera, & sibi constantia loqui: *Qui autem mentitur, testis est fraudulentus*, id est, qui hæsitat, titubatur, vt hi solent, qui mendacia proferunt, hic falsidicum testem se esse prodit. Hoc sibi vult originalis lectio: *Testis falsitatum dolum*, supple, dictione ipse præ se fert. Ob hanc vnã causam testis vacillans in iudicio fidem non facit. Dicitur autem testis vacillans qui timendo, & dubitando variè loquitur, lege prima ff. de testibus, vbi sic habes: *Testimoniorum usus frequens, ac necessarius est, & ab his præcipuè exigendus, quorum fides non vacillat*. Lege autem secunda eodem titulo: *Testes, qui aduersus fidem suam restantes vacillant, audiendi non sunt*: hos etiam arbitrio iudicis puniendos esse alia lex docet. Sed tamen elegantissima verba habentur lege 28, titulo 16, part. 3, vbi de exploratione testium sic Alphonsus: *mas si fuere home vile sospechoso: que entendie se el Iuez que enia desuariando en su testimonio, entonce: de belofacer otras preguntas, pro tomarle en palabras, diz iendo assi: Quando este fecho sobre que testiguas, acaecio, que tiempo faz ia, est aua nã blado, o faz ia Sol, &c. Capor lo que responderie a tales preguntas como est as, e por las señales que huuiere en la cara del: y el modo de dez ir: tomora apercebimiento el Iuez si ha de creer lo que diz e el testigo, ò non*. Hanc expositionem spirant verba vulgata: *Qui quod nouit loquitur*, id est, qui constanter, & audacter loquitur, tanquam is, qui certo nouit ea, quæ dicit. Imò etiam translatio Septuaginta: *Planam fidem annuntiabit iustus*, id est, non vacillantem aut tergierantem, &c.

Alphons.

XVIII. Est qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientie. Lingua autem sapientum sanitas est.

87

**E**st qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientie. Hebraicè: *Est effutens, vt confessiones gladij*. Sic ferè recentiores Rabini. A qua interpretatione non abeunt Septuaginta: *Sunt, qui dicentes vulnerant enses*, id est, vt enses vulnerant: sic habent multi codices. Theodotion, *Est fides in punctione gladij*. Symmachus, *Tanquam punctio gladij*. Chaldaeus, *Sunt, qui dicunt, quasi gladios tumultuosos*. In codicibus Hebraicis, quibus hodie vtimur, pro verbo, *promittit* est *בֹּטֵחַ* Botech, à radice *Batah*. Rodolphus verò existimat Hieronymum olim legisse, *בֹּטֵחַ* Botech, à radice *Batach*. Cæte-

rùm, cum id verbum significet *sperare*, & *confidere*, Theodotionem, & Symmachum eo modo legisse ex præmissis translationibus liquet. At Hieronymus eam, quam hodie habemus lectionem, tenuit. Nam verbum *Batah*, per simplex *he* teste Pagnino aliquando significat *promittere*. Psalm. 105. *Et distinxit in labiis suis*. Pagninus legit: *Et promissit in labiis suis*. Leuitici 5. *Anima qua iurauerit, & protulerit labiis suis, vt male quid faceret, vel bene, &c.* Pagninus vel *promiserit labiis suis*. Et quidem ego ita reor nõ de qualibet simplici promissione, sed de iurata enuntiatione capiendũ verbum *Batah*, in eo loco. Præterea id verbum *Batah*, quod quibusdam videtur idem esse, quod effutit, ac temere dixit, potius significat hæsitando, aut vacillando aliquid proferre, vt ex illo loco Psalm. 105. aperte colligitur, vbi Septuaginta conuertunt. *Et distinxit in labiis suis*. Græcè *διεστειν*, id est, *diuisus est labiis*, id est, dubius, atque hæsitabundis labiis, & vacillantibus verbis dixit. Sic Genebrardus, Iansenius, & alij multi. Ergo Diuus Hieronymus in sua translatione promittendi significationem prætulit: quod autem sequitur *כִּמְךָ קִרְוֹת הַרְבֵּי*, *Bemad, Keroth, Chereb*, id est, confossiones gladij, vbi plures confossiones accipiunt aliorum: Hieronymus maluit sui ipsius confossiones notari: & quidem aptè, vt ex dicendis constabit.

Leuit. 5.

His præmissis prior expositio est Hebraizantium, qui conuertunt, *Est effutens, vt confossiones gladij*, id est, testis falsiloquus testimonium profert, quò non minus crudeliter pereunt innocentes, quam si gladius sicariorum confossi decederent. Nam reuera perinde homicidium admittit, qui falso testimonio insontem morti addicit, quàm qui ense transuerberat. Iansenius, & Caeteranus in vniuersum de omni calumnia, probro, aut conuitio accipiunt, quibus homines immedicabiles plagas inferunt honori, famæ, facultatibus, &c. De his enim apud Psaltem habes. *Lingua eorum, quasi gladius acutus, &c.* Ad hunc sensum pertinet lectio Chaldaica: *Sunt, qui dicunt, quasi gladios tumultuosos*, id est, qui linguis suis tanquam gladiis simultates, & tumultus cient. Cæterum hæc à vulgata lectione longe abhorrent.

88

Hugo Cardinalis verba ipsa, vt sonant, exposuit de promissione ad hunc modum: *Est qui promittit*, scilicet temere, & inconsiderate, & postquam promissit, *gladio pungitur conscientie*, quia mutata sententia à promissione resistere velleret: fides autem eius adstricta tenetur. *Lingua autem sapientum sanitas*, scilicet sanitas animi ipsorummet sapientum: quasi dicat. Sapientes multo consilio promittunt, atque aded nullã subest animi ægritudo, nullus dolor, aut promissionis poenitentia: nihil animum pungit, nihil lacerat. Alij alia his similia.

89

Cæterum cum in superiori versu de teste sermo sit, & in sequenti etiam de testibus loquatur Salomon, non dubito hunc etiam medium versum ad testimonium, & testes pertinere. Succedat igitur memoriæ id, quod supra obseruauimus: scilicet verbum *Batah*, quod in hoc loco occurrit, idem esse, ac hæsitando, aut vacillando, aliquid dicere, proferre, aut iurare. Addo etiam, verbum *promitto*, aliquando iuratum enuntiationem significare in scriptura. Sicut etiam vulgo apud Hispanos dicimus, *T o te prometo que te tengo de castigar*, id est, voueo, iuro, nie tibi plagas impositurum. Vel, *T o le prometo à V. m. que succedio esto assi*, id est, coram te voueo, aut iuro id ita euenisse. Ergo ait Salomon, *Est qui promittit*, id est, sæpe admodum occurrit testis, qui coram iudice testimonium iuratum dicens hæsitat, titubatur, & vacillat. *Quam ob causam?* Nimi-

90

rum, quia gladio pungitur conscientia. Conscientia enim veritatis animum stimulat non sinit audacter, & constanter eloqui: sed haesitationem, & vacillationem dicenti adducit: *Lingua autem sapientum sanitas*, id est, sana. Hebraice מרפה, *Marpe*, à verbo *Rapha*, quod significat non solum curare, aut sanare, sed etiam roborare: inde etiã *Rephain*, id est, Gigantes, potentes, fortes. Itaque sensus est: *Lingua sapientum*, alij *scientium*, vel *cognoscentium*, hoc est eorum qui rem, quam testimonio suo confirmant, certo nouerunt, *sanitas est*, id est, sana est, non vacillans, sed robusta, & constans. *Vel sanitas est ipsorum*, id est, nullum dolorem, nullam ægritudinem animi relinquit. Hanc autem expositionem commendat contextus: nec tunc enim optimè cum antecedentibus, & consequentibus.

91 Quod si non satis hæc arrident, accipe aliam synceram magis interpretationem de teste. *Est qui promittit*, id est, qui iurat testimonium dicens coram iudice: is verò, quia falsum asseruit contra proximum, suæ ipsius conscientia aculeis (etiam si falsi testis pœnas fugiat) per totum vitæ tempus seuerissimè confoditur: *Lingua verò sapientum sanitas*, veritatem scilicet in iudicio pronuntians nullam animi ægritudinem, nullam molestiam, vel dolorem illis relinquit.

XIX. Labium veritatis firmum erit in perpetuum: qui autem testis est repentinus, concinnat linguam mendacij.

92 **L**abium veritatis firmum erit in perpetuum. Hebraica non dissonant. Septuaginta: *Labia veracia dirigunt testimonium*. Aquila, Symmachus, & Theodotion, concinunt cum nostra. Chaldaeus: *Labium veritatis dirigitur in seculum*.

*Qui autem testis est, &c.* Alij ex Hebræo. *Et perpetuo quiescere faciam linguam falsitatis*. Caietanus verò sic conuertit. *Et vsque ad momentum lingua falsitatis*. Septuaginta: *Testis autem citus linguam habet iniustam*. Scholiast. *Testis autem iracundus* Chaldaeus: *Et festinus lingua testis falsitatis est*. Frustrà hic examinanda suscipiam verba originalia, cum tanta sit antiquorum interpretum conspiratio, quæ satis arguit recentiorum Hebraizantium imperitiam.

Circa expositionem huius loci vna omnium interpretum mens est: asserunt enim veritatis, atque mendacij discrimen à Salomone produci. Veritas enim firma est, ac sibi constans: mendacium verò variū, & sibi dissimile, ac dispar. Itaque ait: *Veritatis labium firmum erit in perpetuum*, id est, labium veracis vera enuntiantis nemo flectere, aut detorquere poterit, firmum quippè est: imò *ferreum* (sic ex sapientibus alter apud Stobæum sermon. 3. *Veritas ferrea est*) imò adamantina, quæ nullis vitibus cedit. Veritatem enim adamante firmiorem, ac solidiorem esse docuit Pseudo Chrysostom. in Psalm. 118. Ad hæc veritatem cum silice componit Diuus Ephrenæus in tract. de Veritate: quia robusta est, & firma: atque argumentis icæta splendet, ac scintillas excutit, quæ si mentem semel cotripiunt, totum animum collustrant, & accendant: *Testis autem repentinus concinnat linguam mendacij*, id est, testis mendax, cui repente, id est, temere, & inconsiderate mendacium excidit, linguam habet lentem, & mollem: ac propterea illam plures in formas concinnat, modo aiens, modo negans. Sicut enim veritas ferrum, silices, adamantes firmitate facile superat: ita mendacium ceram,

vdam argillam, aquam, & si quid lentius est, molli- tie vincit: sic enim vulgò in mendaces iactare solemus: *Que tienen los labios, ó la boca decera, ó de massa*, quæ facillè in omnes vertitur figuras: peti- tum autem est ex veteri parcemia. *Cera tractabili- or*, quæ in mendaces etiam iactari solebat. Quod spectasse videtur Persius Satyra 5. cum ait.

*Artificemque duo ducit sub pollice vultum.*

Id est, perinde ille in omnes artificiosas, & simu- latus formas te authore vertitur: sicut cera pollice tractata in omnes figuras abit. Hieronymus etiam contra Pelagium Hæreticos pungens ait: *Illos vda argilla, & molli cera lentius os habere*: cui procul- dubio respexit illud Horatii.

*Argilla quiduis imitabitur vda.*

Denique mendacij lentam, & facilem naturam similitudine aquæ expressit Boëtius: *Sicut aqua (inquit) nulla forma hæret, sed continue diluitur, & abit: sic etiam in ore mendacis vnus asseri nunquam vna facies est.*

Ceterum licet hæc expositio communis apposi- ta sit, existimo secundum litteram, Salomonem aliam testis conditionem assignare: scilicet, cum firmus, & sibi constans est, & non euariat testimonium.

94 Nam varij testis in iudicio, non solum nulla fides, vel authoritas est: sed etiam arbitrio iudicis puni- tur: sic Paulus l. 1. ff. de testib. *Qui varie testimonia dixerunt, arbitrio iudicis puniuntur*. Testem au- tem variū iurisperiti appellant illum, qui semel, & iterum testimonium rogatus non eodem modo re- spondet. Ergo Salomon ait: *Labium veritatis firmum erit*, testis scilicet vera pronuntians idem sem- per obfirmate dicit, ac sibi similis est, non commu- tat, aut euariat testimonium: *Testis autem repentinus concinnat linguam mendacij*. Ille scilicet testis, qui varius est, & modo hoc, modo illud affirmat, falsitatis prorsus arguitur. Quapropter supra leg. 3. ff. de testibus, Adrianus Imperator examen testium iudici committens, addit: *Tu magis scire potes, quan- ta fides habenda sit testibus, qui simpliciter visi sint dicere: virum vnum, eundemque meditatam ser- monem attulerint: an ad ea, quæ interrogaueras ex tempore, verisimilia responderint*. Pendendum il- lud: *An ad ea, quæ interrogaueras ex tempore, &c.*

95 Super quæ verba docent Iurisperiti ad explorandam testium fidem de quibusdam à iudice repente ac subito rogandos esse, quæ ipsi antea non præuide- rint. Nam in subitis, & repentinis, cum ex tempore respondent, fides testis maximè cognoscitur: tunc enim verus testis verisimilia, & constantia respon- dere solet: falsus verò ea dicit, quæ omni verisimili- tudine carent. Ergo testis repentinus hoc in loco fortasse dicitur falsus testis, qui ex tempore inter- rogatus mendacia concinnat, id est, adornat, & componit. Vel aliter. Repentinus testis appellatur, qui ex ira, aut inimicitia ad testimonium dicendum profilit. Hunc sensum sequuta est Scholastica trans- latio, quæ sic habet: *Testis autem iratus, &c.* Et quidem iracundos homines ita dicere solemus su- bitos, aut repentinus. Hostis autem, & inimicus aduersus aliquem pronuntians nullam fidem facit in iudicio, leg. 3. ff. de testibus. Sed tamen secundum hæc expositionem posterior pars haud cohæret cum priori.

96 Quapropter testem *repentinum*, aut *citum*, aut *festinum* (sic enim habent variae lectiones) eum esse puto, qui in nulla re offirmate hæret, sed hoc, & il- lud dicit pro re nata. Vnde Cato in oratione, quam de suis laudibus scripsit, inter hæc duo verba *festi- no*, & *propero* discrimen assignat his verbis: *Aliud est properare, aliud festinare. Qui vnum quid cito, & mature transigit, is properat: qui multa simul*

Persius.

Hierony.

Horatius.

Boëtius.

94

Paulus.

Adr. Imp.

95

96

Stobæus.

Pseudo  
Chrysost.  
Ephrem.

91

*incipit, neque perficit, is festinat.* Festinus igitur testis hic appellatur, qui non vnum, sed multa dicit, modo hoc, modo illud ab vna re in aliam citius demigrans, & in nulla offimate persistens: atque adeo sensus huius posterioris partis est priori omnino contrarius: *Testis autem festinus concinnat linguam mendacij*, quod sic efferendum est. Qui concinnat, id est, qui adornat mendacia, festinus est, id est, nulli rei firmius adhæret, sed modo hoc, modo illud affirmat: hoc autem aduerfatur illi: *Labium veritatis firmum erit.* Ad hunc sensum vocanda est lectio originalis: *Et ad monumentum lingua falsitatis*, id est, testis falsa comprobans ad momentum in vna, & eadem re persistit: citius enim alia, atque alia ex leuitate, & inconstantia pronuntiat.

*XX. Dolus in corde cogitantium mala: qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium.*

97

**D**olus in corde cogitantium mala. Hebraicè: *Architectantium malum.* Septuaginta: *Dolus in corde fabricantis mala.* Aquila, Symmachus, & Theodotion, *fabricantium*, vt nostra.

*Qui autem pacis ineunt consilia, &c.* Heb. *Et consiliariis pacis letitia.* Septuag. *Qui autem volunt pacem, letabuntur.* Symmach. *letantur.*

Sententia huius loci perspicua est. Salomon enim malorum architectos, & communis pacis, fœderumque exturbatores cum his componit, qui paci, & concordie student, eamque suis rationibus, & consiliis omnibus quærunt. Illorum verò in corde dolum latere dicitur: horum autem animum letitia semper gestire affirmat: *Dolus in corde cogitantium*, vel *architectantium mala*. Vbi dolus, ibi dolor, & tortura: vnde doli, & fraudis architectum cum femina parturiente contulit Iob cap. 17. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, & vterus eius preparat dolos*, id est, vix tandem vnam fraudem, & dolum cum dolore maximo enixus est improbus: cum denuo nouam aliam mentis suæ vtero concipit, quam paulo post simili dolore parturiat. Propterea ergo ex aduerso dicit: *Qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium*, id est, qui student concordie, & paci, vel hi, quorum consilia, & rationes ad bonum aliorum spectant (id enim pacis nomine notari solet) letitia, & multo gaudio implentur. Ipsa enim pacis consilia, & cogitationes animi turbas sedant, & magnam quandam tranquillitatem illi adducunt. Frustrà hic plura.

Iob. c. 17.  
v. 35.

*XXI. Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit: impij replebuntur autem malo.*

98

**N**on contrahit iustum quidquid ei acciderit. In Hebræo est verbum, *אבא Abah*, quod significat contingere, tangere, & dolere: hinc nata diuersæ lectiones. Alij enim legunt: *Non accidit iusto omnis iniquitas*, alij: *iustus non dolebit ab omni iniquitate*. Alij: *non tanget iustum omnis iniquitas*. Septuaginta: *Non placebit iusto quidquam iniustum*. Chaldaeus: *Non pulchra erit iusto vlla iniquitas*, id est, dedecet iustum iniquitas. Noster autem interpres non meminit iniquitatis: sed cum vox *אבא Auen*, non solum iniquitatem: sed etiã dolorem, ac luctum sonet (vt aliàs non semel docui) hic sanè pro dolore accipit, & verbum, *Anah tangendi* significationem retulit. Itaque sic restituendum putauit ad verbum. *Non tanget iustum, &c.* Et loco huius subiicit eodem sensu: *Non contristabit iustum, quid-*

**A** quid ei acciderit. Caietanus habet: *Non parabitur iusto omne iniquum.*

*Impij autem replebuntur malo.* Hebraicè, *Repleti sunt malo* Septuaginta, *malis.*

Caietanus existimat hoc in loco similitudinem ab epulis sumi: atque adeo sensus esse potest: *Non parabitur iusto omne iniquum* (sic ipse legit) id est, nunquam aliquod scelus tanquam cibus ita paratur, atque conditur, vt iusto omnino iucundum sit: atque adeo, vel illud ex horrore prius respuit, vel si traiciat, illud tandem ingenti cum fastidio euomit: *Impij autem replebuntur*, id est, saturabuntur malo, ad satietatem vsque fumentes: *Non paratur* (inquam) *iniquitas iusto*, hoc est, non satis conditur, cruda est, & incocta iustis iniquitas. Lege auctorem Imperfecti super illa verba: *Ecce prandium meum paraui.* Matth. 22. vbi satis accommodate distribuit fercula, & cibos, quæ Deus iustis parauit, & condiuit: & ex decalogo decem fercula componit, & in vniuersum bona opera, epulas esse dicit, & cibos paratos, atque coctos, quæ iustus iucundissime traicit, & saluberrimè digerit: iniquitatem autem aut ex tædio respuit, aut stomachabundum euomit.

Alij quotquot legunt: *Non accidet iusto omnis iniquitas*, ne dicant iustum omnis labis, aut criminis omnino expertem futurum, aliquid suppleendum esse docent, scilicet: *Non accidet gratia, vel non accidet pulchra.* Priorem expositionem sequuti sunt Septuaginta. Posteriorem amplexus est Chaldaeus: Illi enim habent: *Non placebit iusto quidquam iniustum.* Hic autem: *Non erit pulchra iusto vlla iniquitas.* Dicam de hac lectione, id est, indecora erit, & turpis valde iniusto homini etiam leuis iniquitas. Et quidem ita res habet. Nam leuius culpa, quæ in aliis non admodum dedecet, in viris iustis terribilior, atque turpissima videntur. Vnde satis lepide ille alius apud Maximum sermone 20. *Nullus in viro iusto nauius est*: quod nescio quis venuste hunc ad sensum vocauit: nulla macula in iusto homine leuis est: nauius enim est leuior macula in facie iniusta, quæ sapius speciem, & pulchritudinem vultus auget. Non ita (inquit) iniusto: in illo enim, *nullus nauius est.* *Non erit pulchra iusto illa iniquitas*, nulla scilicet est leuior macula, qui omnis, vel leuissima labes turpis valde, ac deformis illi est. Caueant ergo, qui sermonibus suis iustos homines nauius aspergunt, & maculas, vel leuissimas illis affigunt: nam famiam eorum haud leuiter derurpant. Sed his dimissis pergo ad vulgatam nostram lectionem.

*Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit.* Loquitur Salomon de fortuitis, quæ præter intentionem iustis contingunt. Quasi dicat, voluntaria mala, vt potè peccata, & culpa: hæc quidem iustum contristant, & dolore afficiunt: at fortuita, & casu contingentia, qualia sunt facultatum amissiones, liberorum mortes, honoris iactura, & alia eiusmodi externa mala, iustus nec curat quidem, nedum dolet, atque tristatur. Quapropter Hugo expendens illud: *Quidquid ei acciderit*, sic acute subnectit: *Sicut accidens est auctore Philosopho, quod adest, & abest præter subiecti corruptionem.* Ita præsens tribulatio, & erumna adest, & abest præter iusti contristationem, & conturbationem. Cæterum quam latus, & hilaris externa quæuis mala iustus excipiat, testatur Paulus, cum ait: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*, quod alibi sapius repetit Paulus. Audi Chrysostomum homilia prima in 2. Epistolam ad Corinthios. *Nihil enim aliud grane, atque acerbum est, quam in Dei offensionem incurrere:*

99

Aut. Imp.  
Matt. 22.

100

Maxim.

101

Chrysost.

hoc sublatum, non afflictio, non infidia, non aliud  
 quidquam prudentem animam molestia afficere  
 queat. Quin potius quemadmodum si exiguum scin-  
 tillam in magnum pelagus iniicias, eam protinus  
 exinheris: eodem modo molestia omnis quamli-  
 bet ingens, si in animum bene sibi conscium in-  
 ciderit, confestim perit, & euanescit. Lege ibi  
 plura. Rursus homilia 16. in Epistolam ad He-  
 braeos iustum cum cælo componens addit: Cæ-  
 lum altius est imbribus, ac pluuiis: cælum qui-  
 dem cum nubibus obducitur, pari putatur, sed  
 nihil patitur: Sic & nos etiam si putamur pari,  
 nihil patimur, id est, tristitia quasi nubilus ob-  
 duci putamur, sed non tristamur. Sed demus in-  
 firmitati humana in tribulationibus aliquid dolo-  
 ris, & acerbatis esse, quale, & quantum est hoc?

Ambros.

Ambrosius libro tertio de Officiis capit. 5. *Esto*  
*(inquit) in illis, hoc est, in laboribus, aliquid*  
*esse acerbatis. Quem virtus animi non abscon-*  
*dit dolorem? Neque enim profundum mare nega-*  
*uerim, quia vadosa sunt littora: neque cælum*  
*lucidum, quia interdum obtegitur nubibus, neque*  
*terram fecundam, quia aliquibus locis ieiuna*  
*glarea est: aut letas segetes, quia intermixtam so-*  
*lent habere sterilem auenam. Similiter pura bea-*  
*ta messis conscientie interpellari aliquo acerbo do-*  
*lore: tamen manipulis vite beata, si quid forte*  
*accidit aduersi, atque amaritudinis, tanquam*  
*sterilis auena absconditur, aut tanquam lolij ama-*  
*ritudo frumenti suauitate obducitur. Hæc ille, du-*  
*cta similitudine ex satis, in quibus si quid auenæ,*  
*aut lolij excreuit, frumento altius sese extollente*  
*disparet.*

102

Chrysoft.

*Impij autem replebuntur malo.* Id est, multis  
 laboribus vexabuntur, qui illis ob impatientiam  
 vertentur in malum. Vel aliter. Malum appellat  
 mœrorem, & dolorem ex laboribus susceptum,  
 quo affatim implentur impij. Nam sicut iustos tri-  
 bulationes non angunt: ita ex aduerso improbos  
 ærumna: mirum in modum affligunt. Chrysosto-  
 mus ubi supra. *Vt igitur iustus, qui gaudio bo-*  
*na conscientie fruitur, mœrore arripi non potest*  
*(hoc est, ne subito quidem mœrore peti potest)*  
*sic qui illud minime amplexus est, a quibusus*  
*arripi, & expugnari potest. Ac perinde acci-*  
*dit ei, ut illi, qui imbecillibus armis instru-*  
*ctus, vel leuissimo ictu grauitèr sauciatur. Sed*  
*pende illud, implebuntur malo. seu mœrore. Nam*  
*opponitur verbis Pauli supra adscriptis: Repletus*  
*sus consolatione. Itaque iustus in tribulationibus*  
*repletur consolatione, impius mœrore. Ratio-*  
*nem obtulit Diuus Chrysostomus, quia impius*  
*malæ sibi conscientie mentis a uleis semper interius*  
*cruciatur: Siquid autem voluptatis capit, id to-*  
*tum externum est. Quapropter si quando in ex-*  
*ternis etiam sustinet, toleratque labores, tum qui-*  
*dem totus mæret, ac dolet, nimirum intus, ex-*  
*traque, atque aded iure optimo malo, id est, angore,*  
*& molestia repletus dicitur. Et sanè non mo-*  
*do mæror iste impium implet: sed etiam supera-*  
*bundat, atque ex abundantia alios contristat,*  
*ita ut quemadmodum Paulus aiebat: Superabun-*  
*do gaudio, &c. sic etiam impio dicere liceat: Su-*  
*perabundo tristitia, & supereffluo: ex affluentia*  
*scilicet alios afficio, &c.*

XXII. Abominatio est Domino labia menda-  
 cia: qui autem fideliter agunt pla-  
 cent ei.

**A** Bominatio est Domino labia mendacia. He-  
 brai. *labia falsitatis. Qui autem fideliter,*  
 &c. Hebr. *Facientes veritatem voluntas eius.* Se-  
 ptuaginta: *Qui facit fidem, acceptus est apud eum.*  
 Aquila, Symmachus, & Theodotion. *Beneplaci-*  
*tum eius.*

103

**B** Sententia est luculenta. Deus scilicet infensissi-  
 mè odit mendacem hominem: nam cum ipse veri-  
 tas summa sit, eos, qui veritate in aspersionem, in-  
 uisos ducit. Huius odij non leues rationes attigi su-  
 præ versu 8. & alibi: *Qui autem fideliter agunt.* He-  
 braicè: *facientes veritatem.* Frustrà aliqui volunt  
 Salomonem in hoc loco, non solum de his agere,  
 qui veritatem ore pronuntiant: sed etiam de his, qui  
 quæ vera sunt, opere perficiunt. Nam veritatem fa-  
 cere perinde est, ac veritatem dicere, sicut verba,  
 aut sermonem facere, est loqui. Itaque ait Salomò:  
**C** qui veritatem vbique profert, Deo imprimis gra-  
 tus, & placitus est. Hebraicè. *Voluntas eius,* aut *be-*  
*neplacitum eius,* id est, illum beneuolentia sua amā-  
 tissime complectitur.

XXIII. Homo versutus celat scientiam: & cor  
 insipientium prouocat stultitiam.

**H**omo versutus celat scientiam. Hebr. *ערום*  
*Gharom.* De qua voce nuper dixi ex Rabino-  
 rum mente proprie significare astuti serpentis. Ad  
 verbum sic habes. *Homo callidus operiens cognitio-*  
*nem.* Septuaginta longe aliter: *Vir intelligens thron-*  
*us est sensus.* Symmachus, vt vulgata, *celat scien-*  
*tiam.*

104

*Et cor impiorum prouocat stultitiam.* Hebr. *pra-*  
*dicat stultitiam.* Septuaginta: *Cor autem insipient-*  
*tum occurret execrationibus.* Aquila, & Theodotion  
 concinunt cum nostra. Chaldaeus integrum versum  
 sic extulit: *Vir callidus operiens scientiam, & stul-*  
*tus reperit scientiam.* Caietanus legit: *Cor autem*  
*insipientium vocabit stultitiam.*

**E** Interpretes quidem alias, atque alias, sed parum  
 diuersas expositiones excogitarunt: ex omnibus  
 autem illa tritior, ac familiarior est: *Homo versu-*  
*tus,* id est, prudens, atque ingeniosus, non qui-  
 busuis temere aperit scientiam suam: indoctis enim,  
 atque imperitis sapientissima, & grauiissima quæ-  
 que dogmata tegit, ne videatur margaritas suas  
 porcis exponere: *Cor verò insipientium prouocat*  
*stultitiam,* id est, ea quæ nouit, producit, ac pa-  
 lam facit: quia præ nimia stultitia cohibere, ac re-  
 tinere non potest. Quasi dicat, suam ipsius stulti-  
**F** tiam prodit in his, quæ temere, & sine delectu di-  
 cit. Hanc stultitiam venusta similitudine descripsit  
 Diuus Basilus apud Maximum sermone 20. de ta-  
 citurnitate, ubi sic ait: *Dicenda, tacendaque nosse*  
*debemus. Non enim diuina omnia lingue verbis*  
*explicanda sunt, ne mens, sicut oculus totum lu-*  
*men insueri volens, id etiam, quod habet luminis,*  
*perdat.* Verba sunt obscuriora: sententia Basilij  
 hunc sensum reddit. Sicut is qui ad lumen solis è re-  
 gione oculos aperit, lumen, & aciem, quam habet,  
 amittit: Sic qui ad hanc externam lucem animi sui  
 interiora per manifestationem arcanorum aperit,  
 ac referat, qua instructus est, rerum cognitionem  
 merito perdit: & ideo ex sapiente stultus fit, quia  
 suam sapientiam palam exposuit.

D. Basil.  
Maxim.

Alij

105 Alij verò, qui vocem illam *versutus* in malam partem rapiunt, putant quidem Salomonem astutum inter virum, atque stultum discrimen assignare: quod scilicet ille callida consilia, & rationes apud se arcano asseruet, hic verò suas cogitationes, & meditationes cuius temere aperiat, ac denudet.

Caietanus etiam propriam inquit viam: *Homo* (inquit) *versutus*, bono sensu, id est, ingenio, & prudentia præditus, *celat scientiam*. Nomine autem scientiæ non facultatem aliquam, aut doctrinam intelligit: sed peculiarem rem, quam vel ipse assequutus est: vel quæ illi secreto commissa est: *Cor autem stultorum vocabit stultitiam* (sic ipse loquitur) id est, stultus apud se hoc viri prudentis silentium appellabit stultitiam, & fatuitatis illum damnabit, quod tantopere taceat. Huius posterioris partis interpretatio non cadit in verba vulgata. Quapropter quod spectat ad priorem partem, placeat expositio Caietani: posterioris verò intellectum deinde dabo. Itaque ait Salomon: *Homo versutus celat scientiam*, id est, qui pollet prudentia, atque astu, seruat apud se arcanum id, quod nouit, quia non vulgaris prudentiæ est cognitam pridem rem secretam seruare. Quapropter qui ad eum modum secreti fidelis seruator est, hic sanè est *Gharom*, id est, serpentina calliditate, & astutia præditus. De cuius voce tria docet Cardanus in serpente. Primum est clariorem vocem, ac sibilum prolixiorum, non nisi post multam ætatem illi euenire: Nam minores angues strident, & mussant potius quam sibilant. Discant adolescentes à serpente sermonem, & orationem longam in canos differre. Addit secundo serpentis sibilum nunquam audiri, nisi in pugna, aut magna tempestate iam jam ingruente: cum de reliquo silere soleat. Exinde discite opportunitatem loquendi captare, & non nisi magnas, & virgentes ob causas eloqui. Tertio dicit alia pleraque animalia per vocem, quam edunt, inueniri tandem, ac deprehendi: serpentes autem non ita, nam à longe hostem conspicati silent: atque adedò nunquam sua illis vox exitio est. Ergo à serpente discite, sic tuos ubique sermones temperare, ut nunquam ex voce, aut sermone captari possis, nunquam tua tibi vox exitio sit. Itaque serpentis astum imitatus omnes silentij prudentis partes expleris. Sed ad eam, de qua nunc agimus, arcanorum seruandorum prudentiam haud insulse referri potest vulgaris illa serpentum astutia, qui caput reliqui trunci obiectu cõtegunt. Quid enim est aliud mentem celare, nisi caput tegere? Qui ergo serpentis astum imitari volet, id agat: caput, id est, mentem, vel secretum celet, reliqua exponat.

107 Et cõ insipientum prouocat stultitiam suam. Id est, insipientes non modo oblata dicendi occasione temere effutiunt ea, quæ norunt: sed etiam ipsi prouocant, id est, occasiones loquendi vestigant, & ipsi semetipsos ad dicendum stimulant, & acuunt, nihil arcanum cohibere diu valentes. Notum satis est stultorum hac in re ingenium, quod alibi non semel Salomon in hoc libro.

108 Lectio Septuaginta sic habet: *Homo astutus thronus est sensus*. Huius autem lectionis censuram supra adscripsimus cap. i. vers. 4. ex Basilio, qui eiusdem meminit homilia in principium Prouerborum. Quod si ad sensum nostræ vulgatae illam vocare libet, sic est edisserenda. In homine prudenti sensus, hoc est, id, quod interius sentit, id est, conceptus animi in mente, ceu in throno quodam otiose quiescit, ac sedet. Nam bonam, & accommodatam sedem nactus exinde exire, & palam fieri non vult. *Cor autem insipientum occurret execra-*

*tionibus*. Cor quidem sumitur pro sententia, & conceptu animi: atque adedò sensus est. Stultissimorum hominum sententiæ, & consilia animis non sedent: imò profiliunt foras, & in vulgus datae execrationibus obtuiam fiunt, id est, ludibriis, probris, ac contuitiis omnium exponuntur. Itaque in stultis arcana non sedent, sed stant: atque adedò qua data porta erumpunt, &c. Vel aliter: *Homo astutus thronus est sensus*, id est, sententiam, & consilium in ipso, tanquam in throno sedet: Nimirum ceu Rex aliquis supremus throno suo, sic infidet animo. Quapropter sicut ad Regem in throno sedentem non cuius adire licet: sed his tantum qui familiares sunt, & qui proximè ipsi assident: Ita etiam sapientum consilia non patent omnibus, sed dignis, sed amicis, sed, quorum fides explorata est. *Cor autem insipientum occurret execrationibus*. Quasi dicat, perinde ipsi contingit, atque homini ignobili, vulgari, atque obtuio, qui omnium ludibriis semper patet.

Chaldaeus habet: *Stultus autem peperit scientiam*. Quasi dicat: id quod nouit, non semel dicit, sed iterat sæpius, & euulgat. Secretum enim vni commissum vix aliquando securum est: quod autem duobus, aut pluribus creditur, omnino diffamatur, &c.

XXIV. *Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet.*

108 **M**anus fortium dominabitur. Hebraicè: *Manus sollicitorum dominabitur, & dolosa erit in tributum*. Septuaginta: *Manus electorum dominabitur facile: dolosi autem erunt in direptionem*. Aquila: *Manus abbreviantiam*. Theodotion *fortium*, sicut nostra. Aquila etiam, & Symmachus, *erit in tributum*.

Locum istum spiritualement ad sensum vocauit Hugo Cardinalis & Dionysius. Ad litteram verò sermo est de sollicitis, qui ex iure, & æquitate negotiantur. Et quidem supra cap. 10. vers. 4. meminit Salomon manus fortium, ac manus remissæ, atque illius diuitias, & opes: huius autem pauperiem, & summam egestatem esse docuit (vide ibi multa.) Nunc vero addit manum sollicitam dominari, & remissam, seu pigram tributa pendere. Quæ sententia, uti prior eum posteriori parte venustius cohæreat, sic exponenda est: *Manus fortium dominabitur*, id est, manus industria & operosa. (Est enim fortitudinis non minima pars operas, & industrias virgere) dominabitur, id est, multos suæ ditioni subiiciet, à quibus tributa, & census exigat. *Quæ autem remissa est, tributis seruiet*, id est, alteri industrio, ac sollicito homini subditus eidem reditus in menses, & in annos appendet. Itaque fines assignat Salomon diligentia ac socordia: diligentiamque hominis industrii eò euadere dicit, ut intermissis aliquando operis & negotiis alienis, reditibus viuat: socordiam autem hominis remissi eò miseriæ adduci, ut iam inde post exhaustas opes ad pendendos reditus, quibus obstrictus est, labore, ac sollicitudine opus habeat. Itaque diligentia, & sollicitudo in parandis opibus aucta in immensum re, quiete hominem tandem donat: socordia verò, & negligentia decoctis denique facultatibus eundem labori restituit.

109 Eadem est mens Septuaginta interpretum: *Manus electorum dominabitur facile*. Industrios homines appellat electos: *electi* autem apud Septuaginta sapius pro diuitibus capiuntur. Et iuxta eam acceptionem expendo aduerbiū illud *facile*. Quasi

dicat: *Manus quidem electorum*, id est, diuitem facile dominium capiet, vel certe assequetur. Quasi dicat, diuitias quasdam immensas, ob quas ipsi aliis dominari liceat, nanciscetur. Nam ex paupere diuitem fieri laboris immensi, & curæ incredibilis est: at verò ex diuite in prædiuitem, imò in Cræsum euadere, perquam facile est. Hinc nata vetus illa paræmia: *Difficilius est ex asse bessem, quam ex besse talentum facere*. Vel aliter, si nomine electorum sollicitos intelligas, sensus est: *Manus electorum facile dominabitur*: quia etsi magno labore, & impigra sollicitudine opus sit ad opes immodice augendas: tamen laborem quemlibet maximum, & accuratissimam quamlibet sollicitudinem lucra quotidiana leuem, & facilem, imò dulcem, ac voluptem reddunt. Itaq; Salomon, ne quis suæ pigritiæ obtenderet sollicitæ negotiationis labores, & difficultatem, addidit, *facile dominabitur*. Et quidē Septuag. vocis Hebraicæ vim totam hausērunt; nam in originibus est, *למשל* *Timsol*, à radice *Masal*, quæ significat dominari, non ferro, aut armis: sed autoritate, & eminentiâ facile quoddam dominium exercere. Quod autem addunt Septuag. *Et dolosierunt in direptionem, bonorum omnium spoliationem, & amissionem sonat*. Caietan. transitulit: *Dolor erit ad liquefactionē*, putatq; duci metaphoram à niuē, & grandine, quæ calore liquefcit, & soluitur: soluta verò tellurem, quam operuerat, aperit, ac detegit. Nam sic etiam hominis dolosi fortuna: niuis in morem soluta depercutit, & omnes illius technæ, iniuriæ, & fraudes tandem aliquando deteguntur.

*XXV. Mæror in corde viri humiliabit illum: & sermone bono lætificabitur.*

110 **M**æror in corde viri humiliabit illum. Hebr. *Sollicitudo in corde viri incuruabit illum*. Septuaginta. *Terribilis sermo cor turbat viri*. Theod. congruit cum vulgata. Chaldaus. *Verbum timoris in corde viri terrorem gignit*.

*Et sermone bono*, Hebræa non dissonant. Septuag. *Nunciatio autem bona lætificat eum*.

Vt quasdam allegoricas expositiones de confessione missas faciam, communis expositio loci sic habet: *Mæror in corde viri humiliabit illum*, id est, tristitia, & animi molestia viri etiam fortissimi cor deiecit, & languidum reddit. Tanta autem est consolatorij sermonis potentia, & vis, vt cor eiusmodi, cui nullis medicamentis cordialibus succurri possit, suauis delectatione reficiat, erigat, ac deliniat: *Et sermone bono lætificabitur*, bonum sermonem appellat consolatoriam orationem. Itaque Salomon ostendit, quam amica cordi sint verba lenia, & suauia, quæ scilicet ocyus omni medicamento illi subueniunt. Hunc sensum reddere videtur lectio vulgata.

111 **C**æterum Septuaginta & Chald. verborum in vtramque partem vim suis translationibus expresserunt, ad quorum mentem vulgatam lectionem allicere integrum est. Ergo Septuag. sic vertunt: *Terribilis sermo cor turbat viri*. Chald. *Verbum timoris in corde viri terrorem gignit, &c.* Quasi dicat, cor viri etiam robusti, & constantis, verbum seuerius, & acerbius exturbat, contristat, ac pungit: quidquid autem turbationis, & doloris acere verbum attulit, sermo blandus, suavis, & consolatorius pulsa afflictione delinit. Quapropter os, linguamque hominis accommodatæ cum lingua, atque ore canis contulit Abb. Isai. orat. 3. Sicut enim canis ore mordet, & partem ad mortem lambendo curat: sic etiam homo, cum aliquem verbis lacerauit, aut momor-

Abb. Isa.

dit, si postmodum consolatoria verba adhibeat, & lingua sua mulceat, & veluti lambat vulnus influctum, facile sanitati reddit. Rursus maledici, & conuitiatoris lingua cum lingua viperæ comparatur. Hæc enim exterius pungit, seu mordet: virus autem exinde velocissime cor petit, & præsentissimam mortem affert. Sic Gregorius Magnus ad illa verba Iob 20. *Et occidit eum lingua viperæ*. Bernard. in Cant. & alij passim. Ad hæc viperæ moribus, aut puncturis succurrit theriaca opportune data, quam ex capite, ac lingua viperæ confici, & componi nemo ignorat. Hæc enim alius medicamentis cordialibus admixta eadem ocyus ad cor adducit, vt veneri virus coërceant. Ad eundem modum, qui viperæ ad instar lingua proximum pupugit, & mæroris, tristitiæque veneno cor impleuit, succurrat identidem lingua sua, & (sicut accidit in theatris) aliis medicamentis admisceat linguam suam, verba videlicet mollia, & suauia, hæc enim citius cor subeunt, & venenati mæroris virus ex eo pellunt. Non alia fuit mens Theodor. de curandis Græcorum affectionibus, vbi ita ait: *Verborum ictus, vt accidit in theriasticis, verbis curantur: & qua sermo attulit damna, sermo redimit*. Hunc ad sensum accersenda est vulgata lectio, vt illa verba: *Mæror in corde viri humiliabit illum*: de mærore capiantur, quem sermo acerbis immittit, vt prior pars respondeat priori.

*Humiliabit illum* Hebraicè *ישפח* *Isfhenach*, à radice *שפח* *Seuach*, cum puncto in cornu dextro significat autem incuruare, sed propriissime in foueam profundam deiicere, aut deturbare. Itaque sensus est: *Mæror in corde viri illum deprimit, & quasi in foueam, aut speculum deuoluit*: vnde emergere non possit; ab hac tamen fouea extrahit illum sermo lenis, ac iucundus. Obserua autem Septuag. & Chaldaum fortassis pro *Seuach*, legitse *Suach*, cum puncto in sinistro cornu, quod significat eloqui, aut verba facere: atque adeo verborum, ac sermonis meminisse, vt iam præmissi.

*XXVI. Qui negligit damnum propter amicum iustus est: iter autem impiorum decipiet eos.*

112 **Q**ui negligit damnum propter amicum iustus est. Hebr. *Abundans pro socio suo iustus*. Septuaginta. *Cognitor iustus sui ipsius amicus erit: eos autem, qui peccant persequentur mala*, sic habet textus correctior. Aquil. lectionem originalem ad vnguem expressit. Ex codicibus Septuag. aliqui etiã vltius addunt: *Et scientia impiorum immites*: sed tum hæc, tum etiam illa posteriora verba: *Eos autem, qui peccant, &c.* expuncta sunt à Complut. & Regio codice. Chald. habet: *Melior est iustus socio suo, alij honorarior*.

*Iter autem impiorum decipiet eos*. Hebr. *Et via impiorum errare eos faciet*.

113 **E**x interpretibus, qui lectionem originalem interpretandam suscipiunt, plerique ad honorem, & gloriam referunt: in his Iansen. & Rodolph. ita vt sensus sit: *Melior, aut honoratior, aut excellentior est iustus quolibet socio suo, id est, iustus gloria, & splendore vincit omnes alios: nam iustitiæ immensa est honestas, & gloria: Et sicut stellæ foli compositæ disparent, & vitum fugiunt: sic etiam omnis externa, & profana gloria cum iustitiæ decore collata, deficit, & abit*. Chryostomus homilia in Psalm. 34. docet gloriam, quæ ab externis bonis quaritur, cum gloria iustitiæ compositam opprobrium potius, & dedecus appelladam esse. Sed in homilia,

Iob 20.  
num. 16.  
Bernard.

Theod.

112

113

C. ryl. ost.

114



Quod nemo leditur, &c. elegantiore oratione inter  
externam gloriam, & eam, quæ iustitia paratur. id  
quidem interesse dicit, quod inter veritatem, & fi-  
cum: *Diuites (inquit) requirunt falsum honorem,  
Veri illius colore quodam solum, & simulata imagi-  
ne fucatum, non veritate, sed nomine. Sicut enim  
plerumque meretricis vultus, cum turpis, & fœdus  
est per naturam, fucis, & coloribus pigmentatus pro-  
stituitur ad decipiendos eos, qui ignorant, quanta  
fœditas sub velamine illo contegitur: sic & humana  
gloria. Neque enim voces illæ humanæ, per quas prin-  
cipibus acclamatur, ex veritate dicuntur, sed ipse  
sunt, quibus fucatum nomē honoris depingitur. Nam  
si conscientias interroges acclamantium tibi, inue-  
nies apud unumquemque eorum te mille capitibus  
accusari. Breui autem interstitio verborum veri ho-  
noris naturam accuratius depingit, hoc modo: *sed  
se vis tibi ostendam honorem verum, honor verus vir-  
tus animi, & iustitia est: hic honor neque a Casari-  
bus præstatur, neque pecunia preparatur: nihil fu-  
cati in se habet, nihil simulati, aut occulti. Huius  
honoris successor nullus est, accusator nullus, nullus  
ingratus: Hic honor temporibus non mutatur, nec  
tyrannos patitur, nec picturam tabula metuit ali-  
quando delendam.* Ex his constat iustum honore, &  
gloria reliquis antecellere.*

115

Cæterum si hoc in loco originibus quidquam tri-  
buendum est, præferenda est lectio & expositio  
Caietani, quæ sic habet: *Abundans præ socio suo  
iustus.* Id est, iustus etiam si angustia rerum prema-  
tur, ditior est socio suo. Quasi dicat: iustus ille, qui  
ne, quid contra ius fasque gereret, ne quem defrauda-  
ret, aut circumueniret, in paupertatem incidit, lo-  
cupletior, ac opuletior est, quā ille alius eius socius,  
qui cum eo cōtrahens multa bona lucratus est. *Iter  
autem impiorum decipiet eos*, id est, conuersatio  
impiorum, qui per vim, vel fraudem aliena inua-  
dunt, deludit eos; quia multas facultates nacti pu-  
tant se ditissimos esse: cum tamen verè mendici, &  
supra modum pauperes sint. Vel quod aptius puto  
sensus sic est efformandus: Iustus ex iure, & ex equi-  
tate licra sua quærens rem suam auget, & locuple-  
tior euadit socio suo, id est, omni alio, qui non ita  
iuri, & æquitati adhæret: *Iter autem impiorum de-  
cipiet eos*, id est, conuersatio, seu negotiatio eorum,  
qui fraude, & iniuria diuitias quærunt, lucris, & quæ-  
stibus fraudatur. Hæc autē extrema expositio idē  
perplacet, quia cum sequēti versu optimè necititur,  
vt paulo post patebit: sic enim addit: *Non inueniet  
fraudulentus lucrum suum, &c.*

116  
Hierony.

Sed tamen vulgata lectio alium sensum addit, qui  
cæteris præferendus est. Hieronymus enim vocem  
𐤆𐤃 *Iathar*, ab *Iathar*, ad significationem relinquen-  
di retulisse videtur. *Iathar* enim significat excelle-  
re, abundare, remanere, & relinquere. Itaque ad  
verbum ita licet transferre: *Qui relinquit propter  
amicum suum.* Hieronymus autē sententiam eruens  
conuertit: *Qui negligit damnum propter amicum suū  
iustus est.* Ego verò sic intelligo: qui in proximi sui  
gratiam, id est, ne illum defraudet, aut iniuriam ali-  
quam illi irroget, negligit iacturam suorum bono-  
rum, hic vere iustus est. Quasi dicat, non fraudare,  
aut dolos necere, etiam si non augeas facultates  
tuas, magna quidem iustitia pars est. Cæterum bo-  
norum tuorum detrimentum libenter subire, ne  
proximum defraudes, aut circumuenias, id sanè iu-  
stitiæ, & æquitatis summam continet: *Via autem  
impiorum decipiet eos*, id est, eorum, qui iniuria, &  
fraude aliena quærunt, ratio viuendi eos deludit spe  
fallaci captandi quæstus, & lucri. Possunt hæc verba  
referri ad eleemosynam hoc modo: *Qui negligit  
damnum, & iacturam bonorum suorum, vt proxi-*

Tom. I.

mo indigenti succurrat, hic verè iustus, & misericors  
est. Mihi tamen prior expositio accommodatior  
videtur.

Circa lectionem Septuaginta non facilis est cen-  
sura: *Cognitor iustus sui ipsius amicus erit.* Ego ve-  
rò sic interpretor: *Æstimator iustus rerum semetip-  
sum potius adamabit, quam sua: atque aded vt se-  
metipsum, animamque suam sartam tectamque  
seruet, libenter bonorum suorum iacturam, detri-  
mentumque subibit: Quid enim prodest homini, si  
vniuersum mundum lucretur, anima vero sua detri-  
mentum patiatur?* Sic verò proxime accedit sensus  
ad sententiam vulgatæ. Cæterum illa verba: *Eos au-  
tem, qui peccant, persequentur mala*, infra occurrunt  
capite sequenti, atque inde huc ab imperito aliquo  
scriba aleita videntur. De illis verò, & sententiæ im-  
piorum immites, idem iudicium ferendū est. Ni velis  
cum superiori sententia consuere ad hunc modum.  
Iustus quidem rerum æstimator semetipsum præ  
cæteris rebus adamat: *At sententiæ impiorum im-  
mites*, id est, eorum iudicia & æstimationes sæuæ, &  
inhumanæ, nimirum in seipos: nam vt bona exter-  
na, diuitias, opes & honorem lucrentur, sui ipsorum  
iacturam libenter sustinent, qua sententia nihil im-  
mitius, & inhumanius.

117

XXVII. *Non inueniet fraudulentus lucrum  
suum: & substantia hominis erit  
auri pretium.*

**N**on inueniet fraudulentus lucrum suum. No-  
ster interpres huius prioris partis sēsum eruit,  
verba dimisit. Hebræa enim ad verbum sic habent.  
*Non aduret fraudulentus venationem suam.* Se-  
ptuaginta. *Non consequetur dolosus venationes  
suas.* Chaldaus: *Non fiet obuiam venatio viro  
dolofo.* Hispanica habent. *No assura el en gano se  
caca.*

118

*Et substantia hominis erit auri pretium.* Hebr.  
*Et affluentia hominis sedule preciosa:* Septuaginta.  
*Possessio autem pretiosa vir mundus.* Chaldaus.  
*Substantia hominis erit aurum pretiosum.* Caieta-  
nus: *obrizum.* Dissimilitudinem hanc peperit vox  
𐤆𐤃 *Charast*, quam noster interpres *aurum* con-  
uertit tum hic, tum alibi. Hebræi autem acutum,  
folicitum, & res diligenter vrgenter: à radice  
*Charast*, quæ est acuire, acrem esse, vrgere, &c.  
De hac autem extrema clausula postea iudicium  
feremus.

Quod attinet ad prius hemistichium, omnium  
interpretum vna mens est. Itaque Salomon ad-  
uersus eum, qui fraude & iniuria rem suam augere  
vult, sic pronuntiat. *Non inueniet fraudulentus  
lucrum suum*, id est, quæstus, & lucra, quæ tam  
auide expetit, & tam accurate vestigat nunquam  
assequetur. Hanc vero sententiam venusta simili-  
tudine à venatione, & aucupio petita exprimunt  
Origines, *Non aduret impius venationem suam: Psalm. 131.*  
quam non vno modo expendunt interpretes. Illud  
vero imprimis notandum, Salomonem hoc in libro  
sæpius ab aucupio, & venatione ad quæstum simili-  
tudinem transferre, vt iam inde pluribus docui su-  
pra cap. 1. vers. 17. vbi alia loca enumeravi, quibus  
adde locum Psalm. 131. nam pro illis verbis. *Vidnam  
eius benedicēs benedicam*, in primitiuis ad verbū est,  
*Venationem eius benedicēs benedicam, & pauperes  
eius, &c.* Vbi nomine venationis prouentus, & quæ-  
stus intelligo, quasi dicat multiplicabo illius vrbis  
prouentus, & quæstus adaugebo: aded vt nullus  
deinceps pauper famelicus angustia rerum pressus  
in ea inueniri vsquam possit.

Psalm. 131.  
num. 1.

Qq ij

Ergo prima expositio ita fert. *Non aduret impius venationem suam.* Moris erat, inquit Rabi Ioseph Kimchi, vt aucupes auium captarum extremas alas igni torrerent, ne auolarent ab eis, & emporibus pulchriores viderentur, non detruncatis, vel euulsis, sed paululum adustis plumis. Istius etiam moris meminit Pagninus, Caietanus, & Rodolphus: & ex illo huius loci interpretationem petunt ad hunc modum. Diuitia iniquè partæ, fraude conquisitæ non diu apud fraudulentum permanebunt: sed ocyus illum deferent ad instar auium, quarum alæ adustæ non sunt: ideoque inter ipsas aucupis manus auolant, & disparent.

Secundò alij, in quibus est Iansenius & Mercerus, ita accipiunt. *Non aduret venationem suam,* id est, non torrebit, aut affabit ferinam suam. Et quidem venatio igni ad esum denique paratur, & conditur: atque adeò sensus est. Nunquam impius ed adducit lucra, & quæstus suos, vt iisdem perfrui, & iisdem viuere possit: ceu venator, qui nunquam ad venationem suam assandam, edendamque peruenit. Hæc illi.

120 Caterùm lectio vulgata, & Septuaginta suadent, vt hanc similitudinem sic accipiamus, vt non modo improbos partis bonis haud vsuros esse significet: sed etiam, ne paraturos quidem. Vulgatus enim habet: *Non inueniet fraudulentus lucrum suum.* Septuaginta vero, *Non assequetur dolosus venationem suam.* Quapropter si præmissæ similitudines arident: ita quidem capiendæ sunt, vt consequentia pro antecedentibus sumantur: sic scilicet, vt auium alæ torrere, aut ferinam affare perinde sit, atque aues, seu feras primò capere, aut venari: illud enim subsequitur, hoc antecedit. Quod si hæc ad hunc sensum ægre trahi posse existimas, accipe duas alias huius similitudinis conformandæ rationes, quarum prior ducta est ab aucupio, posterior ex venatione. Ad aucupium spectat nocturna quædam columbas, perdices, atque alias id genus auium species aucupandi ratio, ante alias dolosa, & fraudulenta. Auiceps quippe ignem laterna inclusum, altera ex parte patentem manu præfert, & ostentat: aues autem illæ lucem conspicatæ in flammam temerè inuolantes sæpius alas adurunt, & aucupi in prædam cedunt. Ducta igitur inde similitudine Salomon ait. *Non aduret fraudulentus venationem suam.* Vel quod idem est: non inueniet lucrum suum, id est, ea quæ contra ius, fasque conquirunt lucra, non assequetur. Sicut venator, qui dolosam aucupandi rationem igne prætenso adhibens nullam auem adurit, id est, nullam intercipit. Et quidem emphasim habet hæc expositio: inter domus enim alias aucupandi artes nulla certior est, quam ista, nulla prædarum vberior. Ea propter apud quasdam nationes lege interdita est, quia lucos expilat, saltusque auibus exhaurit. Itaque sensus est: homo fraudulentus tunc cum prohibitas, veritasque licet certissimas negotiationes ad lucra paranda adhibuerit, nihil quæstus, aut lucri ex omnibus capiet.

121 Posterior huius similitudinis instituendæ ratio petitur ex venatione ferarum. Obseruare autem oportet vocem Hebraicam זאיד Zaid, quemadmodum Latinam *Venatio*, non solum captam prædam notare: sed etiam artem, & instrumenta venandi, retia videlicet, atque laqueos significare. Ergo moris fuit apud veteres feras formidine venari. Erat autem formido venatoria contextus plumarum, quo apri, cerui, atque aliæ feræ terrebantur, & adigebantur in retia. Eius meminit Virgil. 3. Georg.

*Hos non immixtis canibus, non cassibus vllis, Puniceæue agitans pauidos formidine penna.* Et l. 12. eandem repetit.

Virgil.

A *Inclusum veluti si quando flumine nactus Ceruum, aut puniceæ septum formidine pennæ.*

Opianus autem in libro Halieuticon, numerat aues, ex quarum plumis formido construi solebat: scilicet vultures, olores, ciconias. Ouid. de Rem. am. 1. *Ouid.*  
*Aut pauidos terre varia formidine ceruos.*

Vide plura de structura huius formidinis, quæ erudite confluit, & coniecit in præfatum Virgilij locum noster Ludouicus de la Cerda: vbi tradit eiusmodi pennasauium, quibus formido contexebatur, vsulari, & amburi solitas, quo nidore suo vehementius feras perterrerent. Quod Lucanus expressit. *Lucan.*

B *Claudat odorata metuentis aera penna.*

Et Papinius in Achill.

*Ille ignem, sonitumque pauent, diffusaque linqunt Arua.* *Papin.*

His pennis ambustis, atque tostis lucus vndique cingebatur, quibus venatores tantam feris immittebant formidinem, vt in retia ipsamet sponte contenderent. Seneca lib. 2. de Clementia, *Sic feras linoæ, & penna clausis continent easdem a tergo telis eques incessit.* Ad extremum missis alijs, subiiciendus est Augustinus, qui libro 1. de nuptiis, & concupiscentia ab hoc venationis artificio venustam similitudinem ad mores transtulit. *Et cum venatur* (inquit) *insaniam falsam, veram incurrunt, instar ferarum, quæ circumdantur pennis, vt cogantur in retia.* Et Hieronym. contra Luciferianos, *Et pauidorum more ceruorum, dum pennarum exitatis volatus, fortissimis retibus implicamini.* Ergo ex hoc instrumento, quod ad feras captandas veteres utebantur, potest haud inepta expositio in hunc locum Salomonis conici, ad hunc modum: *Non aduret fraudulentus venationem suam.* *Hieron.*

123 *Non aduret fraudulentus venationem suam.* Nomine venationis intelligo ipsam artem, & venandi instrumenta: vt sensus sit, homo fraudulentus satis accommodatas, & efficaces ad lucra aucupanda rationes, numquam adhibebit. Quasi dicat, similis est venatori, qui ad feras captandas non satis accommodata præterdit retia: similis inquam venatori, est, qui formidinem pennis contextam ambustis, atque tostis, adhibere nescit: qua nulla est ad venandas feras aptior industria. Sicut enim formido illa simpl. x igne vsulata ceruos, aliatque feras in retia compellit: sic iustitia, & doli, simulationisque expers negotiatio in commercii seruata lucra, & quæstus in dominium cogit hominis iusti, ac sinceri. Hanc ergo fraudulentus homo adhibere nescit, &c.

124 Quod vero attinet ad posterius hemistichium, dissentio haud leuis interpretes distrahit. *Et substantia hominis erit auri pretium.* Præmittam eos, qui lectionem vulgatam deseruerunt. Primò Rabi Dauid in libro radicum transtulit. *Et substantia hominis solliciti pretiosa,* id est, sollicitus, & industrius homo, id est, qui non fraude, & dolo: sed industria, & diligentia facultates conquirunt, substantiam præditam assequetur. Secundo addit Dauid conuerti posse, *Et substantia benigni pretiosa sollicitudo.* Vt sensus sit: maximæ quidè diuitiæ, si absit industria, & sollicitudo, breui interuallo dilabuntur: atq; adeo pretiosissima substantiæ portio est industria. Tertio Rodolphus paulo aliter conuertit. *Sed diuitia pretiose hominis solliciti,* & hunc ad sensum vocat. Opes per iustam sollicitudinem, & per propriam industriam partem imprimis charæ sunt possessori suo. Itaque alias quidem opes, quas homo à parentibus iure hæreditario accepit, facile decoquit, eas vero quas industria sua peperit, tanquam chariores asseruatur, & tueretur. Quarto Hebræus alter apud Pagninum sic exponit: *Substantia, per sollicitudinem paratur, pretiosa,* id est, rara. (Nam pretiosum in scripturis non

1. Reg. 3.

semel rarum appellatur i. Regum. *Sermo Domini erat pretiosus in illis diebus*, id est, rarus & sæpe alibi) quasi dicat: raro admodum euenit, vt homo ex iure, & æquitate contrahens, in magnas, & ingentes fortunas euadat.

125

Cæterum ex his expositionibus nulla in lectionibus præferendam esse suadet consensus Chaldæi Paraphrastis, Caietani, & aliorum. Ergo Caietanus hanc posteriorem partem cum superiori sic nectit. *Et substantia hominis pretiosa obrizum, vel aurum*, id est, fraudulentus homo non ditabitur: quia eiusmodi diuitiæ charissimæ, ac pretiosissimæ in auro consistunt: id vero vel non assequitur fraudulentus, vel apud ipsum diu non manet. Et quidem posset isthæc interpretatio eleganti quadam Senecæ doctrina illustrari in libro de Clementia vbi cum postulasset rationem, ob quam aurum palleret, sic occurrit. *Quia multos habet insidiatores*. Nam cum metus pallorem afferat, hinc est, inquit, vt aurum veluti ex metu fraudulenter sibi insidiantium pallidum sit. Addo etiam ex eodem metu suos insidiatores fraudulentos fugere, & ex fuga ad probos, & rectos sese recipere. Altera vero expositio communior est eiusmodi. *Et substantia hominis erit auri pretium*. Hominis inquam iusti, & æquitate præditi facultes auri pretium admetietur, id est, ingentes erunt: nam quod auro pensatur, magnum, ac pretiosum est. Hæc autem expositio ideo placet, quia superiori sententiæ melius respondet.

Seneca.

Septuaginta aliter habent, *Possessio autem pretiosa vir mundus*: mundus vero appellatur is, qui fordibus auaritiæ caret, ( vt alibi docui. ) Sensus autem talis euadit. *Vir mundus*, id est, munditia ipsius viri, omnibus videlicet auaritiæ fordibus libera conuersatio optimæ ad instar possessionis est: hæc enim opes, & facultates copiosissimas longe superat. Vel aliter, *vir mundus*, id est, qui auaritiæ sordes respuit, optimam & copiosam fortunarum possessionem nanciscetur.

XXVIII. *In semita iustitiæ vita: iter autem deuium ducit ad mortem.*

126

**I**n semita iustitiæ vita. Hebræa consonant Septuaginta, *In viis iustitiæ vita*.

*Iter autem, &c.* Hebraicè: *Via semita non mors*. Sic ad verbum habent hodie Origines *אלמות אלמאueth*, id est, non mors. Quapropter vtramque partem ad iustitiæ laudem referunt recentiores Hebræi hoc sensu. *In semita iustitiæ vita*, id est, recta, & secundum iustitiæ viuendi ratio vitam affert. *Et via semita non mors*: quæ scilicet angustior, & arctior est ( id enim notat *via semita*, id est, via quæ in semitæ angustia cogitur, qualis est iustitiæ via ) omnem à se pellit mortem. Cæterum Septuaginta & Hieronymus conuertunt *אלמות אלמאueth*, id est, ad mortem. Et quidem noster vulgatus satis accommodate transtulit. *Iter autem deuium*. Id enim sibi vult. *Via semita*, id est, via, quæ in semitam flectit, aut cogitur. Sensus autem est luculentus: via quidem iustitiæ, id est, iusta, & cum æquitate coniuncta ratio agendi, ceu via quædam regia ducit ad vitam, & in vitam desinit. *Iter autem deuium*: quæcumque scilicet conuersatio, quæ vel lacum vnguem à iustitiæ, & iure detorquetur, ad mortem spectat, & in mortem tendit. Cogitur timirum, aut desinit hæc via in deuicæ cuiusdã semitæ angustias, quæ ad præcipitia, & ad mortem tendunt: iuxta id, quod de Pythagoræ littera cecinit Maro.

*Nam via virtutis dextrum petit ardua callem.  
Difficilemque aditum primum spectantibus offert:  
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.  
Molle ostentat iter via lata, sed vltima meta,  
Præcipitat captos, voluitque per ardua saxa.*

Virgil.

Septuaginta vero extremam partem sic extulerunt. *Via autem eorum, qui memores sunt iniuriarum ad mortem*. Itaque illud *via semita*, perinde visum est Septuag. interpretibus, ac via trita, qua sæpius itur, atque reditur: atque adeo sensus est; Via eorum, qui sæpius recolunt, ac memoria repetunt easdem res: quod ad memoriam iniuriarum retulerunt hoc modo. Qui illatas sibi iniurias sæpe sæpius memoria iterant, & recolunt, vt ab his vindictam sumant, velut tritam quandam viam ad mortem sibi sternunt. Nam dum ipsa mens super easdem iter, reditque, vitam terit, ac calcatur, qua in mortem denique itur. Nam ex memoria iniuriarum ad vindictam, ex vindicta ad mortem ocyus venit.

127.





## CAPVT

## DECIMUM-TERTIVM.

**H**ILIVS Sapiens doctrina patris: qui autem illusor est, non audit, cum arguitur. 2. De fructu oris sui homo satiabitur bonis: anima autem prauaricorum iniqua. 3. Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. 4. Vult, & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur. 5. Verbum mendax iustus detestabitur: impius autem confundit, & confundetur. 6. Iustitia custodit innocentis viam, impietas autem peccatorem supplantat. 7. Est quasi dives, cum nihil habeat: & est quasi pauper, cum in multis diuitiis sit. 8. Redemptio animæ viri, diuitiæ suæ: qui autem pauper est, increpationem non sustinet. 9. Lux iustorum latificat: lucerna autem impiorum extinguetur. 10. Inter superbos semper iurgia sunt: qui autem agunt omnia cū consilio, reguntur sapientia. 11. Substantia festinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. 12. Spes, quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ desiderium veniens. 13. Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat: qui autem timet præceptum, in pace versabitur. Anima dolosa errant in peccatis: iusti autem misericordes sunt, & miserantur. 14. Lex sapientis fons vitæ, ut declinet à ruina mortis. 15. Doctrina bona dabit gratiam: in itinere contemptorum vorago. 16. Astutus omnia agit cum consilio: qui autem fatuus est aperit stultitiam. 17. Nuncius impius cadet in malum: legatus autem fidelis, sanitas. 18. Egestas & ignominia ei, qui deserit disciplinam: qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. 19. Desiderium si compleatur, delectat animam: detestantur stulti eos, qui fugiunt mala. 20. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficitur. 21. Peccatores persequitur malum: & iustis retribuentur bona. 22. Bonus reliquit hæres filios, & nepotes: & custoditur iusto substantia peccatoris. 23. Multi cibi in noualibus patrum: & aliis congregantur absque iudicio. 24. Qui parcat virga, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit. 25. Iustus comedit, & replet animam suam; venter autem impiorum insaturabilis.

A

I. *Filius sapiens doctrina Patris: qui autem illi fors est, non audit, cum arguitur.*

II. *De fructu oris homo satiabitur bonis: anima autem prauaricatorum iniqua.*

**F**ilius sapiens doctrina patris. Hebraicè, *Filius sapiens eruditio patris.* Septuaginta, *Filius astutus obedit patri.* Chaldaeus, *Suscipit doctrinam patris.* Qui autem illi fors est, &c. Septuaginta, *Filius autem inobediens in perditione.*

Quidam existimant longe melius ex Hebræo conuerti, *Filius sapiens doctrinam patris*, ita ut verbum *audit*, quod in altero hemistichio succedit, aduocetur ad priorem clausulam, sensusque sit, *Filius sapiens doctrinam patris audit.* Cæterum longe melius, & pulchrius noster interpres conuertit, cum ait, *Filius sapiens doctrina patris* in auferendi casu, id est, non aliunde sapit filius, nisi ex parentis sui doctrina. Quasi dicat, aliorum quidem monita facile excidunt, parentum vero documenta altius infiguntur, altius hærent: atque adeo filium sapientem efficacius præstant.

Alij autem existimant illam vocem *doctrina*, esse quidem in auferendi casu, sed alio sensu, *Filius sapiens doctrina patris*, id est, ipsamet patris doctrina, & sapientia sapit. Mores enim filiorum, quædam veluti expressior forma morum sunt, qui in parentibus elucet. Ita docuit Basilius Imperator in capitibus exhortationum, quæ dicauit Leoni filio, & imperij collegæ, ubi ait, *Ne me quæso patrem amantem pudefacias, debent enim pictores quidem corporum lineamenta: Filij autem Regum, quasi viua imagines patrum virtutes referre.* Ergo huius expositionis auctores existimant documentum illud ad parentes potius dirigi, ut sic agant, ut filij eorum mores in semetipsis exprimere possint. Quod quidem ad vnguem se præstitisse tradit Basilius Imperator in eodem libro hisce verbis, *In mente (inquit) habeto semper patris tui mores, & ad eorum exemplum vitam tuam studiose compone. Neque enim in socordia vitam otiose traducimus, neque in rebus ignauiter versamur: sed, ut vita nostra pro viua imagine virtutis proponi tibi possit, sedulo agimus, inertiam in vitio ponentes, & laborem in laude ducentes.* Pende quanta debeat esse parentum probitas, quæ filiis pro viua virtutis imagine proponenda dicitur.

Septuaginta quidem documentum istud in filios intendunt: sic enim aiunt, *Filius astutus obedit patri.* Concinit Chaldaeus, cuius expositionem supra dedi. Sed qua demum ratione obedientia erga parentes laudabilis astutia est? Ratio est in promptu. Quia obedientia filij parentis animum deuincit, ut auctiorem, cumulatoremque ab eo hæreditatem assequatur. Vel aliter, filius qui parenti suo defert, & illius monita, & documenta excipit, ab eodem astutiam, id est, sapientiam & prudentiam, addiscit.

Qui autem illi fors est, non audit, cum arguitur. Filius quidem illi fors aut derisor dicitur, qui ex contemptu parentum suorum monita aspernatur. Hic ergo, non audit cum arguitur. Quod quidem ita capiendum est, quasi dicat: cum doctrina parentis filium sapientem reddat, sic sanè, ut filius eiusmodi, qui ex contemptu patrem, & corripientem non auscultat, sed monita & correptiones respuit, nec sapiens, nec astutus unquam esse possit. Nam ea, quæ a parentibus proficiscitur disciplina, in filiorum animos influit iucundius, & moribus etiam fortius imprimitur: atque adeo filij ex parentum doctrina, & monitis semper pendere debent.

**D**E fructu oris homo satiabitur bonis. Hebraicè, *De fructu oris viri comedit bonum.* Septuaginta, *De fructibus iustitiæ comedit bonum.*

Anima autem prauaricatorum, &c. Et animam prauaricatorum iniuriam, supple comedit. Caietanus, *Anima autem mentientium.* Septuaginta, *Anima autem iniquorum peribunt immature.* Chaldaeus integrum versum sic compleuit, *Vnusquisque de fructibus oris sui satiabitur bono: anima autem prauaricatorum deiectione.*

Quod attinet ad priorem partem huius sententiæ, ipsissima verba occurrunt supra cap. 12. vers. 12. Rodolphus quidem conatur huius loci sensum cum superiori consuere: sed difficilis est nexus. Caietani expositio sic habet, *De fructu os viri comedit bonum*, (sic ipse legit) os nimirum iusti, ac probi viri id quod bonum est, iucundius comedit. Sicut enim in valetudine os bene dispositum, ac temperatum salubres cibos appetit: sic etiam iusti os, voluntas scilicet per honestatem, & iustitiam, ad sanam temperiem adducta, omne quod iustum est, iucundius exedit. Contra vero, *Anima mentientium iniquitatem*, (supple comedit,) voluntas nimirum iniquorum hominum intemperans, atque ægra iniquitate, atque iniustitia libentius palceat. Addit vero Caietanus nescio quid de legis interpretatione: sed non audiendus. Ad præmissum sensum non parum accedit translatio, Septuaginta, quæ sic habet, *De fructibus iustitiæ comedit bonum*, qui plane verba primitiua in sensu Caietani acceperunt: non tam enim legendum putarunt, *De fructu oris homo*, &c. quam, *De fructu os viri*, &c. Atque adeo sensum perspicue elicientes transtulerunt, *De fructibus iustitiæ comedit bonum: anima autem iniquorum peribunt immature*, id est, probus homo diutius quidem viuet, & maturos, decoctosque senectæ fructus affatim comedit, hi sunt prudentia, iustitia, consilium, & alij id genus, quos senectus veluti fructus quosdam decoquit, & ad maturitatem perducit. Iniqui vero, atque improbi ocys defugentur ante senectam, & canos: atque adeo ex præmissis fructibus nullum decoquent, aut maturitate donabunt.

Accipe verba Hieronymi ad Nepoti, *Senectus (inquit) eorum qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die, ac nocte, atate fit doctior, vsu certior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulces, atque maturos fructus meret.* Illud præterea, *Anima impiorum peribunt immature*, talem ad sensum vocare licet. Impij ocys, & ante canos vita cedent, haud dissimiles fructibus, qui ante maturitatem ex arboribus leguntur. Et quidem inter fructus maturos, & immaturos id interest, quod maturi sponte decidunt, immaturi autem vi auelluntur. Rursus immaturi acerbi sunt & acres, maturi vero suaves, atque dulces. Ad eundem modum senes quodammodo tanquam fructus decocti sponte obeunt, mors illis dulcis, & grata est. Iuuenes autem vi auelluntur, & mors eisdem acerba, & amara est. Hac similitudine vtitur Tullius in lib. de senectute, cui aliam non minus elegantem adnectit, his verbis, *Adolescentes mihi mori sic videntur, ut aqua multitudine flamma vi opprimitur: senes autem sicut sua sponte nulla vi adhibita consumptus ignis exinguitur, & quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi auelluntur, si maiora, & cocta decidunt, &c. & infra, Sicut vitam adolescentibus vis offert: sic etiam senibus maturitas.* Huc

Basilius  
Imperat.

Hieronymus

Tullius

spectauit ille alius, qui mortis dentē acerbis fructibus comedendis haud stupere dixit, vt significaret iuuenes etiā immaturos ab ipsa iucundissime vorari.

Cæterum si vulgatam nostram lectionem expendamus, longe diuersam reddit sententiam, *De fructu oris homo satiabitur bonis*. Huius partis sensum supra dedimus cap. 12. vers. 14. vide ibi plura. Posterior vero sic nectitur cum priori. Is qui alios verbis suis consolatur, ipse solatia, & gaudia referet, & delectationem, quam aliis sermonibus suis impenderit, ipse gustabit, *Anima autem prauaricantibus iniqua*. Hebraicè, *mentientium*, aut *obloquentium*. Quapropter nomine prauaricatorum eos accipio, qui verbis suis aliis acerbi, & molesti sunt, quorum anima iniqua esse dicitur. Hebraicè, *molesta*: vel *iniuriosa*. Ipsi nimirum aliis alij iniurij sunt, & eorum iniuriz ad ipsos redeunt.

*III. Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.*

**7** **Q**UI custodit os suum. Hebraica non dissonant. Chaldaeus, *Qui tegit os suum, cauet anima sua*. *Qui autem inconsideratus est, &c.* Hebraicè, *Aperientia labia sua contritio*. Caiet. *Dilatanti labia sua*. Rodolph. *Laxanti*. Septuaginta, *Et qui temerarius est labiis, terreat seipsum*. Theodot. *confusio ipsius*. Chaldaeus, *Et qui aperit labia sua, terror emminet ei*.

Sententia est adeo luculenta, vt interprete opus non habeat: liber tamen vtramque illius partem ad trutinam vocare, *Qui custodit os suum, custodit animam suam*. Ex omnibus portis, per quas interitus ad animum penetrat, nulla est latior & amplior, quam lingua. Et quemadmodum ad vitam vrbs portam plurimam hinc inde feruntur viæ: sic etiam multis ex locis veniens mors, & interitus per linguam in animum ingreditur. Chrysof. homilia in Psalm. *Ad os (inquit) multa sunt via interitus, vt quando quis obscena verba loquitur, quando verbis scurrilibus utitur, quando vanam præ se fert gloriam, quando se magnifice iactat, &c.* Ergo quemadmodum cum pestis grassatur in vicinijs, portæ vrbs diligentissime oblitruuntur, & custodes præficiuntur, ne mors, pestisque subintret, & urbem inficiat: sic etiam os accuratissime custodibus muniendum, atque seruandum est, ne interitus, in animam penetret, *Qui enim custodit os suum, custodit animam suam*, id est, vitam. Ergo Chrysof. tria hæc, portas scilicet, aut feras, custodem, & clauem ad obserandum, occludendumque os adhibet. Et quidem oris fortissimam feram, & valuem adamantinam silentium esse dixit, atque illud validissime obfirmandum asseruit, ne vi aliqua effringi posset. At postmodum sic addit, *Et quemadmodum mihi iuuat domus, non vrbs, non mœnia, non portæ, non ostia, nisi sint, qui eam custodiant, & sciant quando oportet eam quidem claudere, quando vero aperire*. Ita etiam oris, & lingua nulla est utilitas, nisi sit ratio, cui scienter, accurate, ac circumspicte ea claudere, & aperire permittum est. Ratio ergo huius portæ custos, huic prudentia veluti clavis traditur. Nam post pauca adnectit Chrysof. *Os ergo nostrum perpetuo custodiamus, ei tanquam clauem prudentiam adhibentes, non vt perpetuo claudatur, sed vt conuenienti tempore referetur: nonnumquam enim silentium est loquela utilius, quemadmodum loquela quoque silentio*.

Rursum custodiam oris cum alicuius domus priuatæ custodia contulit Dauid, *Pone Domine custodiã ori meo, & ostium circumstantiã, & labijs meis*. Quam si-

mitudinem ab edibus sumptam docet ibi August.

**A** Item Plutarchus eam ædium similitudinem cum similitudine crumenæ arctius obligatæ copulauit, ad hunc modum, *Vt ad ostium carentium, & crumenarum absque vinculo nulla est utilitas: ita multo magis oris claustrum carentis nullus est usus*. Ad hæc S. Isaias Abbas orat. 12. de vino, & dolio similitudinem petiuit, *si dolij (inquit) os apertum fuerit, culices ingrediuntur, & vinum corrumpunt, idem accidit in multiloquio faceris, ac vanis sermonibus*. Quibus verbis multitudinem vanissimarum cogitationum quæ ex multa confabulatione excitantur, & animū ex-

**B** turbant, culicibus comparauit. Ad hæc Beatus Dadochus de perfectione spiritali cap. 70. ex balneo ad custodiam oris similitudinem transtulit: cuius verba supra dedimus cap. 10. liber tamen hic integram sententiam offerre, *sicut ianua balnei (inquit) si crebro aperiatur, cito calorem eius extrudit: sic anima cum multa loqui vult, quamuis valde pulchra sint omnem memoriam sui per vocale ostium distrabit, ac disturbat. Ex quo fit, vt tempestius, ac opportunis cogitationibus deinceps priuetur: ipsum vero cocersum cognitionum quodammodo tumultuose quibusuis præ-*

*ferat: quia non habet deinceps spiritum Sanctum, qui animam eius a visis extrinsecis oblati seruet. Bonum enim vt ipse ab omni tumultu, & imaginatione alienum verborum fugit. Præclara ergo res est silentium, nihilque aliud, quam mater sapientissimarum cogitationum.* Quid plura? Eccles. cap. 22. ait, *Quis dabit*

*labijs meis signaculum certum.* Aliqui quædam nomine signaculi sigillum intelligunt, & metaphorâ duci putant ab epistola quapiã, seu testamento ob-signato, & sigillis munito. Alij rursus claustrum quodlibet accipiunt. Vulgo, *Cerradura*. His assentior.

**D** Sed obseruanda est lectio originalis, quæ sic habet, *Quis dabit labijs meis signaculum astutum*. Et quidem astuta signacula merito dicuntur claustra quædam artificiosè tecta, & secreta, quæ nemo referare potest, nisi artificium prius didicerit. Eiusmodi sunt, quæ vulgo appellantur *Candados secretos*. Ex quibus alij circuli constant incisis literis, alij aliter efformantur. Ergo Ecclesiasticus optat quidem labijs suis astutum signaculum, seu claustrum quoddam secretum, quod quidem, non ira, non superbia, non leuitas, non simulatio aperire possit: sed sola ratio, ac prudentia illius referandi copiam habeat, & artem nouerit. Denique Philo Iudæus in hac custodia ipsam naturam imitandam esse docet, quæ duplici vallo linguam sepit, scilicet dentium, & labiorum. Nam ex reliquis sensibus nulli tam durâ, tam arctam, atque munitâ custodiam natura addidit: innuens quidem ad illam seruandam pluribus munimentis opus esse. Et quidem tanta, & tam seuera custodia ori ideo adhibenda est, quia *qui custodit os, custodit animam suam*, id est, vitam suam: nam sepius anima pro vita accipitur. Hoc autem in promissis est iuxta illud, *Si vis vitam, & diligis dies videre bonos, coerce linguam tuam à malo, & labia tua ne loquatur dolum*. Vel *custodit animam suam*, id est, cor ac mentem ab omni perturbatione, & labe.

**E** *Qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala*, id est, qui temere, & nullo delectu factis verba profundit, hic sane multa experietur incōmoda. Originalis habet, *Et qui aperit labia sua: vt respondeat posterior priori parti*. Quasi dicat, qui patulū semper habet os suum sine ostio, sine custode, sine vecte, ac sine clauē. Sane os per vices aperiendū & obseruandum est, vt ait August. in præfatum Psalm. 140. Nam ad illa verba, *Et ostium circumstantiã, &c.* sic addit, *Non dixit claustrum, sed ostium, quia ostium quidem, & aperitur, & clauditur, ergo si ostium est, & aperiatur, & claudatur, aperiatur ad confes-*

Plutarch.

Isaias. Abbas.

Dadoch.

Eccles. 22. um. 33.

9

10

11

August.

Chrysof.

8

fixam peccati, claudatur ad excusationem peccati, A  
 &c. Propterea Salomon eum carpit, quæ aperit la-  
 bia sua, & eadem vicissim non referat, atque illum  
 multa mala, & incommoda expecturum esse dicit,  
 vel potius malorum omnium vniuersitatem. Est  
 enim lingua procax ex Iacob. 3. Vniuersitas ( seu  
 mundus ) iniquitatis : quam sententiam alibi ex-  
 pendimus. Septuaginta habent, Et qui temerarius  
 est labiis terrebit seipsum, id est, terrori patebit : Sic  
 expressit Chaldaeus, Et qui aperit labia sua, terror,  
 aut paupor imminet ei. Existimo autem similitudi-  
 nem duci ab eo, qui ædes incolit ostio, ac vestibus  
 carentes, quem semper pauidum esse necessarium  
 est : nihil enim rei suæ factum, ac tutum habet.

Iacob. 3.  
 num. 3.

IV. Vult, & non vult piger : anima autem operan-  
 tium impinguabitur.

VULT, & non vult piger. Hebraicè, Concu-  
 piscens, & non (supple concupiscens) anima  
 ipsius pigri. Septuaginta, In desiderio est omnis otio-  
 sus. Chaldaeus, Desiderat anima pigri aliquid, &  
 non obuenit ei. Diuus Hieronymus epistola 8. In de-  
 sideriis est omnis anima otiosi. Symmachus concinit  
 cum nostra.

12

Anima autem operantium, &c. Hebraicè, Anima  
 sollicitorum. Septuaginta, Manus autem fortium in  
 sedulitate. Chaldaeus, Anima fortium.

Prior expositio est Hebræorum, qui lectionem  
 originalem sic edisserunt, Concupiscens, & non ani-  
 ma pigri : nimirum concupiscens, & non obtinens.  
 Nam solemne est socordibus desiderare diuitias,  
 fortunas, & felicitatem : sed tamen ob desidiâ nul-  
 las adhæc adipiscenda serias operas nauant : pro-  
 pterea nunquam assequuntur. Et quidem ad hunc  
 sensum pertinet trãslatio Chaldaica, Desiderat ani-  
 ma pigri aliquid, id est, diuitias ( ita enim dici solêt  
 aliquid. Hispanè algo, sic olim familiari sermone  
 opes nostrates appellabant ) & non obuenit ei, id est,  
 non assequitur. Reliquæ etiam translationes hûc  
 ad sensum alliciuntur haud inuitæ. Nam Septua-  
 ginta habent, In desiderio est omnis otiosus : quod  
 perinde est, ac si dicat : Piger, ac socors in deside-  
 riis, atque votis rerum sistit, nec vltra ad vota per-  
 ficienda pergat. Vulgata præterea lectio huic sen-  
 tentiæ inseruit, Vult, & non vult piger : vult quippe,  
 optatque impensius res, ac fortunas : & tamen non  
 vult industriam, & operas his parandis accommo-  
 dare. Hanc expositionem sequitur Caietanus, lan-  
 senius & Rodolphus : quæ mihi etiam non parum  
 arridet.

13

Sed in nostra translatione nescio quid maioris  
 emphasis subodorari mihi videor hoc modo, Vult,  
 & non vult piger, id est, piger totam vitam delibe-  
 rando transigit, modo volens, modo nolens, & nû-  
 quam denique decernit aliquam viuendi rationem  
 tenere, aut sectari, Anima autem operantium impin-  
 guabitur, id est, qui longas nimirum deliberatio-  
 nes præcindunt, & alicui operi sese addicunt, hi  
 sane diuitias, & bonorum omnium vbertatem nan-  
 ciscuntur. Quæ sententia non modo in tempora-  
 libus : sed etiam in spiritualibus bonis vera, & ger-  
 mana est. Pari ratione ad hunc modum vocare li-  
 cet translationem Septuaginta, In desiderio est om-  
 nis otiosus : manus autem fortium in sedulitate : otio-  
 sus videlicet, atque deses in desideriis diutius ma-  
 net, nec satis decernit, quid facto opus sit : at viri  
 industrii, atque solliciti manus suas sedulo operi-  
 bus accommodant. De socordia vero, & pigritia  
 sæpè aliàs diximus, & infrà, cap. 21. redit aliã huic  
 similis sententia. Vide ibi.

V. Verbum mendax iustus detestabitur : impius au-  
 tem confundit, & confundetur.

Verbum mendax iustus detestabitur. Hebraicè,  
 Verbum falsitatis. Septuaginta, Verbum in-  
 iustum odit iustus.

Impius autem, &c. Hebraicè ad verbum, Et im-  
 pius faciet foetere, & pudore afficiet. Caietanus, Et  
 impius faciet putrescere, & vituperare. Septuaginta  
 Impius autem confundetur, & non habebit liberta-  
 tem loquendi. Schol. Et ignominia afficietur. Sic  
 Chald. Confundetur, & erubescet.

Singularis est expositio Caietani, qui cum ad hûc  
 modum legendum putet, Verbum falsitatis odio ha-  
 bebent iustus : & impius faciet putrescere, & vitupe-  
 rare, sic demum exponit, Verbum (inquit) sapius  
 accipitur pro facto, atque opere in sacris literis :  
 atque adeo sensus est : Quodlibet opus mendax,  
 id est, simulatum, & fallax iusto inuisum, atque in-  
 gratum est, atque adeo illud coarguit, & serio re-  
 prendit. Contra vero impius delictis, & facino-  
 ribus aliorum conuiuens eadem contabescere, &  
 putrefieri finit, atque in dies in deterius abire. Pu-  
 trefacta autem iniquitas pœdorem emittit, scilicet  
 infamiã spirat. Hoc sibi vult illud, & faciet vitupe-  
 rare : hoc est scelus diffamabit, & probris, atque  
 conuitiis omnium exponet. Hanc existimo fuisse  
 Caietani mentem, quam ipse non parum obscure  
 tradit.

Mitto leuiorens alias expositiones, quæ quia parû  
 lepôrishabent, & à vulgata lectione recedunt, om-  
 nino refutandæ sunt. Subiicio autem duas interpre-  
 tationes, & optionem pariter do. Prima sic habet,  
 Verbum mendax odit iustus. Iusto mentiri quidem in-  
 iustum valde est, mendacium detestabile illi vide-  
 tur : quippe dedecus, quod ex illo euenire solet,  
 Impius vero, & confundit : aliis scilicet mendaciis  
 suis pudorem, & confusionem immittit : & vicis-  
 sim confundetur, quia vbi deprehenditur, ac dete-  
 gitur illius mendacium, pudore maiori suffunditur,  
 ac dehonestatur. Sic enim decet, vt qui alios men-  
 daciis, id est, detractione, & criminibus falso im-  
 positis polluit infamia & dedecore, & ipse detecto  
 mendacio dedecoris labem sibi accersat : vel alienis  
 ipse detractionibus, & falsis impositionibus pateat.

Quod autem legimus ex originibus, Impius autem  
 foetere facit : optime huic sententiæ accommodatur.  
 DetraCTOR enim bonum nomen, quod vnguentum  
 optimum suaue-olentia vincit (iuxta illud, Melior  
 est bonû nomen, quam vnguenta pretiosa) corrumpit,  
 atque suauem bonæ famæ odorem in tetrû infamiæ  
 ( si licet dicere ) foetorem commutat. Chrysost. ad  
 populum hom. 5. Si quis te prætereuntem stercus cõmo-  
 neat, nonne hoc facientem, contumelia, & conuitio af-  
 ficiet? Hoc fac, & circa detractorem : non enim sic com-  
 motû stercus illum foetorem suscipientem cartilaginem  
 percellit : sicut aliena peccata excussa, & cõmota, atque  
 vitia abiorû impura prodita audientium animas contri-  
 stare, & perturbare solet. Rursus alibi detractores cû  
 porcis componit, qui cœnû assiduo rostris versant,  
 & lutum mandunt. Non cernit ( inquit ) porcos cœ-  
 num edentes, ac voluentes : sic & isti detractores. Quid  
 enim facidius verbis, quæ contumeliosi loquuntur?  
 Hęc habet hom. 32. Adde Bernardum, qui verba illa  
 Eccles. 10. Muscæ morientes perdunt suauitatem un-  
 guenti : detractoribus accommodat, vtpote qui in  
 bonum alicuius nomen, ceu muscæ in vnguentum  
 incidentes, atque illud polluentes ipsi quidem in-  
 tereunt, & bonum bonæ famæ odorem corrup-  
 punt, & foetidum reddunt.

Chrysost.

15

Secundam expositionem nobis offert translatio Septuaginta, qui plane locum istum de adulatione interpretati sunt. Sic enim habent, *Verbum mendax odit iustus: impius autem non confundetur, & non habebit libertatem loquendi.* Iustus scilicet adulatorum fallacia, & fucata, verba odio habet, hoc est, nunquam adulatur, aut blanditur: quia cum ipse labe careat, libertatem habet corripiendi aliorum delicta. Ex aduerso impius confundetur, suis nempe deliciis pudebit. Atque adeo non habebit libertatem loquendi, quæ est assentationi contraria, id est, non audebit aliena crimina cortipere, aut reprehendere ea delicta, quibus ipse fortasse obstringitur. Ergo ad hunc sensum allicere licet vulgaram lectionem hoc modo, *Verbum mendax detestabitur iustus*, id est, ab omni fallacia assentationis, & sermonibus adulatoriis abhorrebit, *Impius autem confundit, & confundetur*: confundit quidem, quia dum aliorum crimina dissimulatione contegit, & adulationibus fouet, ipsos confusione exponit, quia prodica demum, & detecta, confusionem inuitabilem afferunt: & ipse etiam confundetur, tunc cum detecta fraude non amicus, sed assentator fuisse conuincetur: quod extremi pudoris, & erubescentiæ causa est. Denique lectio originalis, *Impius autem putrescere, aut fætere facit*: præfata sententiæ optime accommodatur. Correptiones enim, ac seueriores admonitiones cum sale conferuntur, qui carnes à corruptione, & sanie vendicat. Sic Diuus Chrysostomus in quadam Epistola, cuius verba supra dedimus cap. 10. *Sal* (inquit) *corruptionis in omni sacrificio acceptatur: sal corpora condit, &c.* Ergo sicut carnes nisi insperferis sale, ocyus tabescunt, atque fætent: sic etiam mores, si absit correptio, adulatione, & assentatione tabesciunt, ac fætent. Vel aliter, *Fætere facit eum*, cui blandiendo assentatur, quia illū omnibus inuisum reddit. Notus est hic modus dicendi alias in scriptura nō insolens. Exod. 5. *Videat Dominus, & iudicet, quia fætere fecisti odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius*: assentatio enim delicta fouet, hæc autem homini cunctorum inuidiam, & odium conciliant.

*11. Iustitia custodit innocentis viam: impietas autem peccatorum supplantat.*

17 *Iustitia custodit innocentis viam.* Hebraicè, *Iustitia custodit perfectum via.* Hæc quidem verba desiderantur in correctiori textu: Septuaginta tamen in Complutensi, & Regio leguntur hoc modo, *Iustitia custodit innocentes via.*

*Impietas autem, &c.* Hebraicè, *Et impietas peruertet peccatum*: abstractum pro concreto, id est, peccatum pro peccatore. Septuaginta, *At impios malos facit peccatum.* Symmachus, *Iniustitia vero attrahit peccatum.* Chaldaus, *Iniustus autem instabilis erit propter peccatum.*

Communis expositio ita fert, *Iustitia custodit innocentis viam*, id est, inchoata semel pietas innocentem virum præstat, & criminis expertem esse facit, *Impietas autem peccatorum supplantat*: quia vnum peccatum in aliud impellit, & casus vnus alterius ruinæ causam, & occasionem præparat. Non alia est mens Septuaginta cum aiunt, *At impios facit peccatum*, malos inquam, id est, deteriores: dum ex vno in aliud peccatum defert. Apertius loquitur Symmachus, *Iniustitia attrahit peccatum*: scilicet aliud, atque aliud. Sed tamen illud desiderandum est, an nomine iustitiæ, & impietatis probitas, vel improbitas in vniuersum accipiatur: an potius

A de illa iustitia, & iniustitia sermo sit, quæ in commerciis, & conuentionibus intercedit. Interpretes vulgo probitatem, & improbitatem in vniuersum intelligunt hoc sensu: Iustitia quidem, & probitas cum semel suscepta est, ipsa quidem per se alitur, & hominem in dies iustiore[m] reddit: augendaque pietatis plures occasiones ad ministrat, *Ipsa custodit innocentis viam*, hoc est, ipsa deducit illum per viam, ne aberret, ne exorbitet, ne impingens concidat. Origen. homilia 23. in Numeros, *Ex iustitia generatur iustitia, & ex castitate castitas. Si quis enim primo tenuiter castus esse ceperit, accepto castitatis fermento quotidie castior efficitur.* Et idem est de aliis virtutibus.

*Impietas autem peccatorum supplantat*, id est, multas cadendi occasiones immittit. Nam peccata alia ex aliis enascuntur, & semel qui cecidit, alias post alias ruinas necit. Nam cum homo in peccata per concupiscentiæ suæ declinem semitam feratur, ubi concidit, multiplicatis lapsibus ad ima voluitur. Vnde Gregor. Nazianz. in iambicis sic habet.

*Peccare volupe, ac decline admodum.*

*At semel ut in peccatum quisquam cecidit, quid hinc*

*Contingit? Haud iam sistitur,*

*Quoad in profundum gurgitem proceps ruat.*

Vtitur autem similitudine lapidis per declinem montem ruentis, qui nulla vi sisti, aut contineri potest. Id ipsum eleganti alia similitudine docuit Basilus in cap. 9. *Ita* (inquit) *circum finem, Ut enim* (inquit) *agrostus, (id est, gramen, vulgo lagrama) præ cateris herbis prolixus est numerosus, nec vnquam intermoriatur, nec desinit gignere ex sese, sed semper extremitas primitiua genitura origo est succedanea sobolis. Peccatum natura ab eiusmodi nihilo dissidet: peccatumque aliud velut congenitum per gradus excipit, seu fornicatio fornicationem, & ipsa assuescitio mendaciam mater fit mendaciam, & qui mentem diu exercuit ad furandum, nullo iam negotio aggreditur iniquitatem.*

*Quod enim prauertit illum occupare peccatum, illi fit occasio peccati alterius.* Addit etiam Basilus gramen istud per confessionem stirpitis eruendum: hæc enim nostri cordis telluræ arat, euoluit, & detegit, *Si igitur* (inquit) *per confessionem detexerimus peccatum, iam succrescens gramen arcescimus, &c.* Sed tamen expendenda est lectio Symmachi, *Iniustitia vero attrahit peccatum.*

E Quasi dicat, vnum peccatum aliud ad se trahit. Hanc vim peccati ad trahenda peccata similitudine magnetis, & ferri expressit Beda in ser. de Natiuit. *sicut magnes ferri: sic concupiscentia peccatum ad se trahit. Item ut ferri annulus magneti adherens alium leuat, & hic rursus alium, donec catena fit, sic peccata alia ex aliis pendet.* Lege Basilium ad illa verba Isaie 10. *Ve qui attrahitis iniquitatem in funiculo longo, & sicut vinculum plaustris, plaustris peccatum.*

Rursus lectionem illam Septuaginta, *Impios malos* (id est deteriores) *facit peccatum*, illustrant quidem verba Origenis, quæ cum supra scriptis conueniunt, *Qui semel* (inquit) *intra se peccati paruum posuerit fermentum, quotidie semetipso nequior efficitur, atque deterior, & ideo si vis agere azymorum festiuitatem cum Deo, ne paruum quidem malitiæ fermentum intra te residere patiaris.* Comparat enim peccatum fermento, quod vnum cum sit, omnes hominis mores permeat, & corrumpit.

Cæterum cum Salomon statim quædam ad diuitiarum rectum vsum spectantia subiiciat: crediderim sane hisce verbis de iustitia illa sermonem fieri: quæ in commerciis intercedit: atque adeo sensum esse, *Iustitia custodit innocentis viam, &c.* id est, qui iustitiam seruat, qui scilicet ex diuitiarum auaritate nihil contra ius, fasque agit, de cætero innocens erit:

Origen.

18

Nazianz.

Basilus.

Basilus.

19

16

Chryso.

Exod. 5.



radix enim malorum omnium est cupiditas: excisa autem radice arent rami, & germina, *Impietas autem peccatorum supplantat*, id est, iniustitia plurimarum ruinarum occasiones offert. Vel *attractum peccatum*, id est, multa peccata alia ex aliis necit omnibus modis supra dictis. Nam voluntas quaedam auida iure, vel iniuria augendarum opum copiosissimam culparum segetem, & ruinarum præcipites occasiones administat, *Impietas* inquam, id est, iniustitia, *peccatorum supplantat*, id est, ad plurimos lapsus impellit, alias ex aliis ruinas præparans, *Nam qui volunt diuites fieri* (scilicet spreto iure, & æquitate contempta) *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in multa desideria, &c.* nihil certius. Ad alia excurro.

Paul. 1.  
Timoth. 6.  
num. 9.

VII. *Est quasi diues, cum nihil habeat: & quasi pauper, cum in multo diuitiis sit.*

20

**E**ST quasi diues, cum nihil habeat. Hebraicè, *Et ditans se, & non omne*. Septuaginta, *sunt, qui dicant se nihil habentes*. Chaldaus, *Est, qui diuitem facit semetipsum, & nihil habet*.

Et quasi pauper, &c. Hebraicè, *Est depauperans se, & ubertas multa*. Septuaginta, *Et sunt, qui humiliant se in multo diuitiis sunt mendicantes*. Theodotion, *Est qui apparet mendicus*. Chaldaus, *Est, qui pauperem facit animam suam, & habet substantiam multam*.

Prior expositio est Caietani, qui illam particulam *quasi*, ad extenuandam significationem pertinere noluit, quod sæpe aliàs in scripturis accidit Ioann. 1. *Gloriam quasi unigeniti a patre*. Et alibi. Itaque ait, *Est quasi diues, hoc est vere diues, & locuples, cum nihil habeat*. Est nimirum homo aliquis, qui ex nihilo, id est, ex tenui admodum re in maximas industria sua opes euadit, *Et est quasi pauper, cum in multo diuitiis sit*. Est videlicet locuples aliquis, ac fortunis omnibus cumulatus vir, qui ob indutrig, ac sollicitudinis defectum amissis facultatibus in paupertatis angustias recidit.

Ioann. 1.  
num. 4.

21  
Paul. 2.  
Corinth. 6.  
num. 10.  
Chrysof.

Secunda interpretatio est Hugonis, & aliorum, quæ sic habet, *Et quasi diues, cum nihil haberet*: quia pauper sua portione contentus ditissimos quosque opulencia superat. Secundum illud Pauli 2. Corinth. 6. *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes*. Et Chrysof. hom. 1. in Psalm. 111. *Ha sunt* (inquit) *vel maxima diuitia, non egere diuitiis*. Et rursus, *Et est quasi pauper, cum in multo diuitiis sit*: quia fortunatissimus quisque quandiu plura afflictim exoptat, pauperie infelicissima vrgetur: nam diuitem non res, sed animus facit. Et quidem hi, quos vulgus diuites appellat, fere ex omnibus pauperissimi sunt. Chrysof. hom. in Psalm. 43. *Quemadmodum multi appellant cæcos* Græcè πολυκλή πορτος hoc est multum videntes, licet res nomen non sequatur: imò hi sunt maxime non videntes, quia eo nomine censentur: (non enim cæcus quilibet πολυκλήπων dicitur, sed qui prorsus nihil videt.) Ita etiam nomen diuitium hic dico circumferri ab his, qui nihil possident, quando enim hic diues fuerit, tunc eum scio maxime esse pauperem, nisi enim esset valde pauper, non valde ditesceret. Deposita ergo deceptione nominum veritatem arripiamus. Item Gregor. Nazianz. in Poëmate Iambico de comparatione vitarum sic habet.

Nazianz.

*Auidam diues amulans hirudinem,  
Quaedam tenens iam mente, quaedam cogitans:  
Oculisque rursus non bonis quaedam intinens:  
Quæd. in inani spe leui fingens sibi  
Per expetit a semper indigentior.  
Sed de hac hirudinis, vel languisugæ natura plura*

**A** dicemus cap. 30. vers. 15. Ad hæc orat. 28. de reditu in urbem sic addit, *Diuites irridebit, qui licet facultates suas quotidie augent, semper tamen pauperes sunt, quia pluribus in dies indigent, bibuntque, ut maiori siti accendantur*.

Tertia interpretatio Bedæ ad animi diuitias, vel inopiam spectat hoc modo, *Est quasi diues, cum nihil habeat*. Est videlicet homo, qui in tenuissimo censu ditissimus est, quia virtutibus, ac spiritualibus bonis copiosius affluit: est quoque alius, qui cum facultatibus multis abundet, infœlici admodum paupertate conficitur, quia virtutibus, & aliis spiritualibus bonis vacuus omnino est. Quasi dicat, non externa, sed interna bona hominem diem faciant. Testis est Paulus 1. ad Timoth. 6. cum ait, *Diuitibus huius seculi præcipe non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo vivo* (qui præstat omnibus omnia abunde ad fruendum) *bene agere, & diuites fieri in bonis operibus*.

Paul. 1. ad  
Timoth. 6.  
num. 17.

**C**æterum quarta expositio cæteris præferenda est: quam petere licet ex translatione Septuaginta, qui cum agnouissent verbum originale esse in *Huphsel*, quod significat actionem sui in seipsum, sic extulerunt, *sunt, qui dicant se nihil habentes, & sunt qui humiliant se in multo diuitiis*. Et quidem Hebræa, si verbum ex verbo reddas, sic conuertenda sunt, *Est ditans se, & non omne*, id est, & nihil (supple habet) *est & depauperans se, & ubertas multa* (supple est illi.) Possumus autem duplici modo exponere, vel ita ut pars vtraque in vitio ponatur: vel ita ut altera vitio detur, altera virtuti adscribatur. Prior modus est eiusmodi. Est aliquis homo nullius census, qui se tamen diuitem foris iactat, & opinione diuitiarum effertur: ex quo genere memorare licet multos, qui exhaustis omnibus facultatibus, tamen diuitias, & opes exterius simulant. Hos crumenis tumentibus, vento quidem, aut lana plenis contulit Plutarchus in Moralibus: quorum infœlicitatem nullus pro dignitate efferre queat. Quid enim infœlicius, quam diuitum sumptus, & amplitudinem in summa indigentia æmulari? Quapropter quidquid ad tuendam gloriam, & opinionem expendunt, de necessariis ad vitam alimentis plerumque detrahunt. Rursus alius homo est, qui etsi multis diuitiis copiosius affluat: se tamen pauperem foris mentitur, & paupertatis opinionem seruare contendit præ summa auaritia, ne cogatur sumptus ampliores facere: aut ne tributis amplioribus oneretur. Ex hoc etiam genere passim non pauci occurrunt, qui infœlicitate fortasse superiores vincunt. Nam cum multis affluent fortunis, his tamen nequaquam fruuntur, *Tantalicam* (vt Nazianzeni verbis vtatur in Epistola ad Basilium) *stis, & famem patientes*. Vel draconibus similes, qui asservandis thesauris præfici consueverunt: ipsi tamen illis non fruuntur, iuxta illa verba Apostolicarum Constitutionum iam inde supra adscripta, *Auarius locum serpentis sortitus est, quem aiunt in thesauro cubare*.

23

Plutarch.

Nazianz.

**P**osterior vero explicandi modus sic habet. Est non nemo, qui cum nihil habeat, perinde sit i amplos spiritus assumit, quasi ditissimus, & opulentissimus esset: nimirum pauper, ac superbus, quem Salomon vtique infestissime insectatur. Est rursus alius, qui eum diuitias immensas obtineat, nihil propterea sibi arrogat: sed perinde se demisse, atque humiliter gerit, ac si ne teruntium quidem possideret. Et sane ex omnibus expositionibus hæc mihi accommodatior videtur: tum quia exprimit vim illius particulæ *quasi*, quæ sæpius est nota similitudinis: tum etiam quia cum lectione Septuaginta apprimè concinit. Hanc expositionem tradidit

24

*Pseudo.* Pseudo August. in tract. de Gradibus abusionum, gradu 8. vbi sic ait, *Quasi pauper in multo diuitiis est diues, humilis spiritu, & nihil habens: quasi diues, est pauper superbus affectu: nobilis ergo inopia est mentis humilitas, & ineptia diuitia sunt animorum enormitates.* Et verus August. in ferm. 212. de tempore eandem interpretationem insinuat.

VIII. Redemptio anima viri diuitia sua: qui autem pauper est, increpationem non sustinet.

25 **R**edemptio anima viri diuitia sua. Hebraicè, **כופר** Chopper pretium adsignificat, quod ad recuperandam rem offertur. Septuaginta concinunt cum nostra. Aquila, Symmachus, & Theodotion *ἐξλάττω*, id est, *propitiatio*. Aliqui legunt, *Pretium anima*. Hieron. alicubi habet, *Redemptio animarum sunt propria diuitia*.

*Qui autem pauper est, &c.* Hebraicè, *Et pauper non audit increpationem*. Septuaginta, *Inops autem non sustinet comminationem*. Aquila, Symmachus, & Theodotion, *increpationem*, sicut nostra.

Ex Patribus non pauci in hunc locum inciderunt: illorum interpretationes subscribam. Prima ergo expositio est Hieronymi in Epistolam ad Lucinum, & in Ezechiel. cap. 40. & alibi, quam amplectuntur Hugo, & Lyra, *Redemptio anima viri propria diuitia*: externæ scilicet opes quantumuis maxima non possunt hominem æternæ morti eripere: iuxta illud Psalm. 84. *Frater non redimit, redimet homo, non dabit Deo placationem suam, & pretium redemptionis anime sue*. Cuius loci sententiam alibi erimus. Vaica igitur, & iusta redemptio, & compensatio animæ sunt diuitiæ propriæ, nimirum spirituales atque internæ: isthæ enim sunt maxime propriæ, reliquæ alienæ sunt, & peregrinæ.

*Psal. 84. num. 8.*

26 *Ambros.* *D. Hier.* *Dorothe.* *Dionys.* *Hieronym.* Secunda expositio Ambrosij in Psalm. 37. & eiusdem Hieronymi in Isaiam cap. 40. & passim alibi: & Dorothe. de vita spirituali Doctrina 12. cuius etiam meminerunt hic Hugo, Dionys. & alij, ad misericordiam spectat hoc modo, *Redemptio anima viri propria diuitia*, id est, diuitiæ quidem in pauperum vsus liberaliter profusæ, sunt quidem digna peccatorum compensatio, per quam anima in vitam à morte asseritur. Hæc enim opes tribus nominibus sunt propriæ. Primò, quia is, qui sua bona liberaliter erogat, vere eorundem Dominus est: qui autem parce, & auare seruat, eorundem potius seruus dici debet: quia non tam ille in suam ditonem opes trãstulit, quam ipse in opum potestatem transtulit. Sed hac de re non semel alibi. Secundò, quia illa tantum diuitias proprias homini appellare licet, quas in cælum transtulit, in quas fortuna, & casus nullam potestatem habet. Tertiò, proprias diuitias in compensationem animæ erogandas esse dicit, quia eleemosynæ fieri debent ex propriis, id est, ex iuste partis. Duas quidem extremas rationes complexus est Hieronym. in ea epist. ad Lucinum: vbi sic addit, *Possimus quidem diuitias intelligere, quæ de non alieno, non de rapinis sunt, iuxta illud: Honora Dominum de tuis iustis laboribus. Sed melior est intelligentia, vt proprias diuitias cognoscamus, thesauros in cælo repositos, quos nec fur possit suffodere, nec latro violentus eripere*. Et quidem ita postulat ipsa compensationis natura, vt satisfactio fiat quidem ex propriis. Quapropter haud temere dixit Salomò animæ redemptionem propriis diuitiis perfici. At enim qua ratione diues redimit animam suam propriis diuitiis: Succedat memoriæ id, quod ad ditissimum illum hominem horrea sua ampli-

**A**ficantem, & frumenta condentem dictum est apud Lucam, *Stulte hac nocte animam tuam repetent a te*. Luc. 12. num. 10. *Chrysof.* Constat enim ex his auari opes reponentis animam ingenti alicui debito obstrictam esse, quod tam seuerè exigitur, & tanta cõtentione repetitur. Quodnam hoc debitum est? Chrysof. *Diues* (inquit) *in periculum anime sue recepit opes: quapropter cum illas recondit, anima sua iacturam facit: cum autem largitur egenis, animam suam liberat, quia redemptio anime propria diuitia*.

Tercia interpretatio est Caietani, qui cū sic legat, *Pretium anima viri diuitia sua: qui autem pauper est, increpationem non audit*, sic demum explicat: homo quidem vulgo eo in pretio est apud homines, quo maior, aut minor est illius censu, & fortuna. Itaque diues suscipitur, & in pretio est propter ingentes opes: pauperis autem nulla ratio habetur, adeo vt diuites ipsum non alloquantur, & ne increpent quidem. Sed tamen durior est expositio ista: quapropter tres, alias & optionem do.

27

Quartã explicationem offert Rodolph. & ex hoc Ianienius, qui pauperis conditionem diuitiis præferri ex hoc loco tuincunt, *Redemptio anima viri diuitia sua*; nimirum si diues delinquat, si causam, vel litem habeat, & in ius vocetur (vocatur autem sapius ob inuidiã, quæ opulentiam semper insequitur) non sine multis pecuniis redimit, & cõpensat iniuriam. Nam iudices, magistratus, & alij ministri libentius eam perungent, à quo sperant se numos reportaturos. Ex aduerso, *qui pauper est, non sustinet increpationem*, id est, superior est pauperis conditio: nam cum pecuniis careat, nemo illi intemat litem, nemo illi accusat, aut in ius vocat, cum nihil inde emolumenti se ablaturum speret: iuxta illud Poëtæ.

*Ouidius.*

*Sic reus ille fere est, de quo victoria lucro esse potest, inops iudice facta carent.*

Et sane hæc interpretatio si ab humano foro ad diuinum transferatur, verior est. Nam diues quidem apud Deum, de multis accersitur criminibus: diuites enim fere multa peccant, quæ eleemosynis redimere, & compensare necesse est, ne extremo supplicio damnentur. Aut pauper cum in iudicio sistitur, ne increpationem quidem sustinet, quia paucissimorum, ac leuissimorum criminum reus esse conuincitur. Itaque pauperum causa longe melior est apud Deum, quam diuitum.

**E** Quinta interpretatio diuites quidem pauperibus præfert, sed duplici modo. Prior est, *Redemptio anima viri diuitia sua*, id est, si forte diues aliquid grauius admisit, id quidem pecuniis facile compensat, & liber euadit, *At pauper non audit, vel sustinet increpationem*, id est, non increpatur, quia scilicet ante correptionem damnatur. Quasi dicat, pauper ante contestationem litis, inaudita causa, punitur. Hanc etiam expositionem tradit Iansenius, & illustrat illo carmine Iuuenalis.

28

*Dat veniam coruus, vexat censura columbas.* Ita enim accidit. Nam coruos edaces, ac rapaces nemo insectatur: columbis autem simplicibus innumeræ parantur ab aucupibus insidiæ. Huc etiam spectat illud Terentij.

*Iuuenal.*

*Quia non rete accipitri tenditur, neque miluo, Qui male faciunt nobis: illis, qui nihil faciunt, teditur. Qui enim in illis fructus est, in illis opera luditur.*

*Terent.*

Rursus potest ad hunc modum hæc expositio confirmari. Si quid mali aduersus diuites intenditur, facile quidem obsistunt, superant & euadunt: adeo vt etiam si de anima, & salute agatur, pecuniis illam redimant. At pauper increpationem non sustinet, id est, sola increpatione consternatur, atque animo cadit: non enim audet obniti diuiti, aut illi contraire. Vel nomine correptionis, aut increpationis intelligit

intelligit hinc iniuriam, vel malum quodlibet incidens (vt non semel aliàs) hoc modo. *Non sustinet increpationem*: id est, facile iniuriis opprimitur, & illatis damnis conteritur. Hanc expolitionem tradit Hieronymus in c. 22. Ezechielis.

Hieron.

August.

29

Ad extremum Augustin. in sermone 213. de tempore sextam expositionem addit (& quidem lectionem Septuaginta expendens, quam sic ipse extulit.) *Redemptio animæ viri diuitiæ ipsius, pauper autem non suffert minas.* Nimirum diuiti quidem lux opes, & facultates vim addunt, & animos ad oblectandū, & resistendū malis quibusuis, atque incommodis. *At pauperes non sustinet minas*: id est, si pauperi homini minæ intenduntur, facile ad quoduis malū perpetrandū inducitur. *Quando illi dictū fuerit* (ait Augustinus) *ab aliquo potente, dic hoc verbū contra inimicū meū: dic solum testimoniū, vt eū, quē volo, opprimā, & donū dat, Forte negat dicens. Non facio, non mihi abduco peccatū: Sed tantū negatur, donec dines minari incipiat: nam pauper non suffert minas*: id est, vbi minas audiuit, facile vincitur, atque his perterritus ad quodlibet scelus facile inducitur. Quæ interpretatio etiam in vulgata verba cadit. *Pauper autem increpationem non sustinet*: id est, si à diuite increpari, aut corripi acerbius incipiat, veritus illius violentiam nihil non agit. Ego vero hanc interpretationem reliquis præferendam existimo, & Salomonem in hoc loco eò spectasse credo, vt suaderet fœcordiam abiicere, & industriam sollicitudinemque in parandis diuitiis ponere ob eximias utilitates, quas census affert, & ad vitanda paupertatis incommoda.

IX. Lux iustorum lætificat: lucerna autem impiorum extinguetur.

30

**L**UX Iustorum lætificat. Hebraicè: *Lux iustorum lætificabitur*: Reliqua non dissonant. Septuaginta: *Lux iustis perpetuo: lux autem impiorum extinguetur.* Chaldæus: *Lux iustorum exultabit.* Metonymicos, id est, exultare faciet tum ipsum, tum alios.

Dubium, & anceps est, quid lucis, ac lucernæ nomine accipiatur. Ego quidam nomine lucis cognitionem boni accipiunt, quæ mentem, animūque illustrat, vt sensus sit, *Lux iustorum lætificat*: id est, illustris cognitio, atque perspicua intelligentiæ æqui, & recti, qua iusti pollent, lucis instar ipsos persūdūt, lætitia implet, regit, ac ducit. *Lucerna autem impiorum extinguetur*: id est, tenuissimū videlicet lumen rationis, quo impii gaudent, tanquā lucernæ cuiusdā, exigua, & gracilis flamma restinguetur. Et quidem iam inde supra cap. 6. discrimē adscripti, quod inter illas voces אור & נר *Or* & *Ner* intercedit, *Or* enim maiorem quandam, & splendidiorē lucem adsignificat, qualis est dei lux: *Ner* vero lucem ex lucerna splendentē: vel vt aliis placet, *Or* quidem est lux ex cera micās: *Ner* autē est illa, quæ oleo alitur. Vt cūque autē se res habeat, sensus est: Iustis quidem illustris quædam, ac splendida cognitio boni inest: hæc autem in die saucta illorū mentē lumine, ac lætitia infundit: ex aduerso autē in sceleratis, atque impiis exigua cognitionis flāma, quæ lucernæ lumē non superat, paulatim tota extinguetur, & in tenebras abibit. Et quidē lucernæ lumē duo omnino extinguere solēt: scilicet flatus, & aqua insperfa, de quibus postea ex Chry-

31

**Paulus ad Rom. 1. n. 21. & c. 13. num. 12.** *Quia cū cognouissent Deū, non sicut Deū glorificauerūt: sed euauerūt in cogitationib. & obscuratū est insipientis cor illorū, & putantes se esse sapientes*

Tom. 1.

**A** *Stulti facti sunt.* Secundò deliciarū, & voluptatū aqua. Nihil enim equè rationis lumē perimit. C. 13 eiusdē Epist. *Abiciamus* (inquit) *opera tenebrarū, sicut in die honeste ambulemus.* Opera scilicet illa, quæ menti tenebras offundūt, & lumē illius extinguunt: hæc autē sunt delitiæ, & luxus. Addit enim, *Non in cubilib. & impudicitis: non in cōmessionib. & ebrietatib. &c.* Et quidē sicut lucerna, quæ aqua insperfa extinguitur, difficile admodū iterū accēditur, quia humor aqueus ab stupra ebibitus flammā respuit: sic ratio voluptatibus, & luxu extincta difficile admodum recepta luce instauratur, quia animus deliciarū humore captus ignē & flammam ægrè concipit. Ergo Ambrosius in libr. de vita Abraham, vtrūque extinguendæ rationis modū attigit paucis. *Lumē* (inquit) *illud, quod homini à Deo cū mente inditū fuit, superbiæ flatu, & voluptatis humore sopit.*

Ambros.

Secunda expositio per lucē aut lucernā consiliū, ac doctrinā accipit, & sēsū ad hunc modū efformat. *Lux*: id est, consilia, adhortationesque clarissimæ, & splēdidissimæ iustorū lætificant animos, & mētes collustrant auditorū *Lucerna autem impiorū*: id est, eorūdem consilia, & hortamēta citius extincta, & sopita pereūt: scilicet apud eosdē auditores. Itaque inter documēta illa, quæ à piis hominibus profiscuntur, & ea, quæ ab impiis, hoc interesse docet Salomon, quod illa quidem lucis instar micantissimæ illustrant, & exhilarant animos audientiū: hæc autem tanquam tenuissimum lucernæ lumen breui extincta eosdem in tenebris dimittunt. Nescio enim qua ratione Doctoris monita ab eiusdem moribus accenduntur, & inextinguibili quodam splendore donantur.

32

Tertia interpretatio aliter lucis, & lucernæ nomina accipit: scilicet per lucem, gratiā, & iustitiam: per lucernam huius vitæ fœlicitatē capit, & totam sententiam hunc ad sensum vocat. *Lux iustorū lætificat*: id est, iustitia illorū semper lucet, atque vicissitudinē tenebrarum ignorat (nam ipsis morientibus nequaquā migrat in tenebras) lucerna vero impiorū: id est, fœlicitas, qua impij fruuntur in hoc sæculo, cū tenebris cōmutatur. Nā simul atque interierūt, ab hac luce in exteriores illas tenebras abeunt, vbi flatus, & stridor dentium perpetuo agitur. Hæc sane probabili coniectura dicere alij possent. Ceterum in aliam adducor ego sententiam.

33

Quarta igitur interpretatio per lucis, ac lucernæ nomen, famam, fortunam, ac fœlicitatem huius vitæ intelligit, atque sententiam sic cōfirmat. *Lux iustorum lætificat.* Hebraicè, *lætificatur*: id est, augetur (supra enim obseruauī c. 10. vers. 1. verbum *lætificat*, aliquando incrementum notare: nam Hebræi, *Palmum magnum, latum palmum*, seu *ridentem* appellitant: lege ibi alia.) Rursus per lucem in scriptura sacra fœlicitatem notari nemo nescit. Itaque sensus est, lux, id est, fama, fœlicitas, & secunda fortuna iusti, quam externa bona cōciliant, augetur, & amplificatur in dies. Illud ergo *lætificat* causaliter capiendum est: quia lux, quo maior, ac splendidior est, eo maiorem lætitiā affert. Nec augetur modo fœlicitas iustorum: sed etiam nunquam infœlicitas vicissitudine commutatur. Hanc vim habet lectio Septuaginta. *Lux iustus perpetuo*: id est, nunquam interrupta, aut tenebris interpolata illis lux affulget: constātī scilicet, ac perpetua quadā fœlicitate vtatur. *Lucerna autem impiorum extinguitur*: scilicet eorum nomen, fortuna, & fœlicitas deficiet, ac peribit. Similia verba sunt apud Iob c. 18. *Nonne lux impij extinguetur, nec splendebit flāma ignis eius? Lux obtebrascescit in tabernac. eius, & lucerna, quæ super eū est, extinguetur.* Reperit, quidē in hoc loco, quæ admo-

34

Iob. c. 18. num. 5.

R r

Isaiæ 43.  
num. 17.

35

Nonius.

August.

36

Chrysof.

57

dum apud Iob verbū דגבאח *Dezbach*: quod quidem, vt peritiores linguarū obseruāt à verbo חבאח *Chabach*: in eo distinguitur, quod hoc significat vt cumque extinguere: illud autem proprius est opprimere, seu opprimendo extinguere. Vnde dicitur Isaiæ 43 *Cōtriti sunt, quasi linum, & extincti sunt*: vbi vtrumque verbum occurrit. Itaque verbum *Dagbach* significat quidem iniecto pede, aut inspecta aqua ignem opprimere, aut suffocare. Nec modo apud Hebræos id discriminis inuenitur: sed etiam apud Latinos quædam differentia accidit inter verba *opprimo, & extinguo*. Quæ agnouit Nonius Marcellus. *Inter extinguerē (inquit) & opprimere id interesse Cicero voluit de amicitia, vt sit maius opprimere, quam extinguerē. Quamobrem primum danda opera est, ne qua amicorum dissidia fiant: si tamen tale aliquid deuenit, vt extincta potius amicitie, quam oppressa videatur: quasi quod extinguitur, possit renouari: quod autē opprimitur, non queat.* Hec ille. Ergo cū Salomon ait: *Lucerna impiorum extinguetur, vel potius opprimetur, perinde est, ac si dicat: felicitas impiorum ita deficiet, vt deinceps instaurari non possit, sicut lucerna, quæ aqua iniecta opprimitur, & postea ignem ægrè concipit, aut quæ appposito pede teritur: quod significat impium ita suppeditandum, & obterendum, vt non amplius emicet, ac splendeat. Ad hæc lucernam impiorum aliter extingui docuit Diuus Augustinus in Psalmū 100, scilicet detracto alimento. Nam gloria, & felicitas impiorum ex fortunis, atque diuitiis perinde emicat, sicut ignis flamma ex oleo splendet in lucerna. Quæ propter sicut lucerna ignis suffurato oleo interit: sic etiam impii gloria ablati, ac direptis opibus, quibus ipsa alitur, statim deficit.*

Aliter etiam lucerna extingui solet, nimirum euentilatione, & flatu. Et sane cum D. Chrysofostom. in 1. ad Theffalonicen. cap. 5. præmissos modos extinguendi luminis complexus fuisset, flatum quidem ad contumeliam, & diffamationem retulit, quæ sic gloriæ alienæ splendorem hebetat, sicut flatus lucernam restinguit. Et quidem licet ibi Chrysofostomus de spiritus Domini extinctione agat: tamen comparatio, qua ibi vititur, ad nostrum institutum venuste inuerti potest: *Os (inquit) est ostium claudere & obseruare, vt & lucem præbeat, & externam repellat irruptione. Vt si (exempli gratia) te contumelia affecit aliquis, ac maledicto appetiuit, os claudere. Nam si aperueris, ventum excitas, & ventilas, Non vides in edibus, quando ex aduerso, & directe steterint due ianua, sique ventus vehemens, si alteram claueris, nihil potest ventus: sed magna pars virium eius præciditur. Ita nunc quoque due sunt ianua, os tuum, & os eius, qui te contumelijs afficit, & conuictijs: si tuam claueris, & flatum aduersum non dederis impetum retrahat: si autem aperueris, non potest coherere.* Hec ille. Cogita ergo impii gloriā inter innumera obloquentium ora, quasi lucernā inter plurimas ad apertas, referatas, & sibi aduersas ianuas, conuictijs, contumelijs, detractionibus, & probris, quasi ventis hinc inde flantibus patere (nam impiorum mores, & scelesti vita hos flatus sibi accersit. Ergo necesse erit, vt quam citissime extingatur, & pereat. Merito ergo Salomon ait: *Lucerna impiorum extinguetur*: cum tot simul res ad illam extinguendam conspirent.

Ex aduerso autem: *Lux iustorum lætificat*, id est, felicitas illorum fama, & bonum nomen nunquā deficit: sed in dies incrementa capit, quia istiusmodi aduersarios ignorat. Illud denique addiderim impiorum gloriam, & felicitatem, vel eo maxime restingui, & perire, quia illam ipsi tantopere ostentant, & publice venditant: ceu lucerna, quæ si pa-

lam in loco editiori sine pharo, aut lucerna ponatur, citius flatu ventorum sopitur. Sic quidem ex Neotericis non nemo contemplatus est ad illa verba Iob supra adscripta. *Et lucerna, quæ super ipsum est extinguetur*, id est, vel ex eo maxime extinguetur, quia super ipsum est: nam omnis venditatio, & ostentatio gloriæ, conuictiorum, & maledictorum flatus sibi accersit. Quicumque igitur gloriæ, atque boni nominis luce fulges, laterna vttere, aut pharo: fac scilicet, vt hæc tua lux lateat: sic enim tibi, atque aliis opportunos radios afflabit, & nunquam extinguetur. Sed ad huius versus intelligentiam ex sequenti carmine aliquid petendum est. Lege attentius.

X. *Inter superbos semper iurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.*

**I**TER Superbos semper iurgia sunt. Hebræicè: *Vere superbia dabit liem, & cum consultis sapientia.* Caietanus: *Tantum in superbia dabit liem.* Septuaginta ante sententiam istam aliam præmittunt ad hunc modum: *Anima dolosa errant in peccatis: iusti autem miserantur, & misereantur, quæ in nostris vulgatis paulò post subiicitur: ac postmodum superiorem versus paulò aliter expriment: Malus cum contumelia agit mala: qui autem sui ipsorum cognitores, sapientes. Chaldaeus: Attamen in superbia venit contentio: et hi, qui consilium ineunt, sapientes sunt.*

Præmittenda quidem est expositio, & concordia eorum verborum, quæ in textu Septuaginta præponuntur: *Anima dolosa errant in peccatis: iusti autem miserantur, & misereantur*: quibus nihil quidem in originibus respondet. Vide tamen, an Septuaginta hæc verba ad exponendam superiorem sententiam addiderint, Nam sicut alias non semel dixi, Septuaginta, cum Prophetæ essent, vtabantur nonnunquam iure suo, & quædam ex Spiritus sancti afflatu addebant: quæ ad aliorum intellectū facere posse videbantur. Ergo cum Salomon scripsisset: *Lucerna impiorum extinguetur*: huius hemistichii vim Septuaginta illis verbis expresserunt: *Anima dolosa errant in peccatis suis*, id est, extincta luce in suis peccatis, velut in densissimis tenebris decerrant, impingunt, & corruunt. Illa verò: *lux iustorum lætificat*, sic illustrant: *Iusti autem misericordes sunt, & misereantur.* Existimo enim Septuaginta in his verbis similitudinem duarum lucernarū agnouisse, quarū altera addito oleo innutritur, & flammā alit: altera verò detracto oleo sopitur, atque interit: has verò ad misericordiæ usum retulisse.

Nihil autem obuium magis apud sanctos Patres, quam misericordiam cum oleo, quo lampas alitur, conferre. Hoc fere sensu exponunt decem Virginū lampades: ex quibus quinque olei inopia consopitæ sunt: alia item quinque propter olei copiam splendaerunt. Lege Chrysofostomum, Authorem Imperfectum, Augustinum, Hieronymum, Theophil. & alios super eam parabolam. Ergo Septuaginta animas dolosas appellant auaros, & fordidos homines, qui dolo, & fraude alienis inhiant, & de suis nihil donant. Hos verò in peccatis suis temere errare dicit, nimirum luce extincta. Nam cum oleū misericordiæ in his deficiat, lux illa interna, qua mens dirigitur, statim deficit. Chrysofostom. in Epistol. 1. ad Theffalon. ad illa verba: *Spiritum nolite extinguere*: sic addit: *Sapere autem contingit, ut etsi nihil irrumpat, extingatur flamma, cum defecerit oleum. Quando eleemosynam non facimus, extinguitur spiritus: extincto autem spiritu erratis sicut in nocte, qua non lucet luna.* Hec ille. Ob eam causam iusti quidem. Et mi-

Chrysof.  
Aut Imp.  
August.  
Hieron.  
Theophil.

Chrysof.

ferantur, & miserentur, id est, copiosissime, atque liberalissime misericordiam erga pauperes exercet: ut huius olei copia lucernas eorum assiduo alat, ac luce splendenti tenebras discutiant, nullibi errent, aut impingant. De similitudine misericordiae, atque olei alibi nobis dicendum erit. Quod autem additur: *Iusti, & misericordes sunt, & miserantur*: Græcè habetur *δικαιοσύνη καὶ ἐλεῶσι*, quæ verba anticipata sunt: licet enim sic vertere, ut utrumque actiuum sit. Sic fere exponunt interpretes, & Hebræorum phrasim agnoscunt, qui ad augendam significationem, nonnunquam verba congeminant, ut perinde sit: *Miserentur, & miserantur*, ac si diceret: miserendo miserantur, id est, copiosissimo, & sine modo aliquo misericordiam exercent. Rursus possunt verba Græca aliter efferri hoc modo: *Iusti autem & miserentur* aliorum, & alios etiam ipsorum miserescit, id est, ipsos, qui de misericordia aliorum capit: & alii vicissim eorum miserentur: vel certè ipsi in alios misericordiam exercent, atque vicissim Deus in illos misericors est. Prior tamen expositio accommodatior est. Pergo ad sequentia.

*Inter superbos semper iurgia sunt.* Huius prioris partis sensus luculentus est. Id est, inter superbos rixæ, lites, & contentiones suboriuntur innumeræ: nam cum superbi alios præ se contemnant, & aliis præire, & antestare velint, pluribus inter se dissidiis confligunt. Quid certius? Pseudo Chrysostomus homilia 9. in Matthæum: *Nurix dilectionis humilitas est, & totius mali odij superbia.* August. in Epistola 120. ad Honoratum de gratia noui Testamenti: *Ideo (inquit) in unicornibus superbi intelliguntur, quia superbia odit omne consortium.* Propterea David ait: *Et à cornibus unicornium humilitatem meam.* Hebræa quidem ad verbum sic habent: *Superbia dabit litem*, id est, pariet contentionem: id enim significat modus ille loquendi, ut aliàs animaduerti. Itaque sensus est: superbia parturit lites, & dissentiones. Audi rursus Augustin. de Pastoribus, in cap. 34. Ezechiel. cap. 10. *Alia secta (inquit) in Africa, alia heresis in Oriente: alia in Egypto: alia in Mesopotamia, verbi gratia, diuersis locis sūt diuersæ: sed una mater superbia omnia genuit, nec mirum si superbia parit dissensionem. Hac enim eius germana soboles est.* Superbia quidem mentis, velut alneustumens innumeras sepe vno partu lites edit. Vel aliter dabit litem. Nam id quidem interest inter superbum, & humilem, quod humilis patitur litem: superbus autem dat, id est, intentat, atque imponit aliis.

*Qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.* Dubium est, quomodo hæc posterior pars cum priori innodanda sit. Iansenius, & Rodolphus putant quidem hic iurgia, & rixas superbis propterea adscribi, quod sibi plurimum tribuant, & aliorum consiliis minime acquiescant, quæ illis pacem, & quietam vitam suadent: atque ad eam accommodatè subiici eos, qui omnia cum consilio agunt, sapientes esse: quia prudentum monitis parentes pacem sectantur. Sed tamen hic nodus laxus est. Vtique Septuaginta interpretes nodum astrinxerunt, qui locum istum hunc ad modum transferunt: *Qui autem sui ipsorum cognitores sapientes.* Itaque quos Hebræica Biblia vocat *נוגהים* *Nogahim*, id est, *consultos*, Septuaginta, *sui ipsorum cognitores*, conuerterunt, id est, humiles, quorum est se ipsos, id est, suam infirmitatem, & demissam conditionem agnoscere. Ergo ait, qui semetipsum agnoscunt, hi soli sapiunt. Bernardus sermone 37. in Cantica hanc sui notitiæ, cui humilitas sæpe coheret, pluribus extollit, atque omnis sapientiæ initium esse dicit: & inter alia sic addit: *Si nostri nos ignorantia tenet, quomodo humiles erimus, putantes nos aliquid esse, cum*

*nihil simus? Si ignorantia Dei nos tenet, quomodo sperabimus in eum, quem ignoramus? Inuere ergo nunc maxime quanta sollicitudine ambas istas repellere a nobis ignorantias debeamus, quarum omnis peccati altera initium parit, altera consumationem: sicut duarum est regione notitiam initium sapientiæ una, perfectionem altera gignit.* Consonat etiam illud Demonacis respõsũ, cuius meminit Maximus locorum communium sermone 30. qui interrogatus, quãdo cæpisset philosophari, ac sapere, sic occurrit: *Posteaquã capi nosse me ipsum.* Cæterum ut lectio Septuaginta cum nostra etiã cohærens sit, addo eum, aliud Thaletis respõsũ apud eundem Maxim. qui rogatus quid esset maxime difficile, respõdit: *Nosse se ipsum.* Iterum autem quæsitus, quid esset maxime facile, addidit: *Alios admonere, & aliis consilia dare.* Itaque hoc posterius illi priori obiecit, atque opposuit, putans scilicet ad notitiam sui ipsius spectare, consilia aliorum libenter audire: ad ignorantiam verò dare. Nã cum is, qui alios monet, aut corripit, omni labe carere debeat: hinc est, ut qui semetipsum penitus agnouit, multorum criminũ sibi conscius alios admonere non audeat, & aliorum monita libenter excipiat. Quemadmodum è cõtra, qui seipsum ignorat, aliorum consilia, & adhortationes iniquo animo fert: ipse verò aliis consilia libentissime dat. Ergo pro his, quos Septuaginta sui ipsorum cognitores appellarunt, noster vulgatus haud immerito addidit: *Qui autem agunt omnia cum consilio:* id est, qui de rebus, quas acturi sunt, libenter aliorum consilia auscultant.

Quapropter existimo in hoc loco non de quibuslibet in vniuersum iurgiis, aut rixis agi: sed tantum de his, quæ in consultationibus rerum agenda eueniunt: ita ut sensus sit: *Inter superbos semper iurgia sunt*, hoc est, cum superbi de re aliqua deliberant, dum suum quilibet consilium aliorum consiliis, ac placitis præponit: multæ quidem suboriuntur contentiones, ac iurgia: *Qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia*, id est, qui ex humilitate, & animi sui deiectione posthabitis suis consiliis de aliorum consilio, & opinione cuncta gerunt: hi quidem sapientissime, ac prudentissime res administrant: inter hos nullæ oboriuntur discordiæ, nullæ sunt discrepantes sententiæ: nullus enim ita adhæret suæ, ut perispecta ratione alteri libens non cedat.

XI. *Substantia festinata minuetur: qua autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.*

*Substantia festinata minuetur.* Hebræicè: *Affluentia ex vanitate minuetur.* Septuaginta: *Substantia festinata cum iniquitate minor fit.* Chaldæus: *Opulentia iniquitate possessoris acquisita minuetur.* Aquila: *Substantia ex vacuitate, &c.*

*Qua autem colligitur manu, multiplicabitur.* Heb. *Et congregans seque ad manum multiplicabitur.* Caietan. *super manum.* Sept. *Congregans autem sibi cum pietate multiplicabitur.* Chald. *Et qui congregat, & dat pauperi, multiplicabitur.*

Caieta. quidem originalem amplexus lectionem duas offert interpretationes: ex quibus alteram sic cõformat: *Substantia ex vanitate minuetur:* docet autem illud ex vanitate referri quidè ad substantiam, ut sensus sit. *Opes in vanas, atque inanes res expensa, seu perfolæ, ocus minuentur, ac deficient: Et colligens super manum multiplicabitur,* id est, qui partasiam industria sua facultates asseruat, & insuper industria, ac iusto labori non parcat, rem suam

augebit amplifcabitq; Et sane ad hunc sensum al-  
 lici potest translatio vulgata: *Substantia festinata*  
*minuetur*, hoc est, substantia, quam profusus homo  
 sumtibus magis festinat, quantumuis ampla fit, ci-  
 tius decoquetur: *Festinata autē* dici potest temere,  
 & sine ratione insupta, hoc est: *Hazianda que se*  
*gasta sine uenta, yrazon, presto se acabara*. Hinc nata  
 est illa parœmia: *Largitio non habet fundum*: que (vt  
 author est. Tull. li. 2. de Officiis) significat stulta li-  
 beralitate quantalibet opes breuissime exauriri.  
 Ducitur autē similitudo à dolio, quod ab inferiori  
 parte pertusum est: atque adeo nihil retinet, sed ci-  
 tissime omnia effundit. Sed tamen eruditissime,  
 nescio quis similitudinē sorbi ad prodigalitē trā-  
 stulit hoc modo: *Sorbo* (inquit) *uniuersa folia simul*  
*decidunt* (ita docet Plin. l. 16. c. 15.) *cū ceteris arbori-*  
*bus paulatim id accidat. Ita quidā subito nudantur,*  
*& sua bona profunt festinatis expensis, cum sensim*  
*id fieri oporteret.* Eapropter subdit Salomon: *Qua*  
*autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.*  
 Quæ uerba, vt ad superiorem sententiam euocen-  
 tur, sic edifferenda sunt. Substantia autem, quæ  
 paulatim contracta manu expenditur, non modo  
 non deficiet: sed etiam susceptis incrementis in  
 dies amplifcabitur. Sed tamen hæc uerba ad eum  
 sensum non sine vi trahi uidentur.

44

Ergo reliqui interpretes locum istum sic expo-  
 nunt: *Substantia festinata minuetur*. Hebræicè. *Sub-*  
*stantia ex uanitate*, id est, quæ quæ perfrandit, &  
 iniuriā quæ sita est. Est enim pro uanitate *חבל* *Hab-*  
*bel*, quæ uox iniustitiam etiā & impietatem aliquā-  
 do sonat: noster uerò interpres *substantiam festina-*  
*ram* dixit, id est, festinato partem: nam fere illi, qui  
 subito diuites euadunt, illicitis artibus lacra pariūt.  
 Ideo subdit. *Quæ autem paulatim manu colligitur,*  
*multiplicabitur*, i. quæ sensim longo tempore, &  
 cunctatis augmentis, industria, & labore iusto cō-  
 paratur, huic in dies magnæ accessiones fiūt. Qua-  
 propter eiusmodi incrementa subita cum lacte cō-  
 tulit Plutar. quod subito feruore augetur igni ap-  
 positū: cuius pars magna in spumas abit, & per ca-  
 di labia dilabitur, & simul atque ab igne separatum  
 est, subsidet, imminutum, cōsumptumque apparet.  
 Quadrat autem isthæc comparatio in hunc locum,  
 quia Græc. habet *ἡμῶν ἡμῶν* quod quidam  
 (vt author est Ioan. Picus) transtulerunt: *Sub-*  
*stantia efferuescens minuetur*: eodem sanè sensu, sed  
 uenusto admodū schemate. Nam sicut aqua, vel  
 quilibet alius liquor iuxta ignē ex feruore subito  
 augetur, & intumescit (sed tum maxime lac, quod  
 præ ceteris liquoribus ex feruore attollitur) sed ta-  
 men feruore ipso cōsumitur: quod statim apparer,  
 vbi detractō igne feruor detumescit, & ad se redit:  
 pari ratione opes, quæ subito attollūtur, & præter  
 omnem modum excrefcunt, pauld post ueluti de-  
 feruētes imminutæ uidentur. Sic uideas possim ho-  
 mines, qui à commerciis, aut quæstibus, quibus eo-  
 rum copiæ fallaci quodam feruore intumescēbant,  
 excidentes ad maiores angustias redunt.

45

Cæterum licet præmissæ expositiones mihi pro-  
 bentur: tamen aliam subiiciam, quæ accommoda-  
 tior, & cū textu originali cocinnior uidetur. He-  
 bræa ergo sic habent: *Substantia ex uanitate mi-*  
*nuetur*. Sym. ex *uacuitate*, id est, quæ nullo labore,  
 aut industria constitit possessori suo: quia illam vel  
 à maioribus accepit, vel subita aliqua fortuna na-  
 ctus est. Et quidem hanc (ex mea sententia) noster  
 interpres uocauit festinatam, acceleratam, vel subita-  
 tam substantiam, quam sine industria sua, aut labo-  
 re quis subito percepit. Hæc igitur imminuentur,  
 quia opes illas, quas quis sine labore obtinuit, mi-  
 noris æstimat: atque adeo temere profundit: *Quæ*

**A** autem appellatim manu colligitur, multiplicabitur.  
 illa uidelicet substantia, quæ longo tempore manu,  
 id est, labore & propria industria cōquiritur, haud  
 temere expenditur: quin potius in dies amplifica-  
 tur. Nam qui illam eo modo acquisiuit, maximi  
 quidem habet: atque adeo parcè infumit, & cumu-  
 latius quotidie augere curat: *Substantia itaque fe-*  
*stinata minuetur*. Hinc sanè decoctores patrimo-  
 niorum, qui opes à maioribus acceptas breui tem-  
 pore dilapidāt, in quos quadrat quidem illa alia le-  
 ctio: *Substantia efferuescens imminuetur*. Nam uelut  
 aqua, uel lac ex feruore per cadi labra effluit, & tota  
 in spumas abit: sic eorum substantia profusus in uan-  
 nas, & inanes res magnis sūptibus, dissipatur: ideo  
 decoctores merito appellantur: decoquere enim  
 nihil aliud est, nisi coquendo infumere. Huc et-  
 iam spectat illud Threuir: *Aer* (inquit) *qui sū-*  
*mo mane precociter eleuat nebulā, & nubes, fere affi-*  
*timā prædico pluuiā mittit: sic non solēt retinere filij,*  
*quod congeserunt patres auari.* Id est, sicut nubes,  
 quas mane eleuat, & cogit, uespere excidunt so-  
 luta, & dissipata in pluuiam: sic etiam opes, quas pa-  
 rentes coegerunt, & coaceruarunt, filij succedētes  
 profundunt, atque dissipant. De industria autem  
 addit illud à prandio, quia istiusmodi opes filij lar-  
 gioribus epulis, & luxuriosa conuersatione ple-  
 rumque infumunt.

Threuir.

**C** Ad extremū accipe censurā Chaldaicę transla-  
 tionis: quæ extrema uerba sic extulit: *Et qui cōgre-*  
*gat, & dat pauperib. multiplicabit.* Nā illud, quod  
 in originibus est: *& congregans ad manum*: perinde  
 existimauit Chaldæi si diceretur congregas ad lar-  
 giendum, & erogandum manu: atque ideo ad ele-  
 mosynam transtulit. Fortasse etiam ob eam quidē  
 causam Septua. post præmissa uerba alia subtexue-  
 runt, quæ non respōdent originibus, nimirum hæc:  
*Iustus miseretur & commodat.* Excurro ad alia.

46

**XII. Spes, qua differtur, affligit animam  
 lignum uita desiderium ueniens.**

**S**pes, qua differtur, affligit animā. Heb. *Spes pro-*  
*tracta infirmitas cordis, uel aegritudo cordis.* Sep.  
*Melior qui incipit auxiliari corde, illo, qui promitti-*  
*ti, & in spem adducit.* Chald. *Melior est qui proicit*  
*sarculum suum, illo, qui pendit in spe.*

47

*Lignum uita desiderium ueniens.* Hebr. *Arbor uitæ.*  
 Sept. *Arbor uita desiderium bonū.* Chal. *Et arbor ui-*  
*ta adducit desiderium.* Quod uero attinet ad trāslatio-

**E** nē Sept. totus iste uertus desideratur in quibusdā  
 codicib. scilicet in Cōplutēsi, Regio, & aliis: tamen  
 in correctioribus Bibliis exhibētur, vt supra iacet.

Ex interpretib. Hugo, & Beda hæc uerba, vt Io-  
 nāt, ad spē bonorū æternorū trāstulerunt hoc modo:  
*Spes, qua differtur, affligit animā*, scilicet iustorū,  
 nimirū pro dilatione bonorū, quæ sperant (inquit  
 Beda) uel pro illatione malorū, quæ interim dilata  
 beatitudine tolerant: utrūque enim angit, & cruci-  
 at animū. Quātus uerò sit angor iste, & cruciatus,  
 docuit Paulus exemplo parturientis fœminæ ad  
 Rom. 8. *Scimus enim quod omnis creatura inge-*  
*miscit, & parturit usque adhuc: non solum au-*  
*tem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes,*  
*& ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei*  
*expectantes, redemptionem corporis nostri.* Subdit,  
*& lignum uita desiderium ueniens*: deside-  
 rium sumitur pro re desiderata, id est: ubi il-  
 lud, quod tam diu expetit, demum obtinue-  
 rit, immortalem, omni uoluptate plenam, & ab  
 omni dolore, & ærumna alienam uitam inchoabit:  
 illi quidem ad similem, quam in paradyso arboris

Ad Rom.,  
8. n. 22.

vita fructus vescentibus præberet. Cæterum hæc expositio accommodatitia est.

48

Rodolph. duas huius carminis partes inter duo bona, temporalia videlicet, atque æterna distribuit. Ergo priorem partem de caduca bonorum corruptibilium spe accipit hoc modo: *Spes, quæ differtur, affligit animã*, id est, temporaria felicitatis spes mirum in modum angit animum: non aliam ob causã, nisi quia diutius dilata nunquã demum accidit, & suos expectatores deludit. Itaque prædicta felicitas humana spem sui concitat in homine inunquam tamen adimplet, propterea deludens cruciat. Hebraicè ad verbum est: *spes procrastina morbus, aut ægritudo cordis*. Et sanè inter morbos, quibus cor tægitur, nullus est molestior, quam morbus comitialis, aut regius, quem aliàs caducum morbum appellant, vulgo *gota coral*. Hæc enim passio non sperantes homines subito, & inopinato prosternit: ex quibus alios quidem in ignem, alios in aquã deiectos, alios in præcepta actos vidimus. Merito ergo Salomon spem in rebus caducis collocatam cordis morbum, morbum inquam caducum appellat: quia quotquot hac spe erecti viuunt, sæpius quidem repente, & præter opinionem antequã ad optatam felicitatẽ perueniant, ab spe deiecti concidunt. Heu miseri in ignem æternum, & in baratrum præcipites ruunt. Ob eam sane causam eiusmodi sæpius Patres caducam appellant. August. in Psal. 26. *Impiorum* (inquit) *spes mortalis, caduca, volatica, transitoria, inanis est*. Ambros. 1. 2. de Cain & Abel: *Spes humana caduca, & fragilis*. Rursus Aug. in Psal. 30. *Heu spes caducas mortalium! Speras in pecunia, speras in honore, & sublimitate aliqua potestatis humana: speras in aliquo amico potẽre. In his omnibus cum speras, aut tu expiras, aut cum viuis, omnia pereunt, & in spe tuâ tu metipso deficis, ac cadis*.

August.  
Ambros.

49

Posteriorẽ autẽ partem de spe immortalium bonorum ex aduerso interpretatur Rodolph. *Lignum vitæ desiderium veniens*. Spes, inquit, æternorũ dicitur desiderium iam iam veniens, quia æterna bona teste Aug. dum à iustis sperantur, magna iã ex parte tenentur: nam exitia huius spei certitudo in causã est, vt illa, quæ auidius sperantur, pro iam obtentis quodammodo à iustis haberi incipiant: eapropter spes æternorũ, nõ quidem affligit, & angit animũ, sed erigit, atque solatur. Vnde Greg. Magn. ait: *Spes in æternitate animũ erigit: idcirco nulla mala exterioris, quæ tolerat, sentit*. Et Orig. h. 9. in Exod. *Futurorum spes laborantibus requiem, & solatium parit: sicut in agone positus dolorem vulnerum mitigat spes corona*. Ergo isthæc spes lignũ vitæ appellatur. De paradyfi ligno intelligit Rodolph. Possumus autẽ hoc referre ad perennitatem fructuum, quia lignũ vitæ, vt dicitur Apocaly. 22. per singulos anni menses singulos fructus afferebat: atque adeo nunquã fructibus decoctis, & maturis spoliabatur: sed inter flores futurorum fructuum præuias significationes, dulcia quoque, ac mitia poma gerebat. Sensus igitur erit: spes isthæc immortalium bonorum similis est arbori vitæ: nõ solum enim futura felicitatis expectatiõnem, tanquam florem habet: sed etiam præsentis voluptatis prædulces, atque maturos fructus degustandos offert. Item arbor vitæ intelligi potest in vniuersum arbor viuens, aut virẽs, non arida, aut emortua, vt iam inde alibi docui. Tunc verbõ sensus ad hunc modum efformãdos est: *Spes æternorũ similis est arbori virenti*. Sicut enim arbor virens, etiam per hyemem fronde, ac fructibus nuda fit: paulõ post succedente vere frõdibus vestitur, & fructibus oneratur: sic spes iustorum virens, ac viuã. Audi August. in Psalm. 36. *Modo* (inquit) *tempus est hyemis, gloria tua nondum apparuit*

August.

Tom. 1.

A sed si altera radix est charitatis tua, transit frigus, venit æstas, tunc apparebit gloria arborum. Mortuus enim estis, inquit Apostolus, quomodo videntur arbores per hyemem, quasi aride, quasi mortua. Ergo quæ spes, si mortuus sumus? Intus est radix, ubi est vita nostra, & vita (inquit) nostra abscondita est cum Christo in Deo. Quomodo arefcit, qui sic habet radicem? Quando autem erit ver nostrum, & æstas nostra? Quando vos circumuestit dignitas foliorum, & vberitas fructuum locupletat? Audi, quod sequitur: Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Hæc ille.

Rursus alii, in quibus est Ianfen. de spe in vniuersum, nullo rerum sperandarum discrimen adnotato, capiunt ista verba: vt sensus sit spem omnẽ cum diutius ducitur, animom cruciare: non tamen propterea sine fructu speratur: nam expectatio euentus eo iucundior est, quo spes diuturnior, ac maior fuit. Huic autem sensui optime verba accommodantur. Præmittendum autem est animũ diuturna spe quodammodo senescere, atque infirmari. Verba sunt Senecæ: *Cum expectatio longior est, consenescit animus, & debilitatur mens*: Nam sicut senes difficilius erigi in pedes, & stare solent: atque adeo nutant, & nonnunquam etiam concidunt: sic etiam mens animusque, & cum expectatio diuturnior est, debilitatus erigi iam in spem non potest: ideo sæpius deiicitur, & ab spe excidit. Ait ergo Salomon: *Spes, quæ differtur, affligit animam*. Vel vt habent Origines: *Spes dilata infirmitas cordis*, hoc est, cum expectatæ rei euentus diducitur, animus infirmatur, vel (liceat sic dicere) debilitatur, & senescit: *Arbor vitæ desiderium veniens*, id est: non idcõ inutilis, aut vana spes: Nam cum post longam spem res è votis succedit, tanta ex illa accedit voluptas, & gaudium, vt quemadmodum arbor vitæ ad iactuers æui, ac senii instaurandas vim habuit: sic etiam euentus rei diu optatæ ad senescentem, & debilem animum reficiendum, & confirmandum satis sit. Itaque sensus est spem non idcõ abiiciendam, quia diuturnitate debilitat, & elidit animi vires: nam felix successus rei expectatæ eadem confirmat, & coroborrat. Et sane hoc modo explicata haud displicet hæc interpretatio.

Seneca.

D

Cæterum aliam nobis offert translatio Septuaginta, quæ cum nostræ etiam lectiõni accommodari possit, merito aliis præferenda est: nam vtriusque translationis concordia valde commendat expositiones. Ergo sic aiunt: *Melior, qui incipit auxiliari corde, illo, qui promittit, & in spem adducit: arbor vitæ desiderium bonum*. Dissident hæc ab aliis, quod non ad nostræmet spei institutionẽ, & informationẽ pertinent: sed suadent, ne cum aliquid alii impendere est animus, beneficiũ differentes illorũ spem diu suspensam teneamus. Itaque sensus est, *Melior, qui incipit auxiliari corde*, id est, longè gratior accidit illi, qui illico, & actutum ex corde incipit benefacere, & auxilia proximo impendere, quã ille, qui magna promittens longã spe torquet animũ accipientis. Hoc sibi volunt verba vulgata, *Spes, quæ differtur, affligit animã*, id est, qui diutius sperare iubet illum, de quo bene mereri vult, utique illius animũ cruciat. Adice etiam huic Hebraica: *Spes dilata infirmitas: seu morbus cordis est*. Ita quidẽ reor illũ, qui aliũ multo tempore expectare facit, morbum, & ægritudinem cordis illi adducere: non alium sanè, nisi caducum illũ, cuius iam meminimus. Nam eum sæpius morarum impatientem ab sua spe cadere facit, & desperare, cum sperat. Addit autem: *Arbor vitæ desiderium veniens*, id est, res optata, non quidẽ dilata, sed in manus optatis cito veniens arbori vitæ ad similes est. Si ad parady-

R. r. iij

si arborem referas, sensus erit. Sicut arbor illa (vt supra diximus) flores simul, ac fructus ostentabat: sic etiã cum res optata, & sperata nulla interiecta dilatione donatur: spes quidem (quæ cum floribus componitur) & beneficia (quibus fructus conferuntur) adiuncta, & copulata sunt. Nec valde dissimile est illud, quod ille alius de fico lusit, his verbis: *Ficus nõ floret, cum fructus habeat dulcissimos: ita quidẽ beneficiũ pollicitantes, &c.* Vel aliter, is, qui moratur beneficiũ, morbum, & ægritudinem (libentius dicam) senium, & canos illi adducit, quẽ tam diu sperare iubet. Nam vt iam dixi: *Longa expectatione confenscit homo, ex Seneca.* Ergo sic habet, spes dilata beneficii, infirmitatẽ, & senium affert ei, qui illud in votis habet: *Lignum vitæ desiderium veniens*: nimirum ẽ contra res desiderata in manus optantis ocus veniens senem iam hominẽ iuuentuti, & adolescentiã reddere potest ad instar ligni vitæ, quod ad instaurandas ætatis, & viriũ iacturas in paradiso consuetum fuit. Quod si per vitæ lignũ viuam quidem, ac virentem arborem capias, sensus erit: *Lignum vitæ desiderium veniens*, id est, beneficium optatum, & non moratum sic viget, & radices agit in memoria accipientis ad compensationem: sicut arbor virens ac viuua. Obserua autem aliquos in hoc loco per arborem vitæ palmam intellexisse: quia videlicet palma reliquas arbores longitudine vitæ, atque æui facile superat. Igitur sic accipere beneficium tempestiuẽ, ac mature collocatum vigebit quidem in memoria accipientis, tanquam palma, quæ vix post innumera sæcula intermoritur & palmæ quoque ad instar dulcissimos illi fructus suppeditabit.

54

Non est prætereunda translatio Chaldaïca, quæ alteri etiam expositioni locum facit: *Melior est, qui proicit sarculum suũ, illo, qui pedit in spe, & arbor vitæ adducit desiderium.* Similitudo quidẽ ducitur ab agricultura. Sarculum autem est instrumentum, quod ad agros inuertendos, arandosque veteres vtebantur. Plin. l. 18. c. 19. *Certẽ (inquit) sine hoc animali (id est, sine boue) montana gentes sarculis arant.* Et Horat. dixit. *Agros patrios sarculo findere.* Itaque sarculo etiã ad sementem vtebantur. Sensus igitur sic habet: melius longe præstat ille, qui qualibet nacta occasione semẽ suum terræ committit, quam is, qui melioris tempestatis desiderio diutius pendens sementem differt. Nã fere semen, quod citius iacitur, vberiore messem ac prouentum reddit. Ad eũdem modum satius agit ille, qui anteuertit beneficiorum sementem: nam dilata, & morata dona pessimẽ prouenire consueuerunt. Quod autem addit: *Arbor vitæ desiderium adducit*, ægre necitur cum superioribus, nisi nouam similitudinẽ excogites, & nomine arboris vitæ palmam capias: sic enim sensus erit. *Arbor vitæ*, id est, palma vix post multa sæcula edit fructus maturos: nam centesimo à satione sua anno fructificat (vt tradunt historiẽ naturalis periti) atque adeo fructum desiderium per multos annos producit. Hoc pares sunt, qui beneficia diutius ducunt, atque differunt, suorũ donorũ desiderium, & vota per sæcula producetes, & vix tandem pergratum aliquid aliis agentes.

Plinius.  
Horat.

XII. Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat: qui autem timet præceptum, in pace versabitur.

55

QUI detrahit alicui rei, ipse se in futurũ obligat. Heb. *Continens rem corrupetur.* Caiet. habet: *Vilipendens verbum dolebit.* Sep. *Continens rem contemneretur ex ea.* Scholiast. *Corrumperetur ex ea.* Chald.

deus: *Qui contemnit verbum, detrimentum patietur ab eo.*

*Qui autem timet præceptum, in pace versabitur.* Hebr. *Et timens præceptum ipse compensabitur.* Sept. *Timens autem mandatum, hic sanus est.* Sym. *in pace degit.* Chald. *versabitur bono.* Hanc diuersitatem peperit verbum *דלש* Salam, quod significat remunerare, & pacificare.

Quotquot vulgatam lectionem omittentes ad Hebræicos fontes se recipiunt, sic legunt: *Qui contemnit verbum, corrupetur, dolebit, aut vilipendetur: & timens præceptum retribuetur ei*: vnde facillimam quandam expositionem hauriunt hoc modo. Qui legem ex contemptu transgreditur, ipse quoque contemptui patebit, aut pœnam suã transgressionis referet: qui verò veretur legem, & illi obsecundat, mercedem amplissimam reportabit. Misfam facio expositionem Caietani, qui Rabinos sequutus hoc tantum differt à reliquis, quod hæc verba non de verbo, aut lege Dei: sed de rescriptis, atque constitutionibus Principum capienda esse dicit: quas qui despicit, & transgreditur, pœnis earumdem subiacet: qui autem veretur, & serio adimplet, præmia pro meritis refert.

Quod si de vulgata nostra lectione loquamur, Iansen. quidem dubitat, an sermo sit de illo, qui detrahit de re mala: an de illo, qui rei bonæ vitium aliquod imponit. Beda quidem vtramque detractionem complexus est. *Nam si (inquit) rem quampiã aliquis verbo suo vitiat, si bona sit, obnoxium se facit cõiunctiõni: nã facili negotio cõiunctus sua falsitatis arguitur: si autẽ mala sit, ob id solũ fidem quodãmodo sua astringit, ne posthac ipse simile quid admittat.* Nam qui alienam culpã & labem reprehendit, iam inde ab illa temper immunis esse debet, ne in illũ intorqueri possit illud Apostoli: *Qui prædicat non furandũ, furaris: qui diuis non machadũ, macharis: qui abominaris idola sacri legiũ facis: qui in lege gloriaris, per præuentionem legis Deum inhonoras.*

56

Iansen. quidẽ præmittit dilectam acceptionem, vt scilicet de illo sermo sit, qui de re quapiam bona detrahit: sic autem edisserit: *Qui detrahit alicui rei (bonæ) ipse se in futurum obligat*, ad sustinendã scilicet reprehensionem suã falsitatis, aut ad defensionem mendacij: cum autem illud indecorum, hoc periculosum sit, necesse est, vt animus ancipiti consilio distractus pendeat: *Qui autem timet præceptum*: diuinum scilicet, quo detrahitio interdicitur, *in pace versabitur*, id est, nulla illi perturbatio, aut angor animi incidet. Non displicet.

Ceterum cum posterior pars præceptũ & mandatum addiderit, vt prior cum illa cohercat, nomine rei, cui detrahi dicitur, vtique rem ipsam demãdatam, aut præceptã intelligo, atque sensum ad hunc modũ efformo: *Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat*, id est, quicumque re illa, quæ lege cauetur, aut demandatur, aliquid excipit, quon inus totã expleat, ipse sibi obligationẽ imponit soluẽdi pœnas in futurũ. Nã vt ait Iacob c. 2. *Quicũque iustitiam legẽ seruauerit, offendat autẽ in vno, factus est omnium reus.* Qui enim dixit: *Nõ machaberũ, dixit & Nõ occides: quod si nõ machaberis, occides autem factus es transgressor legis.* Ex aduerso autẽ: *Qui timet præceptum, in pace versabitur*, i. qui veretur legem, & totã nulla exceptione adimplet, securus est in profectum: nam timens præceptum, non timet pœnã.

57

Possunt etiã verba, vt sonant, aliũ ad sensũ vocari: scilicet de fidei commisso, aut deposito hoc modo: *Qui detrahit alicui rei*, id est, de sũma, aut cumulo, aut qualibet alia re apud ipsũ deposita quidẽ quam decerpit: *ipse se in futurum obligat*: tenetur enim illam rursus ius sumptibus complere, atque inte-

Iacob. 2.  
num. 10.



grā restituere: *Qui autem timet præceptū*, qui scilicet veretur instans reddendi, ac restituendi mandatum, *in pace versatur semper*: non enim timet exactionem, aut vindicem. Cæterum superior expositio magis arripit, quia ad Hebræicas Origines propius accedit.

Septua. quidem hunc locum sic extulerunt: *Qui contemnit rem, contemnetur ex ea: timens autem mandatum, hic sanus est.* Hæc verba de temeratio iudicio potius, quàm de detractioe mihi accipienda videntur. Quasi dicat: qui apud semetipsum alium despiciat, & illius res & actiones contemptui ducit, hic sane ex eo ipso, quod alteri temere culpam imponit, atque illum despiciat, despiciabilem, & contemptibilem te reddit: iuxta illud Pauli ad Rom. 2. *Propter quod inexcusabilis est homo omnino, qui iudicatis: in quo enim iudicatis alium te ipsum condemas, eadem enim agis, qua iudicatis.* At, inquires, non semper is, qui temere iudicatis alium, eadem agit aut perpetratis sceleratis. Non inficio. Cæterum sicut in foro externo, & humano, qui aduersus alterum aliquod scelus per falsam testificationem imponit, falsitatis conuictus talionem subire cogitur & perinde punitur, ac si scelus, quod falso imposuit, ipse aggressus fuisset. Igitur in supremo Dei iudicio, & foro interno haud mitius agi putandum est, vt scilicet, qui alium temere sceleris coarguit, & nulla vel leui de causa illum apud se reum esse decernit, talionem sustineat, & perinde grauiter puniatur, ac si eo scelere, quod alteri testimonio suo adscribit, ipsemet se obstrinxisset. Sic accipiendum est illud Pauli: *Eadem enim agis, qua iudicatis*, id est, pœnas quidem tibi acceris earum rerum, quas iudicatis, quasi illas tu ipse perpetrasses: atque aded: *in quo iudicatis alium, te ipsum condemas.* Ita enim fert talionis lex. Subdit autem Salomon: *Timens autem mandatum, hic sanus est.* Succedant memoriæ illa verba Iacob. 4. *Qui detrahitis fratri, aut qui iudicatis fratrem suum, detrahitis legi: si autem iudicatis legem, non es factus legem, sed index. Vnus est legislator, & index, &c.* Ex quibus constat eum, qui temere fratrem apud se iudicatis, & sceleris arguit, specialem legi iniuriã irrogare: nam legem interpretari, & casus declarare, in quibus lex locum habet, aut non habet, folius quidem legislatoris est. Quapropter quicumque apud se decernit fratrem tuum legis transgressorem fuisse: is quidem legislatoris munus sibi arrogat, & in legem iniurius est, dum in illam, quæ soli supremæ potestati subdita, & obnoxia est, priuato cuilibet licere putat. Ergo Salomon sic ait: *Timens autem mandatum*, id est, qui legem veretur, & illi defert, *hic sanus est*, ad animum referendum est: sanus inquam, id est, cordatus, prudens: vel *sanus est*, id est, *Hombre de sanas entenas*: qui enim ea ratione sano (vt ita dicam) animo in alios sunt, bonam aliorum opinionem habent, nec temere illis crimina iudicio suo adscribunt.

XIII. *Anima dolosa erant in peccatis, &c.*

Huius Loci expositionem habes supra vers. 9. Quia Septuaginta interpretes, ex quibus petitus est, ibi exhibuerunt.

XIV. *Lex sapientis fons vitæ: vt declines à ruina mortis.*

Lex Sapientis fons vitæ, Hebr. *Lex sapienti vitæ*. *Lex sapientis fons vitæ: demens autem sub laqueo morietur.* Sym. & Theodotion concinunt

cum nostra. Complutensis habet, *Captus laqueo morietur.*

Ante ista verba præmittunt etiam Septuag. pauca alia, quæ olim quidem erant in vulgatis: post correctionem autem Clementis omnino expuncta sunt. Hæc autem sic se habent.

*Filio doloso nullum erit bonum: famulo autem sapienti prospere procedent actiones, & dirigetur via eius.*

Iansen. quidem delusus existimauit hæc verba respondere illis: *Anima dolosa*: quæ sanè omnino diuersa sunt, & longe diuersam sententiam reddunt, quod videre licet in ipso textu Septuag. Nam priora illa: *Anima dolosa errant in peccatis*: statim leguntur post illa: *Lux iustorum lætificabit*: hæc autem subiiciuntur hoc loco post illa: *Qui detrahit alicui rei*. Et sane sicut de prioribus decreuimus: ita etiam de posterioribus decernendum esse censeo: nimirum Septuaginta de more suo, cum aliqua verba obscuriora sint tanquam Prophetas (hoc enim iure id facere potuerunt) aliqua inseruisse, quæ vel in ipsis sacris verbis inclusa forent, vel ad eorum clariorem intellectum præstare potuissent: aliquando etiã cum duplex ex eisdem verbis dici poterat sententia, vtramque exprimere solitos, vt aliis locis tradidi, & exemplis confirmaui. Quapropter cum præmissum esset: *Qui contemnit rem, contemnetur ex ea* (Hebr. *Qui contemnit verbum, corrumpetur*) & *timens mandatum, hic sanus est* (Hebr. *Qui timet præceptum compensabitur ei*) huic vtique sententiæ aliam adiunxerunt, quæ vel ipsissima est, vel certè illi heret, & in illa inclusa est. Cui enim præfata verba duos inter se conferant, eum scilicet, qui præceptis audiens est, & illum, qui iussa temerarius transgreditur: eam sententiã Septuag. ad seruum, atque filium transtulerunt, seruum obsequentem filio contumaci anteposcentes. Itaque aiunt: *Filio doloso nullum erit bonum.* Dolosus autem filius appellatur filius nequam proteruus, & inobsequens, qui parentis iussa contemnit: sicut supra *animas dolosas* nuncupauit animas improbas, & sceleratas. Huic ergo *nullum erit bonum*: nihil scilicet fortunatum & felix eueniet, sed cuncta infauista, & infœlicia. Contra verò *seruo sapienti* id est, *ei*, qui ad nutum domino obsequitur suo (nam tota serui sapientia in obedientia continetur) *prospere procedent actiones, & dirigetur via eius*: nimirum omnia fortunatissima, ac felicitissima contingent. Itaque ille suæ inobedientiæ pœnas feret: hæc autem sui obsequij præmia pro meritis referet. Et quidem seruum bonum obedientiæ suæ merito filiis proteruis anteponi sæpe aliàs docet scriptura, vide infra c. 17. ad illa verba: *Seruus sapiens dominabitur filiis stultis*, Sed tamen quouique perueniat boni serui sapientia, docet Chrysostom. his verbis: *Philosophantur quidem serui nihil plus accipientes, quam victum, & vestitum necessarium, plerumque etiam minus, pane dumtaxat vescentes, serui: toto dormientes, & summa cum vilitate reliquam vitam raducentes: nihil sæpe delinquentes fuisse & iniuriis aguntur: nec tamen interim contradicunt, non criminantur, non indignantur, tantum deprecantur, & Philosophos omnes sperant silentio.* Ecce qua ratione tota serui sapientia, & Philosophia ad obedientiam pertineat. His ergo prætermittis ad præscripti loci expositionem veniamus.

*Lex sapientis fons vitæ vt declinet à ruina mortis.* Hebræicè: *à laqueis mortis*. Duplex omnino ex his verbis sententiã elici potest. Prior est ad hunc modum. Lex Dei ipsimet sapienti est fons, & origo vitæ rectè agendæ, ac moderandæ, ad vitanda, &

58

Ad Rom. 2. num. 1.

59 Iacob. 4. num. 11.

61

Prou. 17. n. 2. Chrysost.

62

60

euadenda omnia mortis discrimina. Id videlicet A  
interest sapientem atque stultum; probum, atque  
improbum quod sapienti, & probo lex vitæ agen-  
dæ initium est, à malo quidem auertens, & ad bo-  
num dirigens: stulto autem, atq; improbo eadem  
ruinarum causa existit. Nam lex præcipit, & la-  
psuum occasiones offert, quas stultus declinare  
aut nescit, aut non vult. Vnde fit, vt ille quem for-  
tasse ante cognitionem legis ignoratio excusaret à  
crimine, iam inde cognita lege sciens, ac volens  
peccet. Huius argumenti multa habes apud Pau-  
lum in epistolam ad Rom. 4. *Lex* (inquit) *iram ope-*  
*ratur: ubi enim non est lex, nec prauaricatio,* & alibi. B  
*Non cognouit peccatum, nisi per legem, &c.* Ergo Se-  
ptuag. quibus solemne est antitheses excitare, vbi  
non satis expressæ sunt (vt sæpe aliàs animaduerti)  
hunc locum sic extulerunt: *lex sapientis fons vitæ;*  
*demens autem sub laqueo morietur.* Et quidem *lex à*  
*ligando* dicitur. Sapientes ergo lex ligat salutari  
vinculo illos à malitia coërcens: stultos vero pedi-  
cis illigatos, & laqueis adstrictos, quodammodo  
ad ruinam impellit.

Ad Rom.  
2. n. 15. &  
5. 7. n. 7.

63

Posterior expositio sic habet: *Lex sapientis fons*  
*vite,* id est, præcepta, & documenta salutaria ho-  
minis sapiētis, aliis quidē bene viuendi initium, &  
causa existunt: *ad declinandam ruinam, vel laqueis mor-*  
*tis* (sic ad verbū Heb. reddenda sunt) ad euadendas  
scilicet, ruinas, & laqueos. Solemne quidem est  
aucupibus iuxta fontium scaturigines laqueos, &  
insidias auibis instruere, vt cum forte ad aquas  
hauriendas se deposuerint, deuinciantur, alligen-  
tur, ac pereant: sic se habent dogmatizantium quo-  
rundam peruersa ora, ad quoscum simplices ani-  
mæ doctrinæ salubris hauriendæ gratia adeant.  
apud eosdem multorum errorum laqueis, à visco  
præpeditæ pereunt. Non ita sapientis os, aut do-  
ctrina, sed salutaris in morem fontis præcepta, &  
documenta vitæ informandæ scaturit ad vitandos,  
& declinandos laqueos mortis: vt scilicet simpli-  
ciores inde haurientes eos fugiant, qui dogmati-  
bus suis viscum, laqueos, & pedicæ errorum adhi-  
bent ad capturam.

XV. *Doctrina bona dabit gratiam: in itinere con-*  
*temptorum vorago.*

64

**D**octrina bona dabit gratiam. Hebr. Ingenium  
bonum dabit gratiam: & via prauaricantium  
dura Sept. augent sententiam. Intellectus bonus dat  
gratiam: noscere autem legem mentis est bona: via au-  
tem contemnentium in perditione. Chald. extrema ver-  
ba sic extulit: *Et via fortis direptorum peribit.* Pro  
voragine est in Hebr. *עֲתָה* Etha: quam vocē Sept.  
& Hieron. in Psal. 73. seruarunt. *Tu sicca est flumens*  
*Ethan:* vbi aliqui transferunt *flumina aspera*, ob præ-  
cipitia: alij *flumina fortia* ob impetū: alij *vorticosa*,  
ob syrtes, & voragines. Itē Deuter. 21. *Ducent eam ad*  
*vallem asperam, & saxosam* Heb. pro *aspera* est *Ethan*.  
Hinc nata varietas lectionum supra adscripta.

Psal. 73. n. 15  
Deuter. 12.  
n. 4.

Caietanus singulare in hunc locum expositio-  
nem coniecit. Nam cum sic legisset. *Intellectus*  
*bonus dabit gratiam, & via mentientium dura:* addit.  
Bono intellectu, ac docili ingenio præditum esse F  
aliquem, principium est beneficentiæ, ac benigni-  
tatis erga alios: contrā vero conuersatio eorum,  
qui mente parū pollent (hos enim mentientes ap-  
pellat) dura est, & immitis, nec precibus cedens, nec  
officiis acquiescens. Et quidem facilitas ingenij, &  
mentis docilitas in mores etiam redundat.

Secunda expositio efformari potest ad hunc  
modum. *Bonus intellectus dabit gratiam,* id est, faci-  
litas ingenij, ac morum (vulgo *la buena condition*)

gratiam, & benevolentiam omnium conciliat: ni-  
hil enim ad inuendam gratiam efficacius, quā isthæc  
morum, mentisq; mititas: vel *dabit gratiam:* id est,  
discordes, ac dissidentes gratiæ, & benevolentia  
restituēt. Et quidem eūdem sensum reddunt verba  
vulgata *Doctrina bona dabit gratiam: si doctrina,* pas-  
sive accipiat. Quali dicat, bona informatio, & in-  
stitutio morum gratiam, & benevolentiam parant.  
Contrā vero *in itinere contemptorum vorago.* Hebr.  
*Via contemnentium, aut prauaricantium dura,* vel  
*aspera.* Contemnentes, aut prauaricantes appellan-  
tur proterui, & peruicaces, quorum mores diffici-  
les, & acerbifant: vulgo *hombres de mala y aspera*  
*condition.* Itaque sensus est, conuersatio difficilium  
hominū aspera, & immitis est, atq; adeo inuisa, &  
ingrata omnibus. Vel *in eorum itinere vorago:* id est,  
in eorum conuersatione subest magna, & præceps  
labendi occasio: qui enim cū aspero, & difficili ho-  
mine conuersantur, sicut hi, qui per asperam viam  
iter regunt, sapius offendunt, atque concidunt.  
Quantā vero vim ad gratiam conciliandā, & inuē-  
dam benevolentiam habeat mititas, atque suauitas  
ingenij alibi docui ex Chryst. Ex multis autē accipe  
illud sermone de Mansuetudine. *Gratus* (inquit)  
*& amabilis est videntibus: gratus item his, quibus*  
*nomine solum notus est: neque facile vllum inuenias,*  
*qui audies laudari hominē mansuetū, illum videre, &*  
*exosulari non desideret, & non habeat in aliquantā*  
*sui lucri parte eius amicitia posse frui.* Vide ibi plura.  
Rursus h. 6. in Acta Apostolorum hominem dif-  
ficilem, & mansuetum inter se componena, huius  
iucūdos atque suaves, & gratos mores: illius vero  
aceri ū, & ingrati ingenium multis describit. Audi  
paucā. *Quid interest inter iracundum, & facilem ho-*  
*minem? Nonne huius anima solitudini multam habenti*  
*quietem comparatur: illius vero foro, & turba, in*  
*quo multus clamor sequentium camelos, & mulos, &*  
*asinos? Nonne illa quidem medijs ciuitatibus compo-*  
*rata, in quibus hinc argenti, inde aris fabricarum ma-*  
*gnus auditur sonitus, & alij quidem inuadunt, alij au-*  
*tem inuaduntur? Sed hæc veri rei cuiusdam monti. est si-*  
*milis, in quo lenis flat aura, & purus splendor fulget,*  
*& perspicua fontium ebullitui suæta, & multiplex*  
*floru producitur gratia. Quod si & sonus auditus fue-*  
*rit, dulcis est, & multiā effudit voluptatē. Nā vel aues*  
*cantilantes summis arboribus insidet, & cicada, &*  
*Philomela, & hirūdines concorditer vnāquamq; per-*  
*ficiunt harmoniam: vel zepirus blande allidit arbo-*  
*borū ramos, & in quercubus, atq; pinis stridens etiam*  
*dolores imitatur: vel pratūofas producēs & lilia inter*  
*se collisa, quasi pelagus parum undabundum referūt,*  
*neq; spectaculo solo, & aspectu oblectatur in talis, sed*  
*& ipso corpore. Nam & refrigeratur, & respirat: ita*  
*vt in cælo potius, quā in terra esse videatur. Post-*  
*quam his, ac pluribus aliis camporum, atque*  
*montium amœnitatem, gratiam, & voluptatem*  
*descripsit, fit attextit: Libenter audistis solitudinis*  
*commendationem: sed hæc solitudine longe suauior,*  
*ac gratior est mitis, ac lenis anima. Quando enim*  
*neque validus ventus ex tali anima egreditur: sed*  
*b. nigri quidam sermones, ac blandi, qui zephiro*  
*placido recte comparantur, dum admonitiones nihil*  
*habent asperum, sed aues cantilantes imitantur. Quo-*  
*modo igitur hoc non melius? Non enim corpori acci-*  
*dit sermonis aura, sed animas ipsas reficit. Non ita*  
*statim Medicus febricitantem hominem à febris*  
*liberari sua cura, vt vir mitis iracundum, & præ*  
*furore flagrantem refrigerabit per auram propriorum*  
*sermonum. Et quid de Medicis dico? Neque ferrum*  
*ignitum, & aqua intinctu ita statim calorem amit-*  
*tit: sicut si incidat in animam mistem, & lenem, ho-*  
*mo iracundus, &c.* Meritō ergo Salomon ait

65

Chryst.

66

de homine facili, benigno, ac miti ingenio, gratiam dabit id est, suauitatem multam, & voluptatem afferet, gratum se, atque dulcem cunctis præstabit. Vel gratiam dabit, hoc est, iratos, & discordes ad gratiam, & concordiam adducet: vt sit sensus, gratiam dabit, seu offeret, aliis, id est, inter alios gratiam, & benevolentiam immittet, discordissimos quosque animos concordiam reddet. Huc etiã spectat Chrysostom. in sermone illo de mansuetudine, vbi inter alia sic addit. Non multis ( inquit ) sermonibus opus habet ad persuadendum hominibus alienis moribus: sed mox, vt viderit, mitigat furem, & pacem, priusquam loquatur, persuadet. Addit elegantem similitudinem. Quemadmodum vt solis iubar, vt primum apparet, fugat tenebras: ita mansuetus, & benignus sua presentia restituit turbulenta componit, quietas, atque tranquillitas reddit. Leue quidem est hoc. Adhuc grauiorem aliã similitudinem attextit Chrysostom. Nam sicut Christus Deus, & omnium Dominus in carne diuina nobis apparet, sanctos Angelos cum hominibus cõcordes efficit, qui quasi bello quodam à nobis dissidebant: ita, & mansuetus homo fratres, & cognatos, qui inter se discordes sũt, abiectionis inimicitias in gratiam mutuã redire facit. Quid plura? Tantũ mansuetudini ad sedandos, & conciliandos animos thesese vim deprecatur os illud autem, vt mansuetos in Reipublicã corpore angusto cum neruis conferendos esse dicat: Porro ( inquit ) quod in corporibus nostris nerui, hoc est mansuetus homo in domo, & in Ecclesia. Paulus enim more suo fratres vocat corpus, & membra inuicem: unde verus est sermo ille, quod vir lenis eandẽ virtutẽ habet in Ecclesia, domo, & ciuitate, quam habent in corporibus nerui dispersa & sapere coniungentes, & contrahentes: quæ virtus tunc alicui data est cum mansuetẽ viuere incipit. Hactenus ille. Aliquid autem superest mihi explicandum, cur scilicet homo lenis, ac facilis, & placidis moribus, vulgo de buona, & agradable conditione: boni intellectus, aut ingenij vir appelletur? Et quidem ratio est in prõptu: nam sicut irasci, & furere in belluarum, & ferarum rationis expertium naturam degenerat: sic etiam mitescere, & mansuetum esse rationis compotes imprimis decet. Attextit etiam rationem istam Chrysostomus homil. 34. in Genesim, vbi sic ait. Hoc enim certissimum signum, quo interno scitur vir ratione, & ingenio præditus, si mansuetus fuerit, si lenis, si mitis, si modestus, & quietus: si non quasi seruus ducatur, & trahatur ab ira, aut ab alijs affectionibus, si d ratione vincat inter nos illos incompõsitos motus, nobilemque suam generositate seruet, brutorum ferociam negligentia degeneret.

Sed licet hæc expositio mihi valde probetur, quia à lectione vulgata non est omnino aliena: ceterum tertia interpretatio appositior mihi videtur, cum superiori versu, & cum vulgata cohærentior: Doctrina bona dabit gratiam, id est. Sapientis hominis vera, & salutaria documenta dicenti quidem nescio quam gratiam, leporem, & salem addunt, per quem eorum, qui audiunt, gratiam, & benevolentiam facile inuit: In itinere autem contemptorum vorago: vel vt habent Origines: Vir mentientium aspera, & dura, id est, oratio & doctrina fallax, & mala aspera quidem, incompta, & dura semper videtur. Quasi dicat: sana, & vera doctrina per semetipsam absque lenocinijs, aut pigmentis placeat: malæ autem, & fallacis doctrinæ asperitas, quantumuis plurimis coloribus, atque facis ornatur, & dulci sermone leniatur, nunquam satis læuigatur, & expolitur, vt verisimilis omnino appareat. Id sibi vult etiam illud: In itinere contemptorum vorago, id est, doctrinæ ( hæc enim vitæ, aut itineris nomine passim in hoc libro signi-

ficatur ) doctrinæ inquam eorum, qui contemunt veritatem, & fallacia dogmata tradunt, nemo vnquam satis fidit: semper enim subest suspicio foueæ, aut voraginis, id est, erroris alicuius opinio, in quem denique mens relabi, & deuolui possit.

XVI. Astutus omnia agit cum consilio: qui autem fatuus est, aperit stultitiam.

Astutus omnia agit cum consilio. Hebræicè: Omnis calidus facit in scientia, & stultus pandit stultitiam. Septuaginta: Astutus agit cum scientia: insipiens autem expandit suam nequitiam. Aquila, Symmachus, & Theodotus: insipientiam. Chaldæus: Omnis callidi opus est ex scientia: & stultus sibi expandit stultitiam suam.

Sententia huius loci perspicua est, & verba capienda sunt, vt sonant, Astutus omnia agit cum consilio: id est, prudens, & cautus homo rebus omnibus administrandis consultationem, & deliberationem præmittit, & quod si deest sapientiæ, & industriæ id consultis alijs compensat. Reperitur hic vox גִּבּוֹרִים Gharon: quæ ( vt iam inde alibi non semel diximus ) ex germano suo significato astutus, & versutiam serpentis notat. Et quidem eximia serpentis astutiæ pars communi Patrum consensu in eo posita est, vt caudæ obiectu, & oppositu caput conegat, & defendat: est autem caput sedes prudentiæ. Ergo illi calliditatem serpentis imitantur: qui quemadmodum serpens caput, ita ipsi opinionem prudentiæ tueri semper curant: etiam si ad id præstandum caudam adhibere, id est, infimos quosque, atque indoctissimos audire, & in consilium vocare opus sit. Rursus quemadmodum serpens cum incantationibus petitur Marforum, alteram aurem terræ illidit, & alteram immissa cauda opprimit: sic sapiens, atque prudens, vt dolos aliorum vitet, & sibi, rebusque suis prospiciat, non suis tantum fidit consilijs: sed aurem alteram telluri apponit, alteram verò caudæ accommodat, infimos videlicet, atque imperitissimos quosque audit: sic verò à deceptionibus, & fallacijs tutus redditur.

Contra verò stultus aperit stultitiam suam: vel expendit. Nam suo ipsius consilio vsus sapius aberrat, & temerè pleraque administrat, quibus suam stultitiam prodit, & opinionem prudentiæ amittit.

XVII. Nuncius impij cadet in malum, legatus autem fidelis sanitas.

Nuncius impij cadet in malum. Hebræicè Nuncius impius. eorum sensu. Nam nuncium ab impio missum impium esse necesse est. Septuaginta: Rex audax incidet in mala: nuncius autem sapiens liberabit eum. Sic etiam habet Lucifer, Symmachus verò, Aquila, & Theod. Nuncius impius, sicut Hebræicè.

Legatus autem fidelis sanitas. Hebr. Legatus veritatum ( aut fidelitatum ) sanitas, aut medicina. Scoliast. Legatus fidei sanitas. Aquila, & Symmach. Obses fidei sanitas. Theodotus: Custos fidei.

Beda, Hugo, & alij verba ista per accommodationem de Doctoribus, aut Cõcionatoribus interpretantur: reliqui, vt sonant, de Regum aut Principum legatis accipiunt ad hunc modum, Nuncius impij cadet in malum: is scilicet, qui improbi, aut perfidi Principis mandata perfert, improbus ipse,

ac perfidus) in malum illud, quod dolose instruit A  
 aliis, ipse incidit. Quasi dicat, improbi lega-  
 ti, & ab improbo emissi fraus denique agnosci-  
 tur, & agnita punitur. In Hebraicis originibus est.  
*Nuncius impius cadet in malum.* Cum autem hæc  
 prior pars posteriori aduersetur, in qua dicitur: *Le-  
 gatus veritatis, aut fidelitatis:* per nuncium im-  
 pium primo eum intelligere licet, qui falso, & in-  
 fideliter sui Principis mandata refert. Hic ergo *ca-  
 det in malum* (inquit Salomon) id est suæ perfidie  
 pœnas luet. Exstat quidem lex apud Platonem, in dia-  
 log. 12. de legibus aduersus perfidos legatos, quæ sic  
 habet: *si legatus, aut præco falso, quæ sibi dicta B  
 sunt, nunciauerit, dicendave tacerit, vel rursus ab  
 hostibus amicis uerediens, quæ ab illis acceperit, ali-  
 ter quam receperit, retulisse reperitur: quasi Mer-  
 curij, Iouisque mandata, & legationes contra legem  
 contempserit, in iudicium deferatur, & iudices pro  
 magnitudinere quid pati, dare uel ipsum, si damna-  
 tus fuerit, oporteat, statuunt.* Subdit Salomon: *Le-  
 gatus autem fidelis sanitas:* id est, verax nuncius,  
 qui fideliter suam legationem obit, incolumitate  
 gaudet, aduersi nihil experitur. Sed tamen quam-  
 uis hæc non ineptè dici possint: tamen duas alias  
 expositiones subiiciam, quæ mihi magis appositæ  
 videntur.

Prior est ad hunc modum: *Nuncius impij, aut im-  
 pius cadet in malum.* Nota est legatorum inuiolabi-  
 lis sanctitas apud omnes nationes. Et quidem ut  
 Legati non humano solû, sed diuino præsidio val-  
 larètur, Romani quasdam legationes per Feciales  
 Sacerdotes obibant: aliàs uerò non nisi per viros  
 Sanctis quibusdã ritibus designatos. Gallos etiam  
 refert Gregor. Turonens. lib. 7. de Hist. Francorum  
 non quidem suos nuncios consecrassè: tamen vir-  
 gas sacras in legationis insigne tradere solitos. Ita  
 enim ait: *Post hæc misit Gundebaldus duos legatos ad  
 Regem Gunthranum, nempe cum virgis consecratis  
 iuxta ritum Francorum: scilicet ne continerentur  
 ab eo, sed exposita legatione, cum responso reuerteren-  
 tur.* Inde fortasse olim nomen Caduceatorum ma-  
 nauit. Cæterum, quamuis tanta Legatorum immu-  
 nitas, & sanctitas apud omnes populos commu-  
 ni omnium gentium iure viguerit: tamen tam-  
 diu hæc utebantur Legati, quamdiu munere suo re-  
 ctè, atque ritè fungebantur. Nam ut tradit Proco-  
 pius lib. 7. de bello Gotho. tamdiu solum durat ius  
 non violandorum Legatorum, quamdiu ipsi ius  
 legationis, & honestatem, & fidelitatem conserua-  
 rint. Lege Conradum Brunum lib. 4. de legat. cap.  
 4. ubi hæc de re copiose, atque diserte agit. Ergo  
 verba Salomonis sic accipe: *Nuncius impius,* qui  
 scilicet impiè, & contra ius, falsque, legatione sua  
 fungitur, *cadet utique in malum,* id est, ab immuni-  
 tatis iure, quo Legati gaudere solent, omnino exci-  
 det & pœnis communibus subiacebit: *Legatus au-  
 tem fidelis sanitas,* id est, incolumitas: is nimirum,  
 qui sanctè, & fideliter legationem obierit, incolumis,  
 saluus, & inuiolabilis erit communi omnium  
 gentium iure, vel potius religione. Quod si hæc  
 non placet, subiicio aliam.

Posterior interpretatio postulat, ut quemadmo-  
 dum in priori hemystichio vox illa *impij* est in gi-  
 gnendicafu: sic etiam in posteriori vox illa *fidelis*  
 eidem casui adiudicetur: ut sensus sit: *Nuncius im-  
 pij cadet in malum.* id est, legatus ab impio Rege,  
 aut Principe missus suo ipsius Principi perfidus  
 erit: illius enim cõsilia, & rationes hostibus prodet.  
 Id sibi vult illud, *cadet in malum,* id est, malitiosè,  
 ac perfide ager, quod perinde est, ac si dicat: Prin-  
 ceptus impius, ac tyrannus ob suam impietatem,  
 & tyrannidem perfido, ac proditore Legato ute-

tur. Ex aduerso autem: *Legatus fidelis sanitas:* ni-  
 mirum Principis iusti, & non tyranni, qui legitima-  
 me, & ex fide belli, atque pacis res administrat, le-  
 gatus mandata sibi commissa fideliter peraget, &  
 salutem Principi: Publicis autem rebus incolumita-  
 tem afferet. Itaque secundum hanc expositionem,  
 Principis iusti, ac tyranni dissimilitudinem  
 proponit Salomon ex eo, quod iustus fidelibus mi-  
 nistris utitur: tyrannus autem perfidis, ac perduel-  
 libus.

Septuaginta Interpretum à latine alium sensum  
 reddit: *Rex audax incidet in mala: nuncius autem fi-  
 delis liberabit eum.* id est, Rex temerarius potestatis  
 Regi licentia turpes, & iniustas sæpè res aggredi-  
 tur quibus alios Principes læcessit, atque in se com-  
 mouer: hunc tamen fidelis legatus ad iratos Prin-  
 cipes missus, ut de pace, & tranquillitate rerum cum  
 illis agat, sapius liberat, ac paci restituit. Symma-  
 chus uerò illud: *Rex audax incidet in malum* sic ac-  
 cipit. Rex ille, qui audacius in bello irruit in hostes,  
 aliquando in ipsorum hostium manus venit, & cap-  
 tus tenetur: hic uerò obsidibus datus liberatur.  
 Propterea addit: *Obses autem fidei sanitas.*

XIX. *Egestas, & ignominia ei, qui deserit disci-  
 plinam: qui autem acquiescit arguenti  
 glorificabitur.*

**E**GESTAS, & ignominia, &c. Hebr. *ei, qui  
 deserit eruditionem.* Septuaginta: *Paupertatem  
 & ignominiam aufert disciplina.* Aliter Chald.  
*Pauper, & qui ignominiosus est, deserit disciplinam.*  
 Symmachus ad hanc lectionem propius acce-  
 dit: *Egestas, & ignominia dissolunt discipli-  
 nam.*

*Qui autem acquiescit, &c.* Hebraicè: *Et custodiens  
 increpationem glorificabitur.* Septuag. concinunt  
 cum nostra. Chaldaus: *Et qui castus est in redar-  
 gutione glorificabitur.*

Caetanus existimat hic de secreta correptione  
 sermonem esse. Locum autem sic extulit: *Egestas,  
 & ignominia detegit correptionem:* nimirum pauper,  
 atque infamis (nam hæc fere inter se coire solent:  
 infamia enim sequitur egestatem, & pauperes  
 multa indecore agunt, atque famæ suæ male pro-  
 spiciunt.) Pauper ergo, & qui famæ suæ non consu-  
 lit: sed illam prodigè distrahit, cum secretò corripitur,  
 non tacet, sed turbas, & tragædias multas  
 excitat, quibus eius crimen diffamatur, & vulgatur:  
*Et custodiens increpationem honorabitur:* id est,  
 qui reprehensionem secretò acceptam apud se cu-  
 stodit, & tacitus illam sustinet, nullam suæ gloriæ  
 iacturam facit: quinimò ex inde gloriæ, atq; splen-  
 dori illius accedit plurimum.

Proximè ad hanc sententiam accedit Thargum:  
*Pauper, & qui ignominiosus est, deserit disciplinam.*  
 id est, correptionis nullam rationem habet. Viriuf-  
 que sanè, pauperis, atque infamis conditio ita fert,  
 ut nullis correptionibus emendentur. Nam cor-  
 reptione, ut dicit Chrysostomus in sermone de disci-  
 plina, *Pudorem immittit: pudor autem à crimine de-  
 terret.* Pauperes autem, & infames non pudefunt:  
 ut tradit Aristotel. problemat. sect. 6. Hæret autem  
 Chaldaeo Symmachus, cum ait: *Egestas, &  
 ignominia dissoluit correptionem:* id est, illius vim e-  
 lidit, ac robur soluit: correptione quippe delictum  
 reuincit: quidquid autem illa adstringit, infamia,  
 & egestas per cognatam sibi impudèciam soluunt,  
 & explicant.

Nostri quidem vulgati interpretis alia mens  
 est. *Egestas, & ignominia ei, qui deserit disci-*

Plato.

71

Gregorius.  
Turon.

Procop.

Conrad.

72

D

E

F

73

74

Chrysost.

Arist.

plinam. Cum Salomon in hoc libro sæpius iunior alloquatur, quorum tanti interest correptiones, & seueras admonitiones maiorum auscultare: idè passim hoc proponit, & inculcat. Nunc autem metu ignominia, & paupertatis (quæ duo mala iuuenes imprimis deterrent) suadet illis disciplinæ, & correptionibus obtemperare. Ignominia enim iuuenibus terrori est, propter pudorem, quo ætas illa præcipue tangitur: egestas autem, quia longior illis vita suppetit: longam autem vitam in paupertate, & rerum angustia traducere miserimum putant. Et quidem iuueni, qui disciplinam deserit (Hebræi. עָרַבָה Phoragh: Aliqui legunt, *Qui disciplina, aut correptioni rebellis est*: scilicet ex aduerso illam impugnans, contradicens, obtrectans) minatur Salomon paupertatem, & ignominiam: quia pœnahæc illi crimini apte respondet. Nam qui leuem pudorem, qui ex obiurgatione, & correptione sceleris accidit, declinare vult, meritò in paupertatem, & infamiam incidit. Hæc enim sunt, quæ maximam homini verecundiam, & pudorem ipsa per se adducere consueverunt, cum primo eueniunt: at postquam quis ea expertus est, ad alia quæuis scelera perpetranda pudorem adimit, & frontem exerit vt ex Aristot. nuper dixi) quod in pœna etiam poni potest, Septuaginta per affirmationem maiori cum emphasi expresserunt: *Paupertatem, & ignominiam auferit disciplina*: id est, disciplinæ, ac correptioni quotquot obtemperant, paupertatem, & ignominiam, quæ exinde euenire solet, à se longe expellunt, qui nimò opes, & gloriam magnam sibi accersunt. Adidit enim Salomon.

*Qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur*: id est, qui corripientem, & sua crimina inculcantem libenter audit, gloriam maximam sibi parit. Tum quia huius obsequij, ac deiectionis meritò gloriam, atque splendorem obtinet à Deo: tum etiam quia iunior correptus, & castigatus in dies melior, ac sapientiore vadit, per sapientiam verò, atque honestos mores ad maximos honores, & ingentes opes ocylus ascendit.

XIX. *Desiderium si compleatur, delectat animam: detestantur stulti eos, qui fugiunt mala.*

**D**esiderium si compleatur, &c. Hebræicè *Desiderium existens dulcescit anima, & abominatio stultorum recedere à malo*. Caietanus, Pagnin. & alij Hebr. in quibus est Ben Gerson, obseruant verbum נִחְיָה Nichiah: & existimant verti etiam posse: *Desiderium fractum dulcescit anima*. Septuaginta: *Desideria piorum delectant animam: opera autem impiorum longe à sciētia*: alij legunt, *desiderium à sceleribus*, id est, impiorum, Chald. *Desiderium honestum suauis est anima, & abominatio stultorum recedere à malo*.

Hebræi quotquot legerunt: *Desiderium fractum dulcescit anima*, sic exponunt. Desiderata nimirum rei vsus, & experientia tunc maximè delinit, & oblectat animum, cum per quædam interualla interruptitur. Nam cum longior eiusdem rei delectabilis vsus tædium, & fastidium afferre soleat, interruptio quidem instaurat voluptatem: & tamen impij easunt vecordia, vt abominatio eorū sit recedere à malo. Quasi dicat, saltè ob eam causam impio bi delicta sua, quibus tantopere oblectantur, interpolare deberent, vt interruptione dulcescerent: sed tamen ea est illorum stultitia, vt nec lenissimo interuallo ab illis desistere velint: quo fit, vt vel ipsa peccandi voluptas assuetudine quodammodo de-

siptat, ac demum nulla sit. Hæc obscurius tradunt Hebræi, & ex illis præterea non nemo alium ad sensum præmissam lectionem vocat: *Desiderium fractum dulcescit anima*, scilicet cum appetitus obdesiderium, & concupiscentiam aliquam suam fractam, hoc est, illata vi cōpressam, & coercitam dolet, anima, id est, ratio mira dulcedine oblectatur, ac gestit: & tamen impij, quæ est illorum infania, nunquam demum à malitia sua se se auocant, nec turpia desideria comprimunt: ex quo tam suauis, & amana dulcedo contingit.

Rodolphus versus istum cum superiori nequere contendit: tamen nexus, aut nodus laxus est. Itaque sic sensum cōformat: *Desiderium si compleatur, delectat animam*, id est: qui maiorum documentis, & correptionibus non obtemperant, sed suis obsequuntur desideriis, atque concupiscentiis, voluptatem quidem aliquam capiunt: qua voluptate, & dulcedine illecti stulti adduci non possunt, vt vitia sua deserant, & ad bonam frugem se recipiant. Mitto leuiore alias expositiones.

Sensum autem à superiori versu pendere non credo. Ergo prior pars (mea quidem sententia) agit de pio, atque honesto desiderio. Suadet hoc lectio Septuaginta, quæ ita habet: *Desiderium piorum delectat animam*. Igitur priora verba ita nequenda sunt cum sequentibus, vt vna, eademque res & iustis lætitiis, & improbis mœrorem afferre dicatur. Hæc autem (me iudice) est illa, quam extrema verba continet: *Qui fugiunt mala*: nam qui à malitia ad honestatem se recipiunt, probos consolari, & improbos mœrore afficere solent. Ad rem. Nulla certè cupiditas maior pijs, atque iustis hominibus inesse solet, quam vt alij pietatem, atque iusticiam teneant: quod si optatis perfruuntur, & multos ad iusticiam redire videant, incredibili perfunduntur voluptate. Huius desiderij magnitudinem satis exprimunt verba illa Pauli, qui fratrum salutem impensius optans aiebat: *Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis*, ad Roman. 9. Et alibi: *Emulor enim vos Dei amulatione*. Et rursus voluptatis, atque gaudij magnitudinem satis declarant illa eiusdem Pauli verba ad Philippenf. 4. vbi ad fideles à se conuersos ait: *Itaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea sic state in Domino, &c.* Et cap. 2. *Si qua (inquit) consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, vt idem sapiatis, &c.*

Ecce qua ratione totum suum gaudium, & solatium infidelium profectum contulerat Paulus. Quasi dicat: reliqua omnia, si qua delectant animum: tamen gaudij mensuram non adimplent. Ergo implete gaudium meum. Sola enim vestra salus, & iustitia, quæ mihi inter alia in votis est, gaudij illius, quod animus meus capere potest, mensuram, & modum adæquat. *Nā dum vivo in carne* (verba sunt OEcumen.) *& Deo perfrui non licet, nihil ultra fruendum superest: non possum amplius gaudere, & beatus non esse*. Ergo Salomon ait: *Desiderium*, quo iusti alios sibi socios iustitiæ adiungere exoptant: si compleatur, delectat animam: ita vt gaudij totam mensuram adimpleat, & cumulet. Ex aduerso autem, detestantur impij eos, qui fugiunt mala. Id est, impios nihil magis contristat, & angit, quam illi, qui ab impietate, & nequitia ad pietatem, & iusticiam se conferunt: tum quia scelerum socios amittere egre ferunt: tum etiam, quia dum alios iusticiam colere vident, ipsimet sibi amplius displicent. Ac demum quia vt docet Augustin. de Ciuit. lib. 5. c. 4. multitudo impiorum quandam ipsis vitiis authoritatem conciliat: quam tunc cum plures ad-

78

Ad Rom. 9.

ad Phil. 4.

79

OEcumē

August.

76

77

honestatem reuocantur, adimi, aut extenuari peccatores grauius dolent.

80

Ad extremum lectio Septuaginta aliam expositionem offerre videtur, *Desideria piorum delectant animam: opera autem impiorum longe à scientia*, id est. Pij, ac iusti homines non modo opera bona præstant: sed etiam ipsa desideria, & internos animi motus ad honestatem referunt: ex quo eorum animi magnopere delectantur. Contrà impij non tantum desiderijs, ac votis impietatem amplectuntur: sed etiam operibus sectantur. Id sibi vult illud: *Opera autem impiorum longe à scientia*, id est, longe ab honestate: quod quidem satis accommodate dicitur. Nam qui prauusest, & tamen honestatem, prauitatemq; desiderijs, atque votis amplectitur: is quidem hand longe distat à bonis moribus: qui enim impense desiderat, in proximo est, vt cū primum integrū erit, optata perficiat: qui autē opera praua perficit, nullo honestatis desiderio, aut voto tenetur: hic sanè quā longissimè à iustitia, & bonis moribus abest. Mitto alias lectiones parum accommodatas.

XX. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis efficiatur.*

81

**Q**ui cum sapientibus graditur, Hebræa non dissonant. Septuaginta: *cum sapientibus ambulans sapiens erit*: sic habet textus correctior. Græcè, *συνεπιθεὸς ὕμνων*. Complutensis habet: *συνεπιθεὸς ὕμνων*, id est, *Qui circumfertur cum sapientibus, &c.*

*Amicus stultorum, &c.* Hebr. *Et pascens stultos*. *וּרְיִי יִרְוֶהוּ* *Ieroagh*: à verbo *וּרְוֶה* *Roangh*: cuius verbi non vna significatio. Nam significat malum esse, conterere, aut confringere: nonnunquam verò amicitias contrahere, aut assimilari. Adj. lexica. Hinc nata lectionum varietas. Alij ergo legunt. *Et pascens stultos malis erit ei*. Alij *confringetur*, aut *conteretur*. Noster Interpres ad postremam significationem retulit. Septuag. *Et qui ambulat cum insipientibus, cognoscetur*: in quibusdam libris est, *συνεπιθεὸς ὕμνων*, id est, *Qui vna circumuertitur cum stultis*. Schol. *συνπιθεὸς ὕμνων*, qui simul errat.

Sententia huius carminis valde perspicua est Monnet Salomon impiorum consortia vitare; & cum pijs inire commercia, & societates: nam ab vtriusque mores facile trahuntur. Quid certius? Expendamus singula. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit*: fieri enim non potest, vt cōsuetudine bonorum, atque prudentium non in dies proficiant mali, & imprudentes, ita vt ocys meliores, ac prudentiores reddantur. Obserua autem non ita dictum à Salomone. *Qui cum sapiente, sed qui cum sapientibus graditur*. Non enim sat cum vno, aut altero sapiente congregari, vt sapientiam inde facile trahas, sed cum pluribus: nam sociorum multitudo nescio qua ratione ad pietatem impellit. Accipe verba Diui Ephrem. in tract. de Charitate, *Vnus* (inquit) *in vnum facile vertitur, qui malitia superat*. Quasi dicat. Malus vnus facile in suos mores conuertit probum aliquem, ac piū: nam prauitatis

D. Ephr.

maxima vis est aduersus pietatem: addit verò: *Quapropter vnum malum vix multi boni in se conuertunt*. Ergo quicumque mores mutare, ac vertere voluerit, non vnum, aut alterum, sed plures sibi adiungat socios, Mellis amphoram, aut cadum parua admodum absynthij stilla corrumpit, & dulcedinem illius permutat: & ex aduerso absynthij modicam stillam vix multi melliscadi temperare, & ad omnimodam dulcedinem adducere possunt.

Pari ratione malus vnus plures facile inficit: vnus autem mali mores vix multorum probitas, & pietas in se transfert.

Nota est Hebræorum valde solemnitas ratio dicendi: *Ambulare*, aut *gradiri cum alio*: id est, eius familiaritate vti, & mores æmulari. Obseruanda tamen est illa translatio, quam nuper præmissi. *Qui cum sapientibus circumfertur, sapiens erit*. Est qui hanc lectionem ad scientiarum Encyclopædiam retulerit, Græci enim ex omnibus sciētis orbem, aut circulum conflare solebant, alias sub alijs deinceps constituentes: quem orbem Encyclopædiam appellarunt. Itaque sic exponunt: *Qui cum sapientibus per scientiarum circulearem ambitum in orbem se verterit, hic demum sapiens euadet*. Sed tamen sige tu tibi aliam virtutum Encyclopædiam. Sic enim accommodatior erit sententia (hic enim nomine sapientum non aliquos scientiarum omnium cognitione eruditos viros: sed virtutum omnium prudenti exercitatione instructos accipendos esse iam inde sapius admonui.) Rursus constitue tibi alium vitiorum omnium orbem aut circulum, per quem impij vna voluuntur: iuxta illud: *In circuitu impij ambulans*. Et accommodate cadet illa alia lectio. *Qui vna circumuertitur cum stultis, similis eis erit*: id est, qui cum improbis per vitiorum circulum in gyrum sese verterit, in eorum mores ocysabitur.

Rursus: *Qui cum sapientibus circumfertur, sapiens erit*. Vide suprā cap. 2. n. 9. vbi bonos quosdam virtutis gyros, alios item vitiorū pessimos orbis contemplati sumus: & ex illo in hunc locum non pauca transferre licebit. Extremam partem alij aliter extulerunt: *Et pascens stultos malum erit ei*: qui melius quidem conuerterent, *Et conuescens cum stultis*. Nam vox, quam noster socius conuertit, proprie significat conuictorem, aut conuescentem. Itaque sensus est, qui cum impijs simul pascitur, malum erit ei: id est, *Le hara mal prouecho*. Nam socius erit culpæ, ac pœnæ. Id ipsum sibi vult illud *confringetur*, aut *conteretur*.

XXI. *Peccatores persequitur malum, & iustis retribuentur bona.*

**P**eccatores persequitur malum. Septuaginta: *Eos, qui peccant, persequentur mala. Et iustis retribuentur bona*. Hebræicè: *Et iustis reddetur bonum*. Septuaginta: *Et iustos apprehendent bona*.

Peccatores haud impunes abituros docet hic Salomon: etiam si Deus eorum delictis conuiuere videatur: & rursus pios homines sua merce non frustrandos, quamuis ad tēpus laboribus, & erumnis vexentur. Sententia est luculenta: sed obseruandum est illud: *Peccatores persequitur malum* (vt animaduertit Iansenius) accipi posse, aut de malo culpæ, aut de malo pœnæ. Si ergo ad malum culpæ referas, sensus erit, Peccatores quidem sua ipsorum culpa persequitur, instat, vrget: nam conscientia criminis admissi semper illis obuersatur, & animam, ceu fera aliquam fugientem venatici in morem canis insectatur, captamque moribus assiduus stringit: mordet, inquam, ac remordet. Et quidem conscientiam criminis ream cum cane venatico timidissimum lepusculum insectante, admordente, & lacerante componi alibi diximus ex Chrysostomo. Alio etiam modo peccatores malum persequitur: scilicet tanquam vmbra. Diuus Basilus apud Antonium in Melissa, part. 1. serm. 16. *Quemadmodum* (inquit) *vmbra corpora:*

82

83

84

Basilus.

corpora:

corporum: sic peccata sequuntur animas, & manifestat facinorum representant imagines.

Tamen ut hæc prior pars cum posteriori melius concinat, aptius quidem accipitur de pœna hoc sensu, *Peccatores persequitur malum*. Persequitur, inquam, & assequitur illos suorum scelerum supplicium. verbum autem *persequitur*, emphasim habet: significat enim non differri, aut diucius duci, sed velocissimè adesse, & præsentissimè instare pœnam. Hierem. 20. ubi nos habemus, *Virgam vigilantem ego video*, alij legunt, *Virgam festinantem*: nomine autem virgæ secundum Hieronymum adsignificatur imminens supplicium. Aliter etiam malum, id est, pœna impios persequitur; quia ubique instat, atque obuerfatur illis opinio, ac metus pœnæ jam iam incidentis, & sæpè etiam in hac vita illos assequitur.

Septuaginta, ut extrema pars priori respondeat, ita conuertunt, *Et iustos apprehendent bona*. Quasi dicat, non solum sequuntur, sed etiam assequuntur illos bona. Nam ut ait Ecclesiast. *Benedictio Dei in mercedem iusti festinat, & in hora veloci processus illius fructificat*, id est, in maturitate, & velocitate antecellit tempus, & labentes, præcurrentesque horas præit. Vel potius crediderim horam hic nominari non illud temporis interuallum exiguum, quod diem distribuit, sed ex quatuor anni portionibus alteram: nam quatuor anni tempestates quatuor anni horas appellari nemo nescit. Itaque sensus est, *Et in hora veloci processus illius fructificat*, id est, benedictio Dei quæ iustum mercede cumulat, non tardat: sed perinde fructus suos mature reddit, sicut arbores, cum ver maturius, ac velocius accessit, ocyus germinant, & fructus decoquunt. Vel aliter cum ex fructibus alij primo verè, alij verò per autumnum maturi fiant: per *horam velocem*, primum ver accipit Ecclesiasticus: ut significet mercedem iusti non autumnalis in morem fructus differendam iri: sed maturè, ac cito tanquam verna poma eidem deferendam. Fortasse autem per *velocem horam*, (id est, primum ver secundum vulgarem illam partitionem vitæ in quatuor portiones, totidem anni partibus, ac tempestatibus respondentibus, de qua alibi diximus) accipit iuuentam, & primos annos: ut sensus sit. *Benedictio Dei non diducitur, non differtur in canos, sed festinat, atque in hora veloci, id est, in primo iuuentutis vere fructus suos iusto reddit. Vel* (si ita placet) primum ver hanc vitam, autumnus aliam significabit, & sensus eodem recidet. Quasi dicat, non in altera tantum vita veluti autumnalem: sed etiam in hac quasi vernam mercedem capiet.

XXII. Bonus relinquit hæredes filios, & nepotes: & custoditur iusto substantia peccatoris.

**B**onus relinquit hæredes filios, & nepotes. Hebraicè, *Hæreditare faciet filios filiorum*. Sic etiã legunt Septuaginta.

*Et custoditur iusto, &c.* Hebraicè, *Et recondita iusto facultas peccantis*. Septuaginta, *Et thesaurizantur iusto diuitiæ impiorum*.

Spirituales sensus quamplures in hæc verba cõiiciunt Interpretes. Lege Bedam, & Hugonem. Si autem literæ hæreamus, verba sunt perspicua. Crediderim verò non in vniuersum de viro iustitia, & probitate prædico sermonem esse: sed de illo, qui iustè, & sine fraude, aut iniuria diuitias adeptus est. Itaque ait, *Bonus relinquit hæredes filios, & nepotes*, id est, qui opes iustè partas obtinet, hic sanè illas

**A** non in filios solum: sed etiam in nepotes, & pronepotes cumulatissimè transfundet: nam diuitiæ iustè quæsitæ constantes sunt, & immobiles, *Et custoditur iusto substantia peccatoris*, id est, si quas avarus, & iniustus homo opes recondit, & asseruat: his quidem non ipse, non filij fruuntur: sed iusto alicui tandem aliquando cedent, qui illis ad pietatem vtatur. Fluunt sanè atque labuntur opes: illas tamen quodammodo pietas stagnat. Sententiam hanc iam inde alias illustrauimus: in verbis autem nihil animaduertendum occurrit.

XXIII. Multi cibi in noualibus patrum: & aliis congregantur absque iudicio.

**M**ulti cibi in noualibus patrum. Hebraicè pro illa voce *patrum* est, *רַשִׁים* *Rasim*, quæ vox pauperes, & capita significat. Noster ergo posteriorem significationem præferens nomine *capitum* parentes accipit. Alij autem sic transferunt, *Multius cibus in sulcatione Principum*. Chaldaeus, *Multius cibus enenit pauperi*. Pagninus, *in sulcatione pauperum*.

*Et aliis congregantur absque iudicio*. Hebraicè ad verbum, *Et est concisus absque iudicio*. Alij legunt, *Est qui perit sine facultate*. Chaldaeus, *Et est, qui præter ius mortem oppetit*. Septuaginta verò integram sententiam sic reddiderunt, *Iusti facient in diuitiis annos multos: iniusti autem emperibunt breui*.

Iusti diuersas huius loci translationes diuerse admodum, atque dissimiles expositiones eueniunt. Ergo si legas ad hunc modum, *Multius cibi in noualibus pauperum*, (ut plerisque lectitasse constat) potest quidem sententia hæc ad eleemosynam transferri, ut sensus sit. Pauperes vtique arua sunt arata, iterata, & nouata, quæ cum eleemosynarum semen exceperunt, vberimos fructus afferunt. Quapropter, *aliis congregantur absque iudicio*, nimirum cibi. Quasi dicat, illi prorsus iudicio, ac mente carent, qui cum possint diuitias suas in pauperes spargere, & secum ipsis in cælum transferre, eas aliis congerunt, & asseruant. Pauperes autem agrorum vbertatem imitari, & acceptas eleemosynas copiosissimis prouentibus compensare, alibi docuimus ex Paulo, & Patribus. Accipe tamen hic vnum, aut alterum testimonium. Ambrosi. in lib. de Nabuth.

**E** Israëlitæ cap. 7. ad illa verba, *seminat e vobis ad iustitiam*. Osee 10. *Esto* (inquit) *spiritualis agricola: sere quod tibi proficit, bona satio in corde viduarum. Si terra tibi reddit fructus vberiores, quam acceperit, quanto magis misericordiam remunerator reddet multiplicationem, qua dederis? Tibi proficit, quidquid in pauperes erogaueris, seminatur in terra, germinat in cælo, plantatur in pauperes, apud Deum pullulat.*

Rursus D. Chrysof. in serm. de Ieiuniis, & lect.

**F** Genesis tom. 1. sic addit, *si in terra* (inquit) *semines, quando feliciter decuplum colliges, & hoc cum multo labore, cum multis molestiis: in cælo autem seminanti, neque bobus, neque aratione, neque colonis, aut aliis eiusmodi laboribus opus est: ibi non grando metuitur, non solis adustio, non rubigo consumens, non locustarum exercitus formidandus est, non vicini paruitas, non potentis depredatio, non exactoris iniuria: sed seminum tuorum seges tuta, & illæsa consurgit*. Basilius item homilia in ditescens avaros, *Quemadmodum frumentum in terram cadens lucrum proiciendi parit: sic & panis in esurientem proiectus, &c.* Lege præterea Chrysof. hom. 55. & 42. in Genesim, & in Matth. hom. 5. qui tum his locis, tum alibi passim hac similitudine sementis vtitur.

Et quidem hoc in loco haud prætereunda est proprietates illius vocis in noualibus, quæ vulgatus noster vsus est. Noualia enim agri dicuntur denuo proficisci ad sementem (vt placet Seruio.) Item

Tullius.

ager cum secundò aratur, & subigitur ad excipiendum semen, nouale appellatur. Tullius 2. de orat.

*Agro (inquit) non semel arato, sed nouato, & iterato.* Denique nouale (vt placet Varroni) appellatur, quod post aliquorum annorum otium iam demum anno altero expeditum, & subactum est ad semen.

89

Itaque vt cumque accipiatur nouale, significat quidem terram mollitam, subactam, & opportunam ad ferendum. Quod sanè aptissime in pauperes quadrat: sunt enim agris denuo ad sementem proficisci, atque ruptis similes: non solum quia horum prouentus vberiores sunt, sed etiam, vt significetur terras quidem multorum annorum semente senescere, & sterilitatem contrahere: at pauperes quantumuis multis annis elemosynis ferantur: semper tamen ad instar noualium obtinet, & agros denuo proficiscos fecunditate sua imitantur. Agri sunt non semel arati, sed etiam nouati. Quasi dicat, alios quidem agros multo labore ad tementem comparamus: quia semel, & iterum sulcis

proficindere opus est: pauperes autem ipsimet per se parati, & quasi molliti, & subacti sunt ad semen excipiendum. Denique agricola agrum illum sementi accommodatum putat, quod postquam diu in otio fuit, tunc denuo aratur, ac feritur. Sanè auaritia, & impietas fidelium efficit, vt pauperes otiosis agris similes sint, vix enim pauca elemosynarum semina ab his excipiunt. Cum ergo tam accommodatum, & opportunum agrum nactus sis, ne committas, vt semen tuum illi quam liberalissime non credas. Audi Chrysoctom. in ea hom. 5. in

Chrysoct.

*Matth. Tu vero (inquit) si terram quidem pinguem, ac fertilem coleres: terram aratam, & mollitam, & quæ plurimum esset opportuna seminibus: non tantum illam propria horrea seminando euacuares: verum etiam mutuareris aliunde quod sereres: maximum enim detrimentum putares in re tali diligere parcitatem: cælum verò cum culturus sis, ubi nulla aeris inæqualitas, corruptio nulla ventorum est: sed plurimo ubique cum scenore semina iacta proueniunt, cunctarum, atque dissimularum, & dubitarum, quia possumus & parcendo perdere, & perdendo colligere? Sparge ergo, ne perdas: noli retinere, vt magis congreges, &c.*

90

Secundò aliter præmissam lectionem exponere licet, *Multi cibi in noualibus pauperum*, id est, agri quidem, quos pauperes serunt, vberiores messim reddunt: quia longe melius excoluntur, quam agri diuitum, ac procerum: hi enim per famulos, & mercenarios terram exercent, qui plerumque culturam negligunt: illi autem agriculturæ periti sunt, & per semetipsos agellos suos arant, seminant, serunt, &c. Propterea subdit, *Et aliis perit absque iudicio*: (sic habent Hebræa,) aliis nimirum ditioribus ideo cibis, id est, messis perit, quia nulla arte excoluntur, & elaborantur agri. Hanc expositionem præferunt ex Rabinis aliqui: & illam in eos spiritualiter inuertere licet, qui elemosynas non per ministros, aut famulos, inter quorum manus sapissime pereunt, sed per semetipsos largiuntur.

91

Cæterum si lectio isthæ probetur, alia mihi occurrit expositio accommodatiò ad hunc modum, *Multi cibi in noualibus pauperum*. Agricolas (ni fallor) pauperes appellat, quia fere eorum census, & res familiaris angustior est. Vel potius pauperes dixit hoc sensu: qui pauperes cum sint, agriculturam exercent, vt ditentur. His quidem noualia, & arua exulta multos cibos, id est, fructus vberes af-

ferunt, *Aliis vero pereunt absque iudicio*, hoc est, quæ aliis artibus, scilicet mercatura, aut negotiatione quaestus faciunt, quia fere absque iudicio, id est, iniuste, & cõtra fas opes lucrantur, propterea illis male parta male quoque pereunt. Itaque mens Salomonis est assignare discrimen inter eos, qui ex agricultura, & eos, qui ex negotiatione lucra quaerunt. Nam agricolæ innocentissimam artem exercent (vt alibi ex Ambrosio, & Aristotele docui) quapropter opes ea arte quaestus non dilabuntur, sed stabiles sunt. Mercatores autem, & negotiatores ferè iniuste, & cõtra fas quaestus faciunt: ex quo fit, vt quas ipsi cumulant opes, fluant quidem, & ad alios demigrent. Id sibi vult vulgata nostra lectio, *Et aliis congregatur absque iudicio*, id est, quæ iniuste, & sine æquitate parantur, ea quidem non his, qui illa acquirunt, sed aliis congregantur, & cumulantur. Locus autem hic ad hunc modum explicatus concinit cū superiori versu, qui ait, *Bonus relinquet heredes filios, & nepotes: custoditur iusto substantia peccatoris.*

Est etiam alia secunda translatio, quam multi nobiles interpretes amplexi sunt: hæc scilicet, *Multi cibi in noualibus Principum, & est consumptus absque iudicio*. Sententia autem est valde perspicua, id est, Principes quidem, atque ditissimi homines immensa agrorum iugera habere solent, & ex his copiosissimos fructus demetunt. Cæterum quia nullum suis expensis adhibent modum, temere, & sine prudentia annuos suos prouentus consumunt, atque decoquunt, ita vt vix ad victum necessaria aliis suppetant bona. Quid certius?

92

Translatio etiam septuaginta aliam quoque expositionem offert, *Iusti faciunt in diuitiis annos multos: iniusti autem peribunt breui*. Verba sunt luculenta: sed difficile est ostendere, quæ ratione originibus respondeant. Crediderim verò septuaginta, metalepsim hoc in loco agnouisse, & per noualia, & sulcationes annos intellexisse: quia scilicet singulis annis arua sulcantur, & nouantur, quem admodum Maro per aristas annos accepit, cum dixit.

*Post aliquot, mea regna vides mirabor, aristas.* Rursus nomine capitum, aut principum iustos: per cibos autem diuitias cepisse puto. Sic verò sensum instituerunt, *Iusti faciunt in diuitiis annos multos*: quæ verba cū superiori sententia cõsuenda sunt ad hunc modum. Iusti non modo relinquunt heredes suorum bonorum filios, ac nepotes: sed etiã ipsimet multos in diuitiis annos transigunt, & partis fruuntur. Ex aduerso autem iniustorum facultates non solum ad alienos deuoluuntur, postquã ipsi obierunt: sed etiã ipsimet maturius sublatis breuissimo interuallo eisdem potiuntur.

Virgil.

Succedat demum lectio vulgata, quæ reliquas splendore, & sensu vbertate antecellit, *Multi cibi in noualibus patrum*. Prima interpretatio est Iansenij ad hunc modum. Filij quidem ingentes sibi facultates, & opes facile comparant, cum parentum suorum laboribus insistant: tunc scilicet cum paterna ipsi prædia, aut iugera excolunt, & paternas exercitationes vrgent, ac promouent. Itaque Salomon monet filios parentum suorum artes amplecti, & ex his viuere, cum iustæ, & honestæ sunt. In posteriori autem parte mendum suspicatur Iansenius, atque adeo legendum esse, *Et alij congregantur absque iudicio*: non autem *Et aliis*, vt sensus sit. Et alij cibi, id est, opes, & fortunæ alio modo partæ: quæ scilicet aliis artibus, quã his, quas parentes exercuerunt, parantur: absque iudicio quidem parantur (nimirum absque iustitia) quia filios quidem ad parentum suorum artes laboriosas deferendas plerumque socordia impellit: aliquando etiam auaritia, quia putant se aliis artibus ampliores quaestus facturos esse. Vtraque autem, scilicet socordia, vel cupiditas,

93



multa iniusta, atque impia suadere solent. Vel *absque iudicio congregantur*, id est, sine peritia: quia filius nullam artem peritius exercet, quam illam, quam à parente suo accepit. Caterum hæc interpretatio abhorret à nostra vulgata lectione, & suspicio mendii falsa est: nam correctio Clementis Papæ nihil in hoc loco castigatione dignum censuit. Quapropter duas, aut tres horum verborum expositiones, atque optionem pariter do.

94

Secunda igitur interpretatio sic habet, *Multi cibi in noualibus patrum*. Per noualia filios intelligo, quos parentes, ceu agros quosdam vberes denuo proficissos excolere, atque bonis præceptis, & do-

Plutarch.

documentis conferere debent. Plutarchus in libro de liberis educandis, *Sicut in agrorum* (inquit) *cultura bonam esse imprimis tellurem oportet, tum ferendi peritum agricolam, deinde bona semina: eodem modo telluri filium, agricolæ præceptorem, seminibus studiorum institutiones, ac præcepta cõferes* Ad hæc Chryf.

Chrysof.

hom. 9. in 1. ad Timoth. *Nam ut fundus* (inquit) *sit optime cultus, cuncta molimur, eumque fideli viro magno cum studio tradimus. Caterum quod nobis charissimum est omnium, negligimus, neque curamus quo pacto filium nostrum fideli cuiquam viro permittamus, qui ipse tueri, ac seruare pudicitiam possit.* Et cerè nulla nobis possessio, nullus fundus aque nobis gratis, ac charus esse debet: quippe hæc omnia filii queruntur. Igitur maior nobis possessionum cura est, quam eorum, quorum gratia illa comparantur. Mitto alia: huius enim argumenti plura testimonia occurrunt passim apud Patres. Ergo sensus est, *Multi quidem cibi in noualibus patrum*, id est, filij, quos patres tanquam noualia supplicio quidem, ac verberibus arant, & profcindunt, præceptisque ac documentis optimis conferunt, vberes demum fructus honestatis, atque sapientiæ proferunt, *Aliis autem perit absque iudicio supple cibis* (præmitto hanc lectionem,) id est, aliis quidem parentibus, quia filios suos prævecordia, & temeritate non excolunt, neque elaborant, fructus omnis deperit. Vel ut habet vulgata, *Et aliis congregantur absque iudicio*, id est, si quis pater aliis, quam his rite cultis, & institutis filiis congregat, congeritque diuitias, is quidem imprudens est, atque mentis expers. Audi Chryf. paulo inferius, *Vt* (inquit) *filium relinquere diuitem, bonum illum, ac benignum esse doce. Ita enim rem familiarem etiã auctiorem facere poteris. Quod si malus ille fuerit, etiã si infinitam substantiam relinquant, non illi custodem reliquisti. Rursum filiis non recte instituis præstat quidem pauperes esse, quam diuites: pauperes enim vel inuitos coercet, atque intra virtutis limites continet. Opes verò ne volentes quidem pudice, ac temperanter viuere sinunt: verum exorbitare faciunt, atque peruertunt, malisque innumeris subiungunt.* Merito ergo Salomon imprudentiæ, atque vecordix insinuat parentes, qui eiusmodi filiis perperam institutis diuitias, & copias cumulare student.

Chrysof.

Ad hæc filios recte informatos optime noualia vocat Salomon secundum triplicem illam supra adscriptam noualium acceptionem: si enim noualia sint agri denuò proficissi, quos vulgò *arompidos* dicunt, opportuna est comparatio: quia sicut ager sponte arbutta, & gramina infrugifera multa emittit, quæ primùm extirpare, & radicitus eruere opus est, ut ad semen vile excipiendum comparetur: sic etiam filiorum in malum ex se natura proclius, mores vtique prauos, & impes affectiones veluti noxia germina sponte sua profert, quas stirpitis ex animis eradicare necessum est, ut vtilis mores, atque disciplinas excipiant. Rursum sicut arua ad eum modum nouis sulcis prærupta feracissima esse consueverunt: sic etiam puerilis ætas, prauis mo-

ribus extirpatis virtutum vberiores fructus afferre solet. Quid plura? Noualia dicuntur agri semel, & iterum arati ad sementem, cum quibus iuuenem recte institutum contulit Cicero lib. 2. de Orat. *Subactio* (inquit) *mihi ingenio, opus est, ut agro non semel arato, sed & nauato, & iterato quo meliores possit factus, & grandiores edere: subactio autem est usus, auditio, lectio, litera.* His enim quasi aratur, profcinditur, & mollitur indocile iuuenis ingenium. Denique noualia appellantur agri, qui post otium diuturnum ad ferendum parati sunt. Sanè in puerili ætate otiaur quodammodo natura: nihil enim maturum, nihil decoctum profert. Verum tamen sicut agri, quamdiu in otio sunt, etsi nullam maturam, & vtilem segetem afferant, tamen crebris arationibus molliuntur, ne carduis, ac vepribus horrescant, & syluescant: qui verò ad hunc modum arati, & subacti sunt, noualia appellantur. Non aliud de hominis ingenio iudicium ferendum est: quod quidem licet in puerili ætate nullam vtilem, & maturam virtutum segetem ferat: tamen verberare quasi vomere sæpè, ac sæpius arandum, & fulcandum est: ne obdurescentem indocilitatem contrahat, ac ne earum passionum, quarum ea ætas ferax esse consuevit, tribulis, ac vepribus pubescat, & horrescat. Quod vero hac ratione excultum est ingenium, id quidem, quasi nouale ad excipiendam iam tunc in adolescentia salutarium præceptorum semina mollium, & paratum est: atque in illud optime quadrat illud, *Multi cibi in noualibus patrum*. Hæc autem expositio, vel ex eo maximè aridere alicui possit, quia cum sequenti carmine pulchrè concinit. Subdit enim, *Qui parcat virga, odit filium suum, &c.*

Cicero.

95

Tertia expositio ad hunc modum conformari potest, *Multi cibi in noualibus patrum*, id est, parentes quidem agros multo labore, solitudine arantes, nouantes, iterantes, & ferentes copiosos fructus metunt, non tam sibi, quam liberis, quos diuites relinquere impensius optant. Sed quibus filiis, *Et aliis* (inquit) *congregantur absque iudicio*, id est, fructus illi, atque opes, quæ tanto labore, ac sudore parantur, aliis quidem parantur, qui consilio, & prudentia carent, qui acceptas à parentibus facultates immensas per breui tempore dilapidant. Itaque locus iste secundum hanc expositionem reprehendit parentes, qui plusquam par est, laboris ponunt in re sua amplificanda, ut ingentia patrimonialia liberis suis relinquunt: quia nimirum fere ita accidit, ut bona, quæ parentes industrij cumulant, stulti, & vecordes filij ocys dissipent, & dilapident. Quid certius?

96

Quarta demum interpretatio sic habet, *Multi cibi, &c.* Parentum industriam moderatur Salomon, & qua ex arte potissimum facultates filiis quærendæ sint, aperit. Quasi dicat, optima, & iustissima parandarum copiarum industria, qua parentes ad filios locupletandos vt debent: qui benè admodum cum liberis suis agunt, si illis amplos fundos, & prædia ad culturam hæreditario iure relinquunt, *Et alii congregantur absque iudicio*: nimirum aliis rationibus, aut artibus cibi, id est, facultates congeruntur liberis sine iudicio, hoc est, iniuste, & contra fas, fraude, & iniuria. (Iudicium enim sæpius accipi solet pro iustitia.) Nam vt supra animaduerti, mercatura, & negotiatio fraudibus, atque iniuriis plurimum subiacet, agricultura vero innocentissima ars est. Merito ergo Salomon suadet parentibus, qui filiis suis ingentia patrimonialia legare desiderant, ut ex agricultura diuitias quærant, alias verò quæstus faciendi rationes earum iustas omittant.

97

Tom. 1.

XXIV. *Qui parcat virga, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.*

98

**Q**ui parcat virga, &c. Hebraicè, *Prohibens virgam suam, odians filium suum.* Septuaginta, *Qui parcat baculo.* Sic habet Cyprianus contra Iud. 3. Epistol. 7. & Hieronymus in Zachar. *Qui parcat baculo suo.*

*Qui autem diligit illum, &c.* Hebraicè, *Et qui amat illum, diluculo querit ei castigationem.* Consonat Chaldaeus. Septuaginta, *Diligenter erudit.* D. Hieronym. supra, *Qui autem diligenter corripit, diligit.* Schol. *Diluculo adhibet ei disciplinam.*

Versus iste sic nectitur cum superiori: Non diligit ille impense liberos suos, qui amplissima ipsis patrimonialia sedulus quærit: sed qui illos accuratè instituit, atque informat. Quapropter, *Qui parcat virga, odit filium suum*, id est, non solum, qui liberos suos ex indulgentia nunquam punit: sed etiam ille, qui in eisdem castigandis parcus, & parum assiduus est, utique illos non adamat, sed immiti admodum odio prosequitur. Nam amor ille, qui liberorum quantumuis leues culpas impunitas relinquit, odij adinstar obtinet. Pro virga Hebraicè, *שֶׁבֶט* *sebet.* Septuaginta autem non *ῥαβδος* legerunt, sed *ῥαβδος*, id est, baculo, quo senes infirmi incumbunt. Et quidem filij quandiu in pueritia sunt, flagellis coercentur: cum verò adoleuerunt, virga aut baculo. Ergo Salomon seniore parentem, cuius iam filij adulti sunt, admonet, ne propterea eorum vitiis conniueat: sed flagellis, verberibusque etiam ineptos baculo tundat, & compescat. Quid verò baculi, aut virgæ ictus in liberis præstat, docet Salomon infra cap. 22. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplina fugabit eam.* Vbi non pauca dicam.

99

*Qui autem diligit eum, instanter erudit*, id est, castigat, ut accommodata sit appositio. Nullum maius paternæ benevolentia argumentum, quam assidua in filios animaduersio. Sed libræ committenda est lectio originalis, *Qui autem amat illum diluculo, querit ei castigationem.* Iansenius sic expendit, *Mane querit castigationem*, id est, non ex ira, sed animo sedato illum punit: tum quia animus diluculo sedatior est, & tranquillior: tum etiam, quia si mane posterioris diei, superioris culpas corripiat, iam tunc animus, qui dilectis calentibus excitatus fuit, ira deposita deferbuit. Rodolphus verò suaderi existimat, ut filiorum instituendorum cura relicta omnibus anteponatur. Nam pater, qui mane primo castigationem filij dilectissimi aliis negotiis præmittit, illius salutem ante omnia sibi cordi esse aperte ostendit. Ex Rabinis alter filios summo diluculo etiam nulla de causa feriendos esse propterea dicit, ut matutina illa castigatio per integrum diem in officio contineat. Posset etiam aliquis ad hunc modum exponere, *Mane querit ei castigationem*, id est, non differt supplicium, à pueritia, & teneris annis illum punire incipit: nam pueritia quædam vitæ aurora est. Et quidem hæc vna in re plurimorum parentum remissior erga liberos cura esse solet: nam ne filiorum teneritudinem lædant, sero ad eorum delicta puniendâ veniunt, cum non satis coerceri, & compesci possunt. Vel aliter dicemus Salomonem mensuram tēporis assignasse,

**A** qua filij subiiciendi sunt correptioni, & supplicio: nimirum cum illis prima lux rationis, velut aurora quædam irradiat, & affulget. Num cum iam inde ex tunc aliqua malitiæ cognitione imbuti sint, supplicium illis cautionem adducit. Mitto alia leuiora.

XXV. *Iustus comedit, & replet animam suam: venter autem impiorum insatiabilis.*

**I**ustus comedit, &c. Hebraicè, *Iustus comedens ad saturitatem animam suam.* Septuaginta, *Iustus comedens implet animam suam.* Scholiast. *implet ventrem suum.*

100

*Venter impiorum.* Hebraicè, *Et venter impiorum egebit.* Septuaginta, *Anima autem impiorum egenat.* Scholiast. *Venter impiorum.*

Rodolphus quidem secundū originale lectio-nem peculiarem interpretationem inuenit in hunc locum. Nam cum sic legat, *Iustus comedit, & replet animam suam: venter impiorum deficiet*, aut *egebit*, hunc sensum elicit. Iustus quidem modum, & temperantiam epulis adhibet: hinc autem fit, ut cibum appetentius sumat, & propter robur stomachi ad saturitatem usque edere possit. Impij autem, qui genio, ac ventri plurimum indulgent, subinde languente, & deficiente stomacho, cibos ex fastidio aspernantur, sine valetudinis periculo largius illos sumere non possunt. Id sibi vult, *venter impiorum deficiet.*

**C**aietanus verò, cui hæret Iansenius, eandem lectionem sic exponit, *Iustus* quidem, ob iustitiæ, & probitatis suæ meritum, opum atque bonorum satis obtinet à Deo, ex quibus affatim comedere, & exsatiari possit, *Attamen venter impiorum egebit*, id est, impij in fortunarum angustias deuenient, ita ut nec victui quidem necessitati suppedient. Vtraque interpretatio non displicet: sed tamen in vulgatam parum apte cadit.

Vulgatus ergo moralem magis sententiam conficit hoc modo, *Iustus comedit, & replet animam suam*, id est, partis bonis cupiditatem explet suam: nam pauca exoptat, atque adeo paucis contentus est, *Venter autem*, id est, cupiditas, *impiorum insatiabilis*: quia cupiditas habendi qua impij ardent, inexplebilis est. Nec insolens est cupiditatem avari cum ventre inexplebili conferre. Hinc nata est illa familiaris avari, & hydropici: & rursus illa canina famis, bulimiae aut limoctionis, & auaritiæ comparatio: de quibus nos iam inde supra cap. 10. vers. 3. multis egimus. Licet etiam germane hæc verba contra auaritiæ sordes exponere ad hunc modum, *Iustus comedit, &c.* id est, iustus quidem partis fruitur, & ex his, quæ lucratus est, comedit, atque expletur, *Venter autem impiorum insatiabilis*, id est, parci quidē, & illiberales avari, ut opes exaggerent, ne comedūt quidem: sed ventrem suū fame insatiabili enecāt. Nihil certius. Frustra hinc multa.

101

Locum istum spiritualem ad sensum vocant Beda venerabilis, Hugo, Carthusian. & alij. Et quidem Hugo tres mentes excogitauit, ex quibus iucundissimas dapes ad satietatem sumit iustus: primam sacrae scripturae, secundam orationis, & tertiam altaris sacrosancti. Adi illum. Ex quo etiam de auarorum inexplebili cupiditate non pauca desumere licebit.



## CAPVT

## DECIMUM-QUARTVM.



*S*apiens mulier edificat domum suam: insipiens extructam quoque manibus destruet. 2. Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via. 3. In ore stulti virga superbia: labia autem sapientum custodiunt eos. 4. Vbi non sunt boues, praesepe vacuum est: vbi autem plurima segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis. 5. Testis fidelis non mentitur: profert autem mendacium dolosus testis. 6. Querit derisor sapientiam, & non inuenit: doctrina prudentium facilis. 7. Vade contra virum stultum: & nescit labia prudentiae. 8. Sapientia callidi est intelligere viam suam: & imprudentia stultorum errans. 9. Stultus illudet peccatum: inter iustos morabitur gratia. 10. Cor, quod nouit amaritudinem animae suae, in gaudio eius non miscebitur extraneus. 11. Domus impiorum delebitur: tabernacula vero iustorum germinabunt. 12. Est via, quae videtur homini iusta: nouissima autem eius deducunt ad mortem. 13. Risus dolore miscebitur: & extrema gaudij luctus occupat. 14. Vis suis replebitur stultus: & super eum erit vir bonus. 15. Innocens credit omni verbo: astutus considerat gressus suos. Filio doloso nihil erit boni: seruo autem sapienti prosperi erunt actus, & dirigetur via eius. 16. Sapiens timet, & declinat à malo: stultus transibit, & confidit. 17. Impatiens operabitur stultitiam: & vir versutus odiosus est. 18. Possidebunt paruuli stultitiam: & expectabunt astuti scientiam. 19. Iacebunt mali ante bonos: & impij ante portas iustorum. 20. Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici autem diuicium multi. 21. Quis despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit. Qui credit in Domino, misericordiam diligit. 22. Errant qui operantur malum, misericordia, & veritas preparant bona. 23. In omni opere erit abundantia: vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas. 24. Corona sapientum, diuitiae eorum: fatuitas stultorum, imprudentia. 25. Liberat animas testis fidelis: & profert mendacia versipellis. 26. In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis eius erit spes. 27. Timor Domini fons vitae, ut declinent à ruina mortis. 28. In multitudine populi dignitas Regis: & in paucitate plebis ignominia Principis. 29. Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. 30. Vita carniuum, sanitas cordis: putredo ossium, inuidia. Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius: honorat autem eum, qui miseretur pauperis. 32. In malitia sua expelletur impius: sperat autem iustus in morte sua. 33. In corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quosque erudiet. 34. Iustitia eleuat gentem: miseros autem facit peccatum. 35. Acceptus est Regi minister intelligens: iracundiam eius inutilis sustinebit.

*I. Sapiens mulier edificat domum suam : insipiens extructam quoque destruit.*

**S**apiens mulier, &c. Hebraicè, *Sapientes mulierum edificavit domum suam*, id est, *Sapientium mulierum*, numerus multitudinis pro singulari. Septuaginta, *Sapientes mulieres edificarunt domos*, qui è conuerso numerum singularem pro multitudine capiendum esse censuerunt : scilicet, *edificauit*, pro *edificarunt*. Itaque non est audiendus Caietanus, qui hæc verba per comparisonem sic efferenda esse dixit, *Sapientes mulieres perinde sunt, ut ille, qui edificat domum suam*. Chaldaus, *Quæ sapiens est inter mulieres, &c.*

*Insipiens, &c.* Hebraicè, *Et stultitia in manibus suis destruet illam*. Septuaginta, *Imprudens autem demolita est suis manibus*. Chaldaus concinit cum nostra.

**S**apientis & insipientis Matris familias discrimen attingit Salomon. Itaque ait, *sapiens mulier edificat domum suam*. Dux omnino sunt huius loci expositiones. Prior ad moderationem, & institutionem familiæ : posterior ad amplificationem rei familiaris pertinet. Prior ergo sic habet. Mulier, seu Mater familias prudenti administratione rei domesticæ, & filiorum educatione familiam suam promouet, atque optima œconomia regit. Sicut enim domus materialis tunc exædificari & attolli dicitur, cum lapides, cæmentum, & ligna per sua loca affabre disposita in vnam fabricam cœunt : sic etiam domus ciuilis, id est, familia, tunc quidem construi, attolli, & in virtutis fastigium erigi dicitur, cum partes illius scilicet serui, liberi, clientis, suis quilibet operis destinantur, & in suo quilibet officio continentur. Huius enim domus, seu familiæ recta administratio tota ad vxorem spectat ex

*Ad Titum 2. num. 5.* *Adolescentulus, ut viros suos amet, filios suos diligant, prudentes, sobrias, castas, domus curam habentes.* Itaque Apostolus inter præcipuas muliebri prudentiæ partes numerauit domesticam curam. Et quidem Demosthenes apud

Maximum querit, an fœminas deceat Philosophia, & literarum studium. Addit verò, *Fœminarum tota Philosophia est œconomia. Hæc decet in primis : reliquæ autem scientia mirum est, si non dedecent.* Quod spectasse videtur Aristot. lib. 2. œconomicorū, cap. 1. vbi domesticam curam ad vxorem spectare suadet his verbis, *Probam mulierem omnibus, qui sunt in eis, dominari oportet, curamque habere omnium secundum scriptas leges.* Et paulò post, *Si igitur se ipsam his virtutibus inanimat mulier,* (nimirum hæc, quæ ad œconomiam spectant) *pergatque laudabiliter rebus domesticis præesse. Nam viro quidem indecens videtur ea scire, quæ intra domum sunt.* Et breui interstitio, *Intelligat autem non ita turpe esse viro quid quæ eorum, quæ domi sunt, facere, sicut mulieri, quæ foris sunt, curare, aut scire.* Quibus verbis fœminam domesticæ administrationi totam addicit : aliarum verò rerum curam, & noitiam illi interdicit. Ergo mulier virtutibus œconomicis inanimata familiam regere debet. Pende illa verba : *se ipsam his virtutibus inanimat*, significat enim Philosophus istiusmodi virtutes illis futuras esse pro anima : innuens scilicet eam, quæ illis caret, anima quodammodo, ac spiritu carere, ac demortui acinista obtinere eadaueris. Quid inde? Corruptio, & fœtor. Tutibalia meditare. Igitur illa mulier animata, & viua *edificat domum suam*, id est, amplificat illam, & promouet.

*Aristot.*

**I**nspiciens autem extructam quoque manibus destruet, id est, si domum, & familiam recte informatam, & institutam Mater familias imprudens, ac vecors adeat, illam breuissimo tempore evertit, atque permiscet. Ratio vero in promptu est, quia ut docet Aristot. apud Stobæum, *Matris familias vita totius domus vobis*, id est, *regula*, & norma est. Sicut ergo ædificium, ad quod extruendum regula deflecta, & obtorta adhibetur, muris delapsis ocys ad terram ruit : sic etiam familia, ad quam informandam stulta, & imprudens Mater familias assumitur, citius evertitur, ac prostermitur.

Posterior expositio de rei familiaris amplificatione, aut detrimento accipit ista verba, *Mulier sapiens edificat domum suam*. Primò quidem ad hunc modum. Vtique solemne fuit antiquis, ut viri vxores recens nuptas in parentum domum transferreret, & tam diu ibi agerent, donec ad propriam domum aut exædificandam, aut emendam satîs census suppetere. Quod alias nō semel docui, & aperte euincitur ex illo loco Iudic. 12. vbi de Abesâ Hebræorum duce, ac iudice sic scribitur, *Qui habuit triginta filios, & totidē filios quas emittēs foras maritis dedit,*

*Judic. 12.*

**A** verba, quibus scriptura vtitur in formatione mulieris, *Et edificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem* : quibus mulier ædificata, hoc est ædis in mortem conformata dicitur. Meminit autem scriptura ædium in eius formatione (inquit Eucherius) *ut ipsam intra ades futuram, & domesticas res curaturam esse significaret*. Subest tamen alia venustior, atque elegantior ratio huius loquutionis : quia nihil est, quod vnus domus, aut reipublicæ rectè administratæ figuram melius adumbret, quam mulieris corpus omnium membrorum apta dispositione elegans, & formosum. Ita docuit Aristot. lib. 1. œconomicorum. Plato lib. 2. de republic. Plutarchus in Politicis, & passim alij. Imo & Paulus inde ad Ecclesiam, & singulos illius status significandos similitudinem non semel transiit. Ergo propterea mulierem à Deo exædificatam dicit scriptura, non modo ut illam domesticis rebus præfuturam esse monstraret : sed etiam ut ex sua ipsius formatione, & conditione domus rectè administrandæ exemplar desumeret : sciretque tunc domum, & familiam bene institutam, & informatam fore, cum ex seruis, liberis, clientibus, atque aliis familiæ partibus pulchrum quoddam, & formosum corpus suis quasi membris compactum, & contextum euaderet.

*Eucher.*

*Aristot. Plato. Plutarch. D. Paul.*

5

Propius ad hanc meditationem accessit ex antiquis Strabo, qui ad illa Genesis verba sic addidit, *Costa edificatur in mulierem, ut mulier ipsa domus gubernanda exemplar esset* : nimirum sibi ipsi supra scripto modo, *Mulier igitur sapiens edificat domum suam*, id est, illam administratione prudenti auget, exornat, & splendidam reddit. Qualis autem esse debeat domus ornata, & amplificata splendor, docet Chrysof. hom. 85. & in cap. 26. Matth. *Vtilitas*

6

(inquit) *et domus splendor, aut deformitas non à vasis inordinate prosectis, nō à neglecto lectulo, nō à muris fumo decoloratis : sed à probitate habitantium cernitur. Quod sanè Christus ostendit, qui ob virtutem inhabitantis, vel vilissimas petere casas non dedignatur : ad improborum autem ades, etiamsi aureis conegantur laquearibus, nunquam tamen ingreditur. Illa igitur quauis Regia splendidior est, in qua Dominus habitat. Hæc vero quamuis aureis tectis, ingentibusque columnis constet, cloacis tamen, atque omni sordida confluentibus riuus similis est : cum diaboli vasa in ea continentur, cum domesticorum animas fuligo peccati infecit, aut odia intestina dissociant.* Subdit Salomon.

*Chrysof.*

7

*Insipiens autem extructam quoque manibus destruet*, id est, si domum, & familiam recte informatam, & institutam Mater familias imprudens, ac vecors adeat, illam breuissimo tempore evertit, atque permiscet. Ratio vero in promptu est, quia ut docet Aristot. apud Stobæum, *Matris familias vita totius domus vobis*, id est, *regula*, & norma est. Sicut ergo ædificium, ad quod extruendum regula deflecta, & obtorta adhibetur, muris delapsis ocys ad terram ruit : sic etiam familia, ad quam informandam stulta, & imprudens Mater familias assumitur, citius evertitur, ac prostermitur.

*Aristot.*

Posterior expositio de rei familiaris amplificatione, aut detrimento accipit ista verba, *Mulier sapiens edificat domum suam*. Primò quidem ad hunc modum. Vtique solemne fuit antiquis, ut viri vxores recens nuptas in parentum domum transferreret, & tam diu ibi agerent, donec ad propriam domum aut exædificandam, aut emendam satîs census suppetere. Quod alias nō semel docui, & aperte euincitur ex illo loco Iudic. 12. vbi de Abesâ Hebræorum duce, ac iudice sic scribitur, *Qui habuit triginta filios, & totidē filios quas emittēs foras maritis dedit,*

*Judic. 12.*

8 & eiusdem numeri filiis suis accepit uxores intro-  
ducens eos in domum suam. Ergo mulierem sapien-  
tem ex eo commendat Salomon, quod ipsa suis, ac  
domesticorum operis satis pretii ad edificandam  
domum propriam parare possit, ut ex ædibus fœceri  
fui in illam cum viro demigrare possit. Vel absolute  
ædificare domum est rem familiarem, & domesti-  
cam suis operis augere: quod quam proprium sit  
sipientis, & sollicitæ vxoris, infra dicemus cap. 3. à  
vers. 12.

9 *Inspiciens extructam quoque manibus destruet.* Si-  
cut nihil æque ad rem augendam iuuat, quam vxor  
sapiens, & sollicita manuum suarum industria ali-  
quid semper acquirens: sic etiam nihil ad eam euer-  
tendam, & decoquendam magis facit, quam stulta,  
& iners coniux: hæc enim manibus suis amplifi-  
sima patrimonia, & ingentes diuitias exhaurit. Ma-  
nibus inquam, id est, inertia, & incuria manuum,  
dum præ molliæ nihil, Vel *manibus suis*: quia non  
modo actiuosa non est ad comparandam rem: sed  
etiam profusa ad infumendam, interdum etiam fu-  
rax viui sui serinia & loculos elepit, & ablatas inde  
summâs in leuissimas res expendit, ac distrahit. De-  
nique illud *manibus suis*, dici quidem potuit à Salo-  
mone emphaticè. Nam fœmînâ nullo alio modo  
breuius, atque modèstius virorum fortunas euer-  
tunt, quâ vestium, annulorum, monilium, ac reli-  
quorû ornamentorû insanis sumptibus. De quibus  
sic Tertullian. de habitu muliebri. *Breuiissimis locu-  
lis patrimonium grande profert. Vno lino decies  
sestertium inseritur: salus, & insulas tenera cer-  
uix fere, graciles aurium cutes Kalendarium ex-  
pendunt* (id est totius anni sumptum) *& sinistra per  
singulos digitos de saccis singulis ludit. Hæc sunt vi-  
res ambitionis tantarum usurarum subleuata vno,  
& muliebri corpusculo baiulare.* Pende illa verba,  
& *sinistra per singulos digitos de sacco singulis lu-  
dit*, id est, annuli, quos sinistra singulis digitis inser-  
tos gerit, singulos saccos auro plenos æstimatione  
sua valent. Salomô ergo fortasse ad hos annulorum,  
atque monilium insanos sumptus alludens ait. Do-  
mum, id est domesticam rem à fœmînâ insipienti  
manibus destrui, atque exhauriri, quia in annulos,  
ac monilia totam à viro expendi facit.

Tertull.

II. *Ambulans recto itinere, & timens Deum  
despicitur ab eo, qui infami gradi-  
tur via.*

10 **A**mbulans recto itinere, & timens Deum Heb.  
Ambulans in rectitudine sua. Septuag. Qui  
ambulat recte, timet Dominum.

*Despicitur ab eo, &c.* Hebr. Et peruersus in viis  
suis spernens eum Septuaginta. Qui autem tortuose  
incedit in viis suis, afficitur ignominia. Chaldaus.  
Et qui calumniator est in via sua, spernit eum.

Ambiguitas lectionis Originalis locum fecit va-  
riis lectionibus, & interpretationibus. Nam primi-  
tiuâ, si verbum ex verbo reddas, sic sunt efferenda,  
*Ambulans in rectitudine sua timens Dominum, &  
peruersus in viis suis despicens eum.* Quapropter  
integrum est, potius hoc pronomen *eum*, vel ad  
Deum ipsum referre, vel ad illum, qui recta gradi-  
tur via. Ergo Hebræorum magistri ad Deum om-  
nes reuocant, & sensum ad hunc modum confor-  
mant, *Ambulans recte*, id est, sancte, ac pie viuens  
veretur, & religiose colit Deum. (Nam timorem  
Dei pro religioso eiusdem cultu accipi iam inde ali-  
bi non semel diximus.) *Peruersus autem in viis suis  
despicens eum.* Is videlicet, qui impie agit, & pra-  
uam peruersamque viuendi rationem iniuit, à pie-

Tom. I.

tate paulatim excidens eundem Deum Optimum  
Maximum despectui habet, & cultum illius reli-  
gionemque aspernatur. Sic ille. Possè tamen senten-  
tiam aliter melius instituere hoc modo. *Ambulans  
recto itinere timens Deum*: id est, Qui vere, & ex ani-  
mo Deum metuit, hic quidem timore ad rectam  
viuendi rationem tenendam compellitur. *Peruer-  
sus autem in viis suis despicens eum*: nimirum ex  
aduerso, qui Deum contemnit, atque illum mini-  
me veretur, quasi abiecto fræno à recta via exorbi-  
tans prauis, atque peruersis itineribus se committit.  
Hanc vero expositionem posteriorem priori præfe-  
ro, quia illustriorem sententiæ reddit.

Rodolphus, & Iansen. aliam cum hac posteriori  
interpretatione coherentem excogitarunt. *Ambu-  
lans scilicet in rectitudine timens Deum, &c.* id est,  
vita sancte, atque pie acta testatur quidem homi-  
nis timorem & obsequium erga Deum. Ac rursus  
vitæ prauitas & peruersitas eiusdem contemptum,  
& despicientiam prodit, iuxta illud Magni Grego-  
rii proloquium. *Probatum dilectionis exhibitio est  
operis.*

Cæterum vulgatus noster longe melius, & ac-  
commodatius pronomen *eum* ad ambulantem in  
rectitudine reuocauit: atque adeo sensum tenens,  
verba autem missa faciens, sic sententiæ extulit.  
*Ambulans recto itinere, & timens Deum despicitur  
ab eo, qui infami graditur via.* Ita sane euenire  
solet, ut qui infamem, & probrosam vitiorum viam  
sectantur, despiciant, ludibrio habeant, & conuitijs  
prosecundant eos, qui iuste atque pie viuunt. Ea est  
hominum petulantia. Sic sane vulgus sceleratorum  
iustos, ac pios homines probrosis quibusdam no-  
minibus compellat: scilicet, *Santurrones, Papa san-  
tos* & aliis eiusmodi: atque illos, qui pietati studet,  
stultos, molles, & euiratos esse dicit. Gregorius

Magnus ad illa verba Iob 12. *Deridetur iusti sim-  
plicitas. Omne (inquit) quod innocenter agitur,  
ab impijs proculdubio stultum putatur, & quid-  
quid in opere veritas approbat, carnali sapientie  
fatuum sonat. Quidnamque stultius videtur mun-  
do, quam verbis mentem ostendere, nil callida ma-  
chinatione simulare, nullas iniurijs contumelias red-  
dere, pro maledicentibus orare, paupertatem quære-  
re, possessa relinquere, rapienti maxillam alteram  
præbere?* Huc etiam flectit illa verba Exod. 8. *Ab-  
ominaciones Egyptiorum immolabimus Domino Deo  
nostro.* Nam sic addit. *Ones Egyptij edere dedi-  
gnantur: sed quod abominantur illi, hoc Israëlita  
Deo offerunt: quia simplicitatem conscientie, quam  
iniusti quisque velut infamam, abiectamque despi-  
ciunt, hanc iusti in virtutis sacrificium vertunt, &  
excolentes recte puritatem & mansuetudinem Deo  
immolant, quam abominantes reprobi fatuitatem  
putant.* Hæc ille apte ad rem nostram.

E *Abominaciones Egyptiorum immolabimus Domino Deo  
nostro.* Nam sic addit. *Ones Egyptij edere dedi-  
gnantur: sed quod abominantur illi, hoc Israëlita  
Deo offerunt: quia simplicitatem conscientie, quam  
iniusti quisque velut infamam, abiectamque despi-  
ciunt, hanc iusti in virtutis sacrificium vertunt, &  
excolentes recte puritatem & mansuetudinem Deo  
immolant, quam abominantes reprobi fatuitatem  
putant.* Hæc ille apte ad rem nostram.

F III. *In ore stulti virga superbia: labia autem sa-  
pientum custodiunt eos.*

**I**n ore stulti virga superbia. Hebr. *וִּיגָדְתָּ חֹתֶךָ*  
baculum significat, interdum etiam sceptrum  
imperij, & iuris insigne. Septuaginta. *Ex ore im-  
prudentum baculi contumelia.* Diuus Hierony-  
mus aduersus Rufinum. *In ore stulti baculus con-  
tumelia,* Theodotion, *ἐξ ὀφθαλμοῦ*, id est, *Virgula iniu-  
ria* Chald. *In ore stulti, virga, & tribulatio, vel  
contritio.*

*Labia autem sapientum, &c.* Hebræa non dis-  
sonant. Schol. *Labia autem Sapientum sonant ipsos.*

Iansenus, ut prior pars posteriori aduersetur, ad  
hunc modum exponit. *In ore stulti virga superbia,*  
Sf iij

xi

Gregor.

12

D. Greg.  
Iob. 12.  
num. 4.

Exod. 8.  
num. 28.

13

Hieron.

id est, stulti verba superba, & tumida perflantes saepe admodum sui fastus pœnas iustas sibi accersunt. Quod perinde est, ac si dicat: stulti propter tumidos sermones sustinent pœnas. Itaque *virgam superbiae*, eiusdem superbiae punitiorem accepit. *Labia autem sapientum custodiunt eos*. Id est, sapientes ipsi, dum labia sua moderantur, ab omni pœna salui sunt, & indemnes.

14  
Hieronymus.  
Gregorius.  
Ceterum reliqui expositores in aliam interpretationem conspirant, quam tradit etiam D. Hieron. contra Rufinum Apol. 2. in principio, & Diu. Gregor. Magnus Moral. lib. 24. cap. 9. Omnes enim censent stulti hominis os ad maledicendum proclive, & labile his verbis incufari: sed tamen non eodem modo virgæ similitudinem accommodant. Hugo sic ait. *In ore stulti virga superbiae*, id est, *Imperiosa correctio, & conuersio in ore iusti virga mansuetudinis, & dulcedinis*. Propterea (inquit) *in arca manna simul cum virga fuit. Et de virga Aaron legitur, quod fronduit, & amygdala protulit, quæ sunt cibum infirmorum*. Itaque per virgam superbiae intelligit immitem, & acerbam correctionem. Nam saepe in scriptura correctio in vniuersum per virgam notatur. Concinit Diu. Gregor. *Sed hæc*

Gregorius.  
(inquit) *esse propria arrogantium prædicatorum solent, ut etiam afflictos auditores suos magis districtè corripere appetunt, quam blandè refouere: plus enim student, ut mala obiurgando increpent, quam bona laudando confirmant. Superiores quippe videri desiderant: atque adeo magis gaudent, cum eorum animos ira eleuat, quam cum charitas exæquat. semper inuenire optant, quæ increpando rigide feriant, unde scriptum est: In ore stulti virga superbiae: quia percutere rigide scit, sed compari humiliter nescit*. Rodolphus metaphoram à virga, aut fuste ad percutiendum idonea ductam putat: similitudinem vero sic conformat. Stulti lingua fustem ad percutiendum lentum, & habilem imitatur; nam obuios quosque conuitiis, maledictis, detractionibus, & obloquutionibus ferit, & liuorem illis adducit: iuxta illud. *Plaga lingue liuorem facit*. Id est, non solum illius ictus dolet: sed etiam infamiae notam, tanquam liuorem, aut vibicem relinquit.

15  
Sed licet hæc aptè dicta sint, mallem tamen virgæ nomine non fustem, aut baculum ad feriendum notari, sed sceptrum, aut virgam imperij, atque potestatis insigne: vt sensus sit, *In ore stulti virga superbiae*, id est, stultus, ac vecors peccator præ fastu, atque superbia, perinde ac si virgam, & sceptrum imperij ore suo gereret, putat sibi omnium famam licere: atque adeo omnes probris appetit, conuitiis onerat, detractionibus denigrat, &c. Hoc sane linguæ, atque labiorum imperium sibi arrogant vesani peccatores apud Dauid Psalmo 11. *Qui dixerunt: linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est? Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam*. Septuaginta sic habent. *Ex ore imprudentium baculi contumelia*. Nos quidem solemnes quasdam, & familiares alicui dicendi formulas vulgo appellamus *Bordones*: quia nimirum his quasi bacillis sermonis imbecillitatem & egestatem fulciunt. Ergo licebit ad hunc modum verba Septuaginta exponere, *Los imprudentes, y necios tienen por bordones ordinarios*, detrahere, conuitiari, & vellicare aliorum famam. Eiusmodi sunt, qui nesciunt longum sermonem texere sine detractionis adminiculo.

16  
Ad hæc Theodotion conuertit, *In ore stulti virgula iniuria*. Græcè *παλδριον*. Et quidem *παλδριον* apud Græcos, sicut *virgula* apud Latinos, ferè accipitur pro instrumēto, quo Magi ad incantationes

abutebantur. Hi enim virgis monstra, metamorphoses, & alia pleraque mirabilia præstabant. Ex eo genere virgularum fuerunt illæ, quibus vsi sunt incantatores. Exod. 12. Et quidem cum virgulas istas ad alia Magi adhiberent, sed maxime ad fallaces, & præstigiosas transformationes faciendas (vt monet Hieronymus in eum locū.) Vnde apud Homerum Odif. 4. Pallas Vlissem virgula istum in iuuenem conuertit, & paulò post eundem virgulæ verberè senectuti reddidit. Rursus in Odif. 6. Circe socios Vlissem virgula percussos in fues transformasse dicit, & saepe alibi ad has transmutationes *παλδριον*, id est, virgulæ meminit. Ergo si liceat dicere, Salomonem ad eiusmodi virgulas monstrificas, & fallacium transmutationum operatrices hoc in loco alluisse, haud inepta euadet sententia ad hunc modum, *In ore stulti virgula iniuria*, id est, stultū (hoc nomine appellat impium) ore suo quandam veluti virgulam petit, linguam scilicet ad præstigias, & dolos faciendos eruditam, qua res, atque personas in eas formas versat, quas vult. Nam eum, quem nuper doctum, & eruditum lingua sua tanquam magica quadam virgula effecerat, paulò post eiusdem linguæ percussu stultum, & imperitum reddit: & ad eum modum omnes, quos attingit, arte sua facile transfert, & permutat, & plures ipse metamorphoses lingua sua facit, quam Magi *παλδριον*, aut virgula præstigiosa; *virgula* (inquam) *iniuria*, quia illa ad iniurias irrogandas abutitur, &c.

Subdit Salomon: *Labia autem sapientum custodiunt eos*. Non facilis nexus huius posterioris partis cū priori. Scholiast. vt duæ partes inuicem pugnant, posteriorem sic extulit. *Labia autem sapientum sanant*, quasi dicat. stulti lingua, quasi virga percutit, ac sauciat: ex aduerso autem lingua sapientis medetur, ac liuores sanat, id est, consolatur, ac erigit afflictos. Vulgata lectio alia ratione cohæret. *Labia sapientum custodiunt eos*. Quasi dicat, stulti ore suo alios laceſſunt, atque sauciant: prudentes vero, ac sapientes alios verbis non feriunt, quinimo ad eludendos verborum ictus labia, & verba obiciunt sua, nimirum verba mollia, & suauia. Nam vt alibi dicitur. *Sermo mollis frangit iram*. Itaque *labia sapientum eos custodiunt*, & muniunt aduersus conuitia, & probra stultorum, quia mollibus respōsis eorum aculeos obtundunt, & heberant.

17  
IV. *Ubi non sunt boues, præsepe vacuum est: ubi autem purissima segetes, ibi manifesta est fortitudo boni.*

V *Ubi non sunt boues, præsepe vacuum est*. Hebr. *præsepe mundum est*. Septuaginta: *præsepia munda sunt*. Aquila. *Eo quod non sint boues, sit fennum genimen electum*. Symmach. *Eo quod non sint boues, genimen præsepis mundum est*.

F *Ubi autem multa sunt segetes, &c.* Hebr. *Multitudo prouentuum in potentia bonis*. Septuaginta: *Ubi autem multa genimina, manifesta est virtus bonis*. Aquila. *Et multitudo geniminum in fortitudine in. enci* Symmachus. *Et multitudo geniminum in potentia tauri*. D. autem Hieron. in cap. 3. Abacuch. in hunc modum scribit. *Boues quoque non erunt in præsepibus, quia ubi plena sunt præsepia, manifesta est fortitudo bonis. Bos operarius est, bos Domini sustentans iugum, bos in cuius vestigium qui seuerit, beatus est*.

Non satis liquet inter expositores, an locus iste, vt sonat, de agricultura capiendus sit: an sub ea allegoria sublimiorem sensum claudat. Ceterum vt illum eruamus, si quis later allegoriæ cortex pri-

Hieron.  
Homerus.

17

18

Hieron.

19

mum excutiendus sit. *Vbi non sunt boues, præsepe vacuum est.* Quidam horreum, aut granarium præsepe loco subrogant: existimant enim vocem Hebraicam אבום *Ebom*, non præsepe solum, sed etiam hoiream notare. Vnde Hierem. 50. vbi nos legimus. *Aperite vt exeant, & conculcent eam*, plerique ex Hebraizantibus habent. *Aperite granaria, aut horrea.* Ergo secundum eam lectionem talis euadit sensus: Qui boues non habet ad exarandam, & altius profcindendam tellurem, huius quidem horrea vacua, & inania sunt: ex aduerso autem vbicumque multa segetes sunt, & abundans admodum annonæ, ibi sane bouum robur, ac latera perspicua fiunt: quasi dicat, copiosam, & vberem annonam valida, & operosa bouum cultura præstat.

Nostram lectionem præfatam ad sensum allicit Ianfenius hoc modo. *Vbi non sunt boues, præsepe vacuum est.* Id est, ciborum satis non suppetit ad alia pecora alenda: quia vix hominibus ad victum necessaria sunt: si autem boues sint multi ad terram excolendam, tam hominibus, quam pecoribus suppetunt alimenta copiosa. Non displicet. Vide tamen, an Salomon culturam bouum cum aliorum animalium cultura conferat. Id enim inter boues, atque alia animalia, quæ ad terram excolendam adhiberi solent, discriminis est, quod boues sceno aluntur, & aliiis graminiibus, quæ tellus sponte profert, & raro admodum ad præsepe veniunt: atque adeo earum segetum, quas labore suo excoluerunt, parum, aut nihil insumunt: alia vero animalia magnam messis partem in pabulum sibi vendicant: vtpotè multæ, ac multi, quorum præsepe multo hordeo assidue expleri debent. Ergo Salomon ait. *Vbi non sunt boues, præsepe vacuum est*, id est, euacuatur consumptis frugibus. Quasi dicat. Qui non boues, sed alia animalia ad agros colendos adhibet, hanc sane magnam frugum suarum partem in præsepe, id est, in pabulum eorum insumere necesse est. Similem sensum reddit illud, *Horreum vacuum est*: quia dum eorum animalium præsepe assiduo instruunt, horrea sua exhauriunt agricolæ. Denique ad eandem sententiam flecti potest quorundam interpretum meditatio, qui vocem Hebraicam אבום, (quæ mundum sonat, nec non etiam frumetum excussum, & purum) ad hanc posteriorem significationem referentes sic conuertunt. *Vbi non sunt boues, præsepe frumentum*, id est, vbi non boues, sed alia animalia agris inseruiunt, ex ipsomet frumento excussio, ac puro præsepe in eorum pastum quotidianum explere opus est, quod maximam messis partem consumit. *Vbi autem plurima segetes, ibi manifesta est fortitudo bouum*: quia cum boues victus parcissimi sint, & graminiibus sponte natis alantur, integram messem domino suo relinquunt.

Rursus aliam sententiam reddidit interpretatio Aquilæ ad hunc modum. *Vbi non sunt boues, sit scenum gentem electum, & multitudo fructuum in fortitudine iuueni.* Id est, vbi boues non sunt, abundat quidem scenum: tum quia boues depascere, & demetere solent: tum quia agri inculti scenum progerminant, frumenti autem, ac tritici inopia est: at vbi boues multi ac iuueni sunt ad exarandos, & colendos agros, frumenti magna vis est, sceni autem parum, tum quia boues id depascuntur, tum etiam quia agri exculi viles fructus afferunt. Hæc de cortice.

Quod si alicuius sensus sublimioris nucleum sub hoc cortice delitescens vestiges, licebit quidem præfatas expositiones sic euoluere. Caietanus ad hunc modum allegoriam soluit. Quemadmodum qui caret bobus habet præsepe, id est, stabulum mundum: qui autem boues habet, et si stabulum

immundius illi sit, gaudet tamen multitudine proventuum, atque fructuum: Sic etiam, qui curas animarum non suscipit, nec in agro Domini excolendo laborat, sed sibi metipsum totus vacat, maiori fortasse munditia, & puritate conscientia fruitur. Qui autem boues iungit suos, id est, operas suas proximo nauat, & actiuam vitam contemplationi adnectit, hic sane mentis ac conscientia sua præsepe, aut stabulum immundius habet: nam ex hominum consuetudine, & negotiosa vita semper aliquid fordium saltem leuium accedit: tamen vberiores, ac copiosiores fructus metit. Quid certius? Huc fortassis spectauit D. Paulinus in Epist. de Basilicis ædificandis, qui alio sensu à socordia, & tarditate ad impigrâ sollicitudinem homines traducere volens, sic scribit. *Neque in mentibus vestris tarditas bouum stabulet. Quia vbi non sunt boues, præsepe munda sunt*, id est, conscientia fordibus caret.

Reliqui interpretes nomine bouum præfectos, prælatos, prædicatores, ac doctores capiunt. Sic Beda, Hugo, Dionysius, & alij. Ergo iuxta primam expositionem allegoriam facilis sensus confirmatur. *Vbi non sunt boues*, id est, prælati, atque doctores industrii, ac studiosi, præsepe, id est, horreum vacuum est: quia nimirum pauca, aut nulla grana animarum in Ecclesiæ apothecas conduntur. Vbi autem copiosa animarum mellis, manifesta est fortitudo bouum, perspicua sunt doctorum latera, & indefessus labor. Vnde D. Gregor. in registro Indic. 1. c. 30. *Gratias itaque (ait) Omnipotenti Deo soluimus, quia in nobis impletum videmus, quod scriptum est: Vbi plurima segetes, ibi manifesta est fortitudo bouum. Si enim bos fortis aratrum lingua in terra cordis audientium non transfixisset, tanta fidelium seges minime surrexisset.* Beda hanc allegoriam minutius concidit. Vide apud ipsum. Hugo, & Dionysius Bedam transcribunt.

Secundæ interpretationis accommodatio etiam in promptu est hoc modo. *Vbi non sunt boues*, id est, doctores solliciti, & studiosi animarum, qui tamen boues lentius, & pigrius mouentur: *præsepe vacuum est*: nimirum rudioribus, qui velut animalia rationis expertia præsepe indigent, id est, facili quadam, atque humili doctrina eiusmodi pabulum deficit, & vix sapientioribus, atque doctioribus suppetit. At si doctores ad instar bouum, lentij, laboriosi, & industrii sint, tam doctis, quam indoctis accommodatum doctrinæ pabulum affertim suppeditant.

Tertia interpretatio morali sensui sic adaptanda est. *Vbi non sunt boues*: Id est, cum doctores, aut Præfecti animarum in agro Ecclesiæ excolendo non boues imitantur, qui victus parcissimi sunt: sed equos, aut mulas, quæ maximam messis partem deuorant, *præsepe quidem vacuum*: nimirum ipsi totas absument facultates, & proventus Ecclesiasticos, & nihil, aut vix aliquid pauperibus reliquum faciunt. Cum autem bobus similes sunt, & bouum ad instar sponte nascentibus, id est, non exquisito, sed communi, & vulgari victu contenti, ipsi quidem vix aliquid proventuum in suos vsus insumunt, & maxima redituum portio pauperibus cedit.

Quarta denique expositio, quam reddit interpretatio Aquilæ, apte etiam doctoribus accommodatur. *Vbi sunt boues*, id est, doctores egregij, ac industrii: *abundat quidem, & lasciuat fennum, deficit frumentum*: nimirum in agro Ecclesiæ caro, & carnales affectiones, aut carnales homines, quæ passim in scriptura cum sceno conferuntur, copiosissime proueniunt. Tum quia nostra tellus inculta, vacans, & otians eiusmodi affectiones parit: tum etiam, quia doctoris lingua & doctrina deficit,

Hierem. 50.  
num. 29.

D. Pauli.

Gregor.

quæ ceu lingua bouum eiusmodi luxuriam depasce-  
re consuevit. Frumentum autem vtile. id est, boni,  
& vtilis fideles pauci. aut nulli sunt. Ex aduerso au-  
tem cum ager Ecclesiæ foeni parum, frumenti vero  
plurimum affert, argumeto est doctores adesse, qui  
adinftar bouum animarum agros excolunt, & carna-  
lium hominum luxuriantem, lasciuietremque mul-  
titudinem lingua sua depascuntur.

V. Testis fidelis non mentitur: profert autem men-  
daciū dolosus testis.

23

**T**estis fidelis, &c. Hebr. *Testis veritatum, aut  
fidelitatum non mentietur: effabit autem men-  
dacia testis falsitatis.* Septuaginta: *Testis fidelis  
non mentitur: accendit autem falsi testis iniustus.*  
Complutensis, & Regia sic habent. *Accendit au-  
tem mentientem testis iniustus.* Aquil. Symmachus  
& Theodot. *Enuntiat falsa testis.* &c. Chald. *Et qui  
loquitur mendaciū testis detractor est.*

David  
Kimchi.

Si verba ista capiantur, vt sonant, simplicem valde  
sententiam reddunt, nec dignam vt in prouerbiales  
formas referatur. Ergo David Kimchi locum pe-  
nitius rimatus huic ad sensum vocauit. *Testis fide-  
lis non mentitur*, id est, qui sibi tanquam testi locu-  
pleti fidem præstari vult, ab omni abstinet menda-  
cio. Nam qui semel mendaci conuictus est, fide-  
lis in posterum haberi haud potest: vulgo enim di-  
cimus id lucri capere solitos mendaces, vt etiam ve-  
ra enunciantes fidem non faciant. *Profert autem  
mendaciū testis dolosus*, id est, semel proferens  
mendaciū testis dolosus, & infidelis habetur, &  
deinceps nullibi fidem facit. Non displicet hæc in-  
terpretatio.

Rursus etiam arridet Iansenii, & Rodolphi medi-  
tatio, quæ sic habet. *Testis fidelis non mentitur*, ni-  
mirum in familiari sermone mendacis non assue-  
scit. Nam qui per assuetudinem in familiaribus col-  
loquiis mentiri didicit, hic sane oblata occasione  
falsum testimonium facile proferet. Hoc sibi vult  
illud. *Profert autem mendaciū testis dolosus.* Ori-  
ginalis vero lectio huic interpretationi optime ac-  
commodatur. *Effat autem mendacia testis fraudu-  
lentus.* Nam efflandi verbum iam inde supra cap. 6.  
vers. 19. (vbi hæc ipsissima verba occurrunt) ad fa-  
cilitatem & consuetudinem spectare dixi. Vide ibi  
plura.

24

Ad hæc Hugonis quædam alia, etsi moralis expo-  
sitiō literalem alteram interpretationem spirat: sic  
enim. *Testis fidelis*, qui scilicet bona fide testimo-  
nium dicit, *non mentitur*, etiam si aliquando falsum  
affirmet: quia non mentitur proprie, nisi is, qui fal-  
sum sciens, ac volens dicit. *Profert autem mendaciū  
testis dolosus*, id est, ille vere ac proprie mentiri di-  
cendus est, qui fraude, ac dolo ex proposito deci-  
piendi falsum enunciat.

Cæterum mihi ante alias arridet expositio Lyræ:  
*Testis fidelis non mentitur*, id est qui vere, & ex ani-  
mo fidelis est, nullis vnquam rationibus adduci po-  
test, vt mentiatur, non minis, non vi, non pretio, aut  
prece: hæc enim sunt, quæ testes ad falsa testimo-  
nia proferenda adducere solent. Illud enim *non me-  
ntitur* absolute dictū significat eum nullis vnquam  
artibus ad mentiendum impelli. *Profert autem vel*  
(vt habent Primitiua,) *effat*, seu *spirat mendaciā tes-  
tis dolosus*, id est, facile ad mentiendum adducitur:  
sponte quidem mendacia profert, & falsa testimonia  
veluti exhalat, sine pretio, sine minis, &c. Censuram  
autem earum lectionum, quas initio præmiti vide  
supra cap. 6. vers. 19. vbi illas accuratius discussi, &  
expendi.

VI. Querit derisor sapiētiā, & non inuenit: do-  
ctrina prudentium facilis.

**Q**uerit derisor sapiētiā, & non inuenit.  
Hebr. *Querit irrisor sapiētiā, & non.* No-  
ster autem interpretès adiecit verbum *inuenit*. Chald.  
legit. & *non adest*. Caietan, putat repetendum, &  
*non quæsiuit*: quia nimirum tanta inertia quæsiuit,  
vt perinde esset, ac si non quæreret. Aquila habet,  
& *non est*. Concinit Symmachus, sed paulo aliter.  
*Quæsiuit pestilens sapiētiā, & non est.* Septua-  
ginta: *Quæres sapiētiā apud malos, & non in-  
uenies.*

*Doctrina prudentium facilis.* Hebr. *Et sciētia  
intelligenti leuis.* Chald. *Et sciētia prudenti vile-  
scit.* Septuaginta: *Sensus autem apud prudentes fa-  
cilis est.* Theodot. *leuis est.*

Illud in ancipiti est, quid derisoris nomine signi-  
ficetur. Rodolphus iuuenem intelligit, qui iocis ac  
nugis magnam ætatis partem impendit. Hic enim  
cum ad seria sapiētiæ, & honestatis studia se con-  
uertit, etsi illam auidius inquirat: tamen nugis affue-  
tus non inuenit. Itaque ait, *Derisor querit sapiētiā,  
& inuenit*, nimirum iunior, qui in iocis, ac naniis æ-  
tatem triuit, etiam si meliora deinde sapere velit, at-  
que seriis rebus animum adicere: tamen id nunquā  
obtinere. *Doctrina prudentium facilis*, id est, illi, qui  
à pueritia, prudentiam, & serios mores didicerunt,  
quælibet honestatis, ac probitatis documenta facile  
arripunt. Eam ob causam Plato de legibus, Dial. 7.  
præcipit, ne pueris notos inuenire ludos liceat, nec  
inuentis nimium temporis dare. *Nam vir* (inquit)

**D** facti assueti nonationibus (id est, nouis ludis) aliam  
vitam querunt, & ea quæ sita alias leges cupiunt.  
Quasi dicat, seuerā legum disciplinam, quam à ma-  
ioribus acceperunt, repudiant, & liberiore aliam  
viuendi ratione inquirunt. Vide quæ hac de re con-  
iecimus in illa verba. ca. 1. ver. 22. *Vsq̄nequo paruuli  
diligis infantiam.*

Hugo per derisorem hypocritam intelligit, vel  
Hæreticum. Iansenius vero propius ad veritatem  
accessisse videtur: putat enim derisorem hinc appel-  
lari illum, qui longo tempore honestatis præcepta

**E** per cōtemptum, ac risum transgressus est: hic enim  
etsi deinde ad meliorem frugem sese recipere, & ho-  
nestos mores inchoare impense cupiat, non tamen  
assequitur. De his enim supra cap. 1. ipsamet sapiē-  
tia, atque honestas sic fatur. *Manc surgent, &  
non inuenient me: eo quod exosam habuerit discipli-  
nam, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint  
vniuerso correptioni meæ.* Ex aduerso autem, *doctri-  
na prudentium facilis*: id est, his, qui iam inde pru-  
dentia, & virtute vel parum exculti sunt, vltèrius no-  
ua prudentia, & honestatis præcepta, & documen-  
ta exequi facile, & proclive est. *Querit derisor sa-  
piētiā.* Verbum Hebraicum (vt obseruat Hi-

**F**manuel) propriè significat *vestigat*, ducta simili-  
tudine à venaticis canibus, qui ferarum vestigia ol-  
factu persequuntur. Itaque sensus est, qui virtu-  
tem diu contempsit ac derisit, cum aliquando re-  
spiscit, & ad quærendam honestatem se compa-  
rat: etiam si venatici adinstar canis illam per sollici-  
tam indaginem vestiget, non inuenit. Ratio autem  
in promptu est, quia virtus alias cicur, & mitis his,  
qui illi ob consuetudinem familiares, & noti sunt  
derisoribus ob desuetudinem inimicem, & feram  
se præbet: atque adeo feræ in modum ab illis vesti-  
ganda est. Quam ideo sapius non inueniunt, quia  
velut canes venatici (auatore Aristotele) cum ven-  
tus aliquis vehementior incumbit, diffilato odore

Himmanuel

Aristot.



ferasum vestigia non obeunt: sic etiam his passio, & vehemens erga vitium affectio venti adinstar ex aduerso flantis sapientiae, sapientiumque vestigia persequi non sinit.

27

Cæterum licet hæc apposite dicta videantur, tamen reliquis expositionibus præstare mihi videtur interpretatio facilis Lyrae, qui locum istum ad huc modum edisserit. *Derisor querit sapientiam, & non inuenit*: id est, qui aliorum deridet, contemnitque sententias, & doctrinam, atque suo ipsius ingenio, & mentis vi sapientiam se adepturum sperat, is nequaquam inuenit. Et quidem sapientiam indagine quadam vestigandam docuit Cyrillus Alexand. in Ioan. lib. 1. c. 12. cuius verba alibi dedimus. *Canes (inquit) venaticos imitatur sapiens, huc illuc feras quærentes. Ipse enim non intellectam rem saepe, ac multum vestigans, interrogansque tandem assequitur.* Ergo in eum, qui præ fastu, & tumore aliorum doctrinam aspernatur, apte quadrat illud. *Querit*: id est, vestigat, & non inuenit, vel (vt transtulit Caietanus) & non vestigat: quia licet ad inquirendam sapientiam sese comparet, eamque vestigare videatur, vere tamen non vestigat. Nam vt ait Cyrill. ille solum vestigia sapientiae sollicita indagine persequitur, qui saepe, ac multum alios interrogat, & ab aliis edoceri vult. Et quidem apte, Nam sapientiae vestigia non alibi sane, quam in viris sapientibus expressa sunt: quapropter quicumque sapientiae vestigiis adhærere, & eam indagare voluerit, sapientes adire, & consulere imprimis debet. Rursus quia (vt nuper ex Aristot. obseruauimus) sicut ventus ferarum vestigia diffat, & indagandi vim in canibus hebetat: sic etiam fastus, & superbia, qua suo quis ingenio plurimum tribuens alios deridet, sapientiae indagandae vim omnem adimit. Subdit Salomon:

*Et doctrina prudentum facilis.* Hebraice: *intelligentium*, licet etiam vertere *discientium*, quod perinde est, ac si dicat; Quicumque alios humiliter auscultant, & ab ipsis edoceri volunt, facili negotio magnam doctrinam facultatem adipiscuntur. Ex Hebraeo plurimi conuertunt. *Et doctrina intelligendi leuis*: quæ lectio apte huic sententiae accommodatur. Nam his, qui alios sibi præceptores, & magistros ad paradam sapientiam adhibent, leuis admodum sapientia est, quia nullo, aut leuissimo labore paratur. Ad hæc Chaldaica paraphrasis huic interpretationi præclare inseruit. *Et scientia prudenti vilescit*: id est, exiguo, ac vili pretio constat. Succedat memoria id, quod alibi docuimus ex Laërtio lib. 6. cap. 6. scilicet: *Domum, vestem, & alia pecunia emi: disciplinas autem emi tempore, ac labore.* Scientia igitur, *prudenti vilescit*. Nam cum pretium, quo scientiae, ac disciplinae comparantur, non aliud sit, quam tempus & labor: ei sane, qui plures sibi Doctores ad eas assequendas adhibet, vilissimo pretio constat: huic enim temporis, ac laboris breuior mora, & minus dispendium satis est.

28

Ad extremum discutienda est lectio Septuaginta, quæ parum diuersam sententiam offert. *Quæres sapientiam apud malos, & non inuenies, sensus autem apud prudentes facilis est.* Quæ verba docent sapientiam, & honestatem non esse quærendam, aut expetendam ab improbis: nam eius apud ipsos nullum vestigium inuenire licebit: sed à prudentibus, atque probis viris hauriendam esse: apud hos enim facile reperitur, ac velut obuia sese in manus dat. Quia licet improbi nonnunquam de præceptis honestatis, atque virtutis disceptent, tamen hæc suis auditoribus haud suadent: probi autem in animos audientium facile virtutis dogma instillant. Nihil certius. Pergo ad alia.

VII. Vade contra virum stultum: & nescit labia prudentia.

Vade contra virum stultum, &c. Hebr. *Vade eminus cum viro stulto, & nescies labia prudentia.* Chald. *Vade per viam aliam a viro stulto: quia in labiis eius non est scientia.* Septuaginta longe aliter: *Omnia contraria viro imprudenti: anima autem sensus labia sapientia.* Aquila, & Theod. extremam partem, sic extulerunt: *Et nesciens labia prudentia.* In vulgatis autem codicibus antiquioribus dissidium erat: alij enim legebant, & nesciet, alij, & nescit. Denique non pauci habebant, & nescio. Correctior textus Clem. præscriptam lectionem anteposuit: atque adeo eam amplecti debemus.

Sed obseruandum est pro contra Heb. legi מינגד *Minged*, quæ significat è contra, è regione, nec non etiam eminus, vel à longe: hæc autem diuersitas dissimiles peperit expositiones. Prima est Hebræis perquam familiaris ad hunc modum: *Vade contra stultum, & nescies labia scientia.* Quod perinde est, ac si dicat: si quis vadit è regione hominis stulti, id est, qui illi sæpius obuiam procedit, ac sese illi comitem adiungit familiariter eo vtens: hic sane nescit labia scientia, id est, loquendi prudentiam, & peritiam nunquam addiscit, quæ ex consuetudine sapientum comparari solet.

Secunda interpretatio est Caiet. & Rodolph. qui illis verbis, & nescit labia scientia: aliquid addendum esse putant, quod secundum linguam sanctæ idioma subintelligi consuevit, scilicet relatiuum: & huc ad modum efferendum esse dicunt: *Vade contra virum stultum, & eum qui nescit labia scientia*, id est, discede, seu abi longius à viro stulto, & ab eo, qui imperite, & imprudenter loquitur: vterque enim magnopere cauendus est, & quam longissimè vitandus.

Iansenius veterem lectionem amplexus, sic exponit: *Vade contra virum stultum*, id est, discede à viro stulto, neque cum illo vnquam congregiare: *Et nescio labia scientia*, id est, file, ac si opus est, simulate nihil scire, & loquendi imperitum, & imprudentem esse. Itaque stulti hominis consortium, & colloquia vitanda esse docet, etiam si opus sit inficitia, atque ignorationis notam sibi accersere: & potius simulandam imperitiam dicendi, quam stulto respondendum, aut cum fatuo colloquendum esse, iuxta illud: *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne similis illi efficiaris.*

Quartam expositionem coniecit Beda in huc locum, cui harent Lyra, Dionysius, & alij: *Vade contra virum stultum, & nescit*, vel *nesciet labia prudentia*, vtroque enim modo legunt. Id est, etiam si in viro stultum audacius incurras illum arguendo, & corripiendo, vel cum illo disceptando: is quidem verba tua, quantumlibet scite, ac prudenter dicta profus nesciet, id est, non tenebit, non capiet.

Cæterum mihi ante alias probatur interpretatio Thargum, quæ in lectionem vulgatam aptè cadit: ita enim habet: *Vade per viam aliam a viro stulto: quia in labiis eius non est scientia.* Itaq; ex eo quam longissimè stultum cauendum esse dicit, quia labia sua non moderatur, aut continet: sed insipienter, & fatue, quidquid in buccam venerit, promit. Sic accipienda sunt verba vulgata: *Vade contra virum stultum*, id est, viam illam capeffe, quæ longius ab illo fertur: nimirum viam tene ei aduersam, qua ille pergit: *Et nescit labia prudentia.* Particula, &, cum alibi pro causali, quia, sumi soleat (vt non semel ob-

Cyr. Ale.

Aristot.

Lactius.

seruau) tum maximè in hoc loco. Itaque sic sensus conformandus est: *Et nescit. id est, quia nescit, &c.* nimirum quia nihil prudenter, & moderate dicit, sed omnia temere, & inconsiderate pronunciat. Et quidem job eam causam potissimum stultorum confortia, & consuetudines vitandas esse, quia linguam moderari, ac temperare nesciunt, docet Arist. Ethic. l. 8. cap. 6. Nam cù amicitia familiaribus colloquiis alatur, & plura inter amicos arcana esse oporteat, quicunque linguam continere ac frænare nescit, ad amicitiam idoneus non est. Merito ergo Salomon suadet stultorum familiaritates vitare, quia linguam temperare non satis norunt.

32

Ad extremum libræ committenda est lectio Septuaginta quæ sic habet: *Omnia contraria viro imprudenti: arma autem sensus labia sapientia*, id est, imprudens vir omnia, id est, omnes sibi aduersarios experitur, & ab omnibus læditur, quia omnes aduersus illū propter fatua, & importuna verba quodammodo conspirant: nihil enim est, quod magis homines laceffat, & ad furōrem permoueat, quam fatui, & inepti sermones: *Arma autem sensus labia sapientia*, id est, arma hominis sensati, quibus seipsum munit, & hostes suos debellat, sunt utique labia ipsa prudenter moderata. Itaque inter prudentem, & fatuum, id interest, quod fatuus linguæ imperitia, & ineptiis multos aduersarios sibi accersit, & iram eorum in se concitat: prudens autem scite, ac prudenter dictis, quasi quibusdam armis omnium aduersariorum suorum peruincit furōre atque iram domat. Et sanè sicut nihil est, quod maiores discordias, & implacabiliora bella concitet, quam lingua petulans, & fatua: ita etiam nihil est, quod æquè discordias omnes pacare, & bella sedare possit, sicut eucharis, & moderata lingua. Vel aliter præmissa verba exponere licet ad hunc modū. *Omnia quidem contraria sunt viro imprudenti, &c.* id est, omnia illi bellum crudele mouent: sed tamen nulla aduersus ipsum arma sæuiora sunt, quam labia sapientia hominis sensati. His enim crudelius, quam sagittis, & iaculis configitur: his sæuius gladiis, hastisque confoditur. Verba quidem utramque recipiunt expositionem: ego verò posteriorem hanc præfero.

VIII. *Sapientia callidi est intelligere viam suam: & imprudentia stultorum errans.*

33

*Sapientia callidi est intelligere viam suam.* Hebraica non dissonant. Chaldaus: *Sapientia callidi est intelligentia via sua*: eodem sensu. Septua. *Sapientia astutorum cognosceat vias ipsorum.*

*Et imprudentia stultorum errans.* Hebraicè: *Et imprudentia imprudentium dolus.* Septuaginta: *Dementia autem impudentium in errore.* Aquila, & Theodot. *fraus.* Symmach. *dolus.*

Hanc Salomonis sententiam non eodem modo exponunt interpretes. Sed ne frustra in his referendis tempus teram, quæ nihil, aut parum lepōris habent, nostram de huius loci sententia cēsuram paucis habero: *Sapientia callidi est intelligere viam suam.* Callidus hic accipitur in bono (vt sæpè aliàs in hoc libro) cui respondet in Hebræo vox ערומ Gharom: quæ (vt iam inde suprâ non semel monui) secundum Rabinorum sententiam de serpente propriè enunciat. Ergo Salomon bonæ atque vtilis astutiæ, seu calliditatis naturâ describit, & in quo consistat, aperit his verbis. *Sapientia callidi*: id est, eius, qui vtili astutia præditus est, sapientia, & prudentia tota in eo vertitur, vt intelligat homo viam suam, id est, vt in omni occasione quid facto opus sit, solerter co-

A cognoscat, & rectam, & sibi conuenientē vitæ incedæ rationem calleat. Neque abit ab hac sententia Aristotel. Magnorum Mor. l. 1. c. 35. vbi postquam statuit astutiam istam bonam quandam esse prudentiæ partem, sic addit: *Prudentis & prudentia est optima expectere, eaque sibi proponere, atque altitare: at astuti, & astutia fuerit ex quibusdam demum fiant singula, quæ sub actionem cadunt, & quæ exhibenda.* Cum Aristotele concinit D. Basilius homilia in principium Prouerbiorum: qui ad illa verba, *Ve detur paruulis astutia*: huius bonæ astutiæ finitionem dilucide tradit. *Astutia* (inquit) *est actio animi cum attentione quadam, & arte, & studio laudabili rerum omnium agendarum, sicut & versutia mali tantum studium, & operationem exprimit.* Quoniam igitur astutus vniuersorum suscipit actionē, astuti appellatio duo significat: astutus quidem improbus sensu, & arte in alienis vitur malis: laudabilis vero cito, ac solerter bonum proprium vestigans, dolos, & insidias alienas rectè cognoscit, atque euitat. Itaque perinde est, ac si dicat Salomon. *Sapientia hominis callidi* non consistit in fraude, aut versutia: sed tota est ethica, atque moralis ad moderationem vitæ spectans.

*Intelligere viam suam.* Diu. Thom. 2. 2. c. 2. t. 55. artic. 4. in corpore, simulatam, & dolosam astutiam à laudabili astu sic discernit. *Ad malam astutiam utique pertinet assumere vias non veras, sed simulatas, & apparentes ad aliquem finem assequendum, sicut excogitatio rectarum viarum ad finem pertinet ad prudentiam.* Vbi plane ait cognitionem, & intelligentiam rectæ viæ esse propriam vtilis astutiæ. Quomodo autem via isthæ cognitionē nostra permetienda sit, & perambulanda, docet Bernardus in ferm. 20. ex paruulis, vbi principium, medium, ac finem illius obseruare iubet his verbis. *Attende homo, unde venis, & erubescere, vbies, & ingemisce, quo vadis, & contremisce.* Ait autem Salomon suam cuique viam intelligendam esse: *suum* inquam, quia astutia laudabilis in eo sita est, vt quilibet suam, id est, suæ conditionis, status, officij, ætatis, aut etiam captus viam norit, atque illam omninò teneat. Quia verò hic prudens Gharom, à serpentis calliditate, & astu dicitur, inter alia, quibus serpens prudentiam commendat suam, illud est, quod cum pedibus careat, atque ad eam per terram reptare illi opus sit, fugit prærupta, & ferè per plana, & æquabilia vias regit suas. (Sic tradit Plinius libro sexto cap. 15. Alian. & alij) in planis verò tam velociter fertur, vt leuissimorum equorum cursum adæquet (sic Albertus Magnus.) Quid inde? Merito quidem Salomon sapientiam hominis callidi in cognitione propriæ viæ sitam esse dicit: eius, inquam, qui calliditate sua serpentis astum æmulat. Nam sicut ad serpentis prudentiam spectat vias planas, & sibi conuenientes eligere: incomptas verò, atque difficiles fugere: sic etiam ad prudentiam serpentinæ prudentiæ æmulam pertinet eas vitendi rationes sedari, quæ cum statu, & ingenio potissimum congruant. Hæ enim hominī planæ, imò procliuēs sunt, reliquæ difficiles, & accliuēs.

*Et imprudentia stultorum errans.* Hebraicè: *Imprudentia imprudentium dolus.* Vtique inter homines illi appellantur vulgò prudentes, sagi, & cati, qui artificiose dolos inueniunt, & fraudes committunt. Hanc igitur opinionem confutat Salomon, atque istam non prudentiam, sed meram stultitiam, & fatuam imprudentiam esse affirmat. Hoc sibi vult illud: *Imprudentia, imprudentium dolus.* Quod autē vulgatus ait: *Imprudentia stultorum errans*, referendum est ad viam, cuius mentio præcesserat.

Aristot.

Basilius.

34  
D. Thom.

Bernard.

Plinius.  
Alian.

Albert.

cesserat, id est, aberrans à via vera, & ab illa ex-orbitans. Id enim est astutiae proprium, ut nu-  
per animaduerti ex Diu oThoma, *ut vias veras, & opportunas deserat: falsas verò, & adumbratas sectetur.*

*I X. Stultus illudet peccatum: & inter iustos morabitur gratia.*

35 **S**TULTVS illudet peccatum. Hebr. *Stultus palliabit delictum*, id est, stultorum quisque. Verbum Hebr. est *לילי* *lalis*, à radice *לל* *Luts*, quæ significat *irridere*, & *deludere*: aliquando etiam *palliare*, & *sophisticè loqui*, seu *cauillari*: nonnunquam interpretari, aut *intercedere*. Ergo ex Hebr. Rabi Himanuel semel ita conuertit: *Quilibet ex stultis palliabit delictum: & iterum, interpret erit delicti*, seu *mediator*. Pagn. *loquetur delictum*. Chal. *Stulti comparationes ponunt in peccato*. Aquil. *Stultus illudet peccatum*. Symm. *Imprudentes irrident delictum*.

*Et inter iustos morabitur gratia*. Hebræi: *Et inter rectos benevolentia*. Septuaginta integram sententiam longe aliter conuertunt ad hunc modum: *Domus inequorum debent mundationem: domus autem iustorum acceptabiles: cuius lectionis censuram postea dabo*.

Lectionum dissimilitudo dissimiles etiam peperit expositiones. Caietanus Himanuelem sequutus ita conuertit: *Stulti interpretabuntur delictum, & inter rectos voluntas bona* & sensum istum elicit. Stultus quidem pessimus erit operis alieni interpret: semper enim illud vitio vertet, & delictum esse decernet: *Et inter rectos voluntas bona*, supple interpretabitur. Quasi dicat, recti cum opus omnino excusare, & tueri non possunt, voluntatem atque intentionem defendunt, & benignius illam interpretantur. Hæc ille paulò obscurius.

36 Secunda expositio est Rodolph. qui lectionem illam: *Stultus loquetur peccatum, & inter rectos gratia*, sic edisserit. Stultus quidè delicta quedam turpia, quæ ne nominari quidè licet inter viros probos (quia pias, & sobrias aures lædunt) frequenter ore vsurpat: at inter rectos, gratia, lepos, & sermones conditi, & falsi: iuxta illud: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus, ut sciatis quomodo oporteat vos unicuique respondere*. Super quibus verbis sic Anselm. *Sermo vester in gratia, id est, in dulcedine charitatis semper sit conditus sale sapientia sicut bonus anima cibis; ut nihil inspidum, nihil putridum, aut corruptum habeat: nam cibus, cui sal immiscetur, fit sapidus, & caro bene salita non putrescit, nec fetet. Non sit ergo sermo vester inspidus per insipientiam, nec putridus per carnalem delectationem, nec corruptus per admixtionem falsitatis*. Hæc ille.

37 *Himan.* Tertia expositio est Rabi Himanuel, qui sic conuertit: *Stultorum quilibet palliabit delictum, & inter rectos erit benevolentia*. Sensum verò ad hunc modum informat. Stulti quidem vicissim in semetipsum delinquit, & occultè, ac simulatè sibi mutuum damna moluntur: atque inter ipsos gratia, & concors amicitia diutius perseverare non potest. At inter rectos stabit gratia, & benevolentia: quia nimirum rectorum, ac piorum hominum est, non damna inuicem sibi inferre: sed mutuum de aliis bene mereri.

Quartam interpretationem tradit idem Himanuel, qui cum ita legat: *Stultus, aut stultorum quilibet mediator, seu interpret delicti erit: at inter rectos benevolentia*, hunc ad sensum eam lectionem vocat. Stulti quidem ad delicta perpetranda sibi

Tom. I.

A mutuas operas præstant: & alter quidem alterius interpret, aut mediator existit: quod quidem peruersum, atque exitiale concordie, atque amicitie genus est. Inter rectos autem recta atque laudabilis benevolentia, & gratia intercedit, per quam omnes ad pietatem conspirant, & mutuo sibi ad honesta, & iusta opera auxilio sunt.

Quintam interpretationem nobis offert translatio Aquilæ. *Stultus illudet peccatum: inter rectos autem erit gratia*: id est, suum ipsius peccatum, & delictum, hoc est, delicti pœna stultus fallit: nam securus, & improvidus præter spem omnem, atque opinionem illos denique opprimet, & inanes eorum spes deludet: iuxta illud. *Cum enim dixerint: pax, & securitas, tunc repentinus superueniet interitus, & non effugient*. Ex aduerso autem, *Inter iustos erit gratia*: nimirum Dei erga illos gratia, & benevolentia semper vigebit, quæ non illos fallit, sed præmio æternæ felicitatis donabit.

38 Sextam aliam expositionem spirat quodam modo lectio Chaldaïca, quæ ita efferenda est. *Stulti comparationes ponunt in peccato: & inter rectos est beneplacitum*: quam lectionem non nemo sic expendit. Stulti quod suorum elevent grauitatem delictorum, ea cum aliorum delictis conferunt, quia cum alios deteriores vident, sibi in seipsis placere incipiunt, & in eo fiduciam suam locant, quod minus quam alii scelerati sint. Vnde Basilus de Reg. 38 *Basil.* *ful. disp. interrogat. 66. sic addit: Qui in peius fuit a sui cam deterioribus de se comparatione, de veritate sibi nescio quomodo ad blanditur*. Cæterum crediderim Chaldaicum paraphrastem nomine comparationum parabolas accepisse, ac per has ludibria, & irrisiones intellexisse. Hæc enim acceptio similitudinis, & parabolæ passim occurrit in scriptura *Psal. 43. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, Psal. 43. subannationem, & derisum his, qui sunt in circuitu nostro. Posuisti nos similitudinem gentibus. Psal. 63. Psal. 68. Factus sum illis in parabolam, aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum*. Et alibi, Ergo cum ait Chaldaus: *Stulti comparationes ponunt in peccato*: perinde est, ac si dicat, stulti irident, & ludibrio habent peccatum: atque adeò Chaldaei translatio à nostra lectione nihil dissidet.

39 Nostræ igitur lectionis sententiam eruere volentibus aliæ etiam, sicutque aliæ se se offerunt interpretationes. Prima est Iansenii, qui ut priorem huius carminis partem cum posteriori concordie reddat, putat non de peccato proprio, sed de alieno sermonem haberi: atque adeò sensum esse, *Stultus illudet peccatum*: id est, irridet, risu scilicet, cachinnisque prosequitur delictum alterius, atque ea ratione illum in se concitat, & furorem eius acuit. *Inter iustos autem moratur gratia*: concordia nimirum, & pax, quia scilicet delicta proximorum dissimulant, & per summam charitatem contemunt. Quæ expositio mihi non parum probatur.

40 Secunda verò, & vulgaris apud reliquos interpretes explicatio est, *Stultus illudet peccatum*: id est, quasi ludendo peccat, & postquam peccauit, deridet, contemnit, & pro nihilo ducit: iuxta illud, quod iam inde supra expendimus c. 10. *Stultus quasi per risum operatur scelus: nec non c. 1. Quilatur, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis*: ubi etiam satis multa diximus. Cæterum cum hac expositione difficilius nequitur alia pars.

Quapropter subiicio aliam, quæ mihi accommodatior videtur. Præmittere autem oportet pro delicto in originibus esse *peccatum*, quæ vox fere capitur pro victima, & oblatione, quæ pro delicto libatur. *Leuit. 7. Hæc quoque lex hostiæ pro delicto,*

T c

Hebraicè ad verbum, *Hac quoque lex delicti*. Et pauld post: *In loco, ubi immolabitur holoc iustum, mactabitur & victima pro delicto*. Hebr. *Iugulabitur delictum*. Eiusdem generis suppetunt alia exempla passim. Leuit. 6. vers. 17. & c. 5. vers. 6. & 18.

Leu. 6. n. 17. & c. 5. n. 6. & 18. Num. 8. 5. n. 7. & c. 18. num. 9. Ezech. 4. num. 13. Rabi Dauid.

num. 5. vers. 7. & cap. 18. vers. 9. Ezechiel 4. vers. 31. & sæpè alibi. Rursus in hoc loco pro gratia est, *רצון* *Ratson* quæ nonnunquam etiam voluntariâ, & gratiosam hostiam adsignificat, vt monet Rabi

Isai. c. 58. n. 5. & c. 60. num. 7.

Dauid in libro Radicum. Et super Isai. cap. 58. ad illa verba: *Nunquid istud vocabis ieiunium, & diem acceptabile Domino*; Hebraicè: *& diem gratia*: id est, voluntariæ oblationis. Et cap. 60. *Offeruntur super placabili altari meo*. Hebr. *Super altare ad gratiam*, scilicet super altare tanquam voluntariæ hostiæ offerentur. Hinc lucem accipit translatio Septuaginta, quæ sic habet: *Domus impiorum debebunt mudationem*. Quasi dicat, admissio, & perpetrato delicto differunt hostiam, quæ ad expiationem illius mactari solet, Hoc sibi vult illud, *debent*, id est, diu debent, quia diutius differunt: vel quia nunquam soluent, idè semper *debent*. *Domus verò iustorum acceptabiles*: quia si quid delicti admiserunt, solutis victimis, statim expiant, atque eluunt. Vel *domus iustorum acceptabiles*, quia non modo hostias pro peccatis, sed voluntarias, atque gratiosas victimas ad ineundam Dei Optimi Maximi gratiam, & benevolentiam libant. Aut denique, *Domus iustorum acceptabiles*: quia cum iusti peccata non perpetrent, non indigent victimarum expiationibus.

Igitur ad hunc sensum (ni mea me fallit coniectura) accersenda est lectio vulgata ad hunc modum, *Stultus illudit peccatum*: hoc est, illudit hostiam pro peccato. Quasi dicat, admissio scelere hostiam illudendo differt, aut omninò non soluit: nam verbum *illudo*, cum casu accusandi ferme idem est, quod fallere. Sicut ergo, *Fallere fidem*, *Fallere tempus*, *Fallere iura*, & eiusmodi alia dicimus, hoc est, declinare fidem, tempus, iura: sic etiam illudere, aut fallere hostiam pro peccato, significat illam declinare, aut omittere. Nisi malis hoc verbum *illudo*, hic etiam spectare ad irrisionem: vt sensus sit, *illudit*, hoc est, irridet hostiam pro peccato, id est, contemnens, deridensque omittit. Ex aduerso autem: *Inter iustos morabitur gratia*, id est, iusti in gratia, & benevolentia Dei persistentes non indigent eiusmodi hostiis expiantibus. Vel si origines sequamur, quæ ad verbum habent: *Et inter iustos gratia*: licebit quidem nomine gratiæ voluntariam hostiam accipere, vt sensus sit: iusti non debitam solum pro suis delictis victimam libabunt: sed etiam voluntariam, & gratuitam soluent, vt sibi Deum beneuolam, & propitium reddant.

X. Cor, quod nouit amaritudinem animæ suæ: in gaudio eius non miscebitur extraneus.

42 COR, Quod nouit, &c. Hebraicè ad verbum: *Cor cognoscens amaritudinem animæ suæ, & in gaudio eius non miscebitur alienus*. Septuaginta: *Cor viri sensituum, tristis est anima eius: quando autem letabitur, non miscebitur contumelia*. Symmach. *Et in gaudio eius non miscebitur extraneus*.

In Hebraicis desideratur relatiuum quod, atque inferitur coniunctio, & vt nuper adscripsi. Quapropter ex his, qui originalem lectionem tenent, Caietanus sic exponit: *Cor cognoscit amaritudinē*

anima suæ, & in gaudio eius non miscebitur alienus, sermo (inquit) est de corde hominis sapientis: & sensus sic habet. Cor sapiens, atque prudens, id est, vir cordatus: si quando mœstitia, & angore afficitur, solus illam agnoscit: qui celat, & alte premit, & pari ratione, *In gaudio eius non miscebitur extraneus*, id est, cum lætatur, & gessit, solus gaudii sui conscius est. Et quidem non minima prudentiæ pars est lætitiæ, ac tristitiæ ita moderari, vt nullæ earum significationes exterius appareant. Sunt enim affectiones illæ violentæ, & effrænæ. Vnde Seneca in lib. de Moribus, ita consulit: *Tristitiâ, si potes, non admiseris, sed nec omnibus ostenderis*. Et inter eximias Socratis laudes hanc numerat: *Socrates (inquit) virtutem sic coluit, vt nunquã vultum eius lætitiâ blanda vanitas exhilararet: nec tristitiâ ulla contraheret*. Et quidem Maxim. in serm. de dolore, & tristitia, refert eundem Socratem vulgò illud vsurpare solitum: *Vt thoracis tunica, ita etiam tristitiæ mens, atque ratio superinducenda est*. Innuens, scilicet tristitiæ adhibito consilio sic tegendam, atque velandam: sicut thorax tunica amicitur, & tegitur. Quemadmodum autem tristitiæ preme, & lætitiæ celare prudentium est: sic etiam hos animi motus exterius prodire proprium est insipientium. Seneca in epist. 100. ad Lucillum: *Imprudentum (inquit) vt gaudia, sic dolores exundare solent*. Nimirum sicut flumina cum exundant, alueum, & ripas exuperant, & totam late terram infundunt: sic etiam dolor, & gaudium in stultis velut exundans animi alueum egreditur, & foras effluens oculos, frontem, genas, manus, ac totum demum hominem alluit, & suffundit. At eur, inquit, tanto studio tristitiæ tegenda est? Optimum rationem obtulit S. Nilus Abbas in orat. 5. de trist. *Qui tristatur (inquit) assidue, & se à perturbationibus liberum simulat, similis est agrosanti: qui valere se simulat. Quemadmodum enim ex colore ager: sic etiam ille agnoscitur ex tristitiâ*.

Maxim.

Seneca.

D Itaque propterea tristitiâ obruendâ, & premendâ esse dicit, quia infirmi perturbati, & suis affectionibus succubentis animi euidentissima indicatio est.

Secunda expositio satis vulgaris, quam tradunt Rodol. Iansen. & alii, est eiusmodi. *Cor cognoscit amaritudinem animæ suæ, & in gaudio eius non miscebitur extraneus*. Cor nimirum, quod angitur, & dolet, suæ tristitiæ mensuram solum agnoscit, & lætitiæ suæ quanta sit, solus ille intelligit, qui verè, & ex animo lætatur. Itaque docet tristitiæ, atque lætitiæ esse internas animi affectiones: atque ad eam earum mensuram his tantum perspectam esse, qui illas experiuntur. Hæc autem parabola ita explicata suadet modum gaudii, aut tristitiæ nulli omnino præscribendum esse: neque mirandum, si qui lætitiæ laxiori exultent, aut vehementiori mœrore afflicentur: nam tristitiâ, aut lætitiâ metiri nemo potest, nisi qui lætatur, aut mœret. Ob hæc ignorantia fatuos quosdam consolatores molestos esse docet Seneca lococit. *Qui lacrymas (inquit) metiri volentes, dum fontem citius obstruunt, quam par est, efficiunt vt vberiori copia paulo post fluant, nimirum sicut accidere solet his, qui fontis adhuc fluentis ora obturant: nam sublato impedimento largius, & copiosius vi erumpens manat*.

Venio ad vulgatam lectionem, quæ cū recipiat relatiuum quod, atque coniunctionem tanquam superflua abiiciat. (Nam sæpè in Hebræo *ו* *Vau*, verbum paragogicis annumeratur) al à omnino sententiam reddit. D. Gregor. in expositione Moral. libr. 6. cap. 10. verba ista sic expendit. *Cor, quod nouit amaritudinem animæ suæ, &c. Humana etenim mens animæ suæ amaritudinem scit, cū aterna*

Gregor.

patria desiderijs accessa peregrinationis suae penam stando cognoscit. Sed in eius gaudio extraneus non miscbitur: quia qui nunc à mœrore cordis alienus est, tuuo particeps ad lætitiã consolationis non est, quæ verba alibi etiam repetit. Ad hanc expositionem propius accedit Beda, qui eius tantum esse dicit amaritudinem animæ suæ cognoscere, qui quanto postmodum gaudio commutanda sit, prævidet. Itaque sic exponit: *Cor, quod nouit amaritudinem animæ suæ: mœs scilicet, quæ tribulationum, & mœrorem, qui pro Deo in hac vita exanthlantur, æstimatione, & pretium satis exploratum habet: in gaudio eius non miscbitur extraneus: id est, ingentis demum*

44

Paulus.

gaudij, & felicitatis compos erit, à qua omninò expellitur, qui labores, & dolores non tolerauit. Rodolphus putat hoc versiculo ad pœnitentiã inuitari stultos: ad illam videlicet tristitiã, de qua Paulus ait: *Gaudeo, quia contristati estis: non quia contristati estis: sed quia contristati estis ad pœnitentiã:* atque adeo sensum esse. *cor quod nouit tristitiã animæ suæ: is nimirum, qui libenter, & ex animo concipit tristitiã de peccatis suis, per hanc sanè lætitiã quandam allequitur, ad quam hi, qui maximè in mûdo lætari, & ouare videntur, numquam perueniunt: nam omne mundanum, prophanumque solatium minimam eius, quæ secundum Deum est, lætitiæ partem non attingit.*

Chrysof.

45

Chrysofomum audi vtramque lætitiã inter se componentem in homilia 65. ad Popul. *Bona (inquit) est talis lætitiã omnimûdana melior lætitiã, ita lugentem omnib. gaudentib. prapono.* Et infra *Propterea gaudio lætamur inutili, quod est mûdi, quod statim extinguitur, & infinitos parit mœrores. Tristemur potius tristitiã gaudij genitrice, non autem lætitiã tristitiã parente gaudeamus: lacrymas fundamus multam seminantes voluptatem: nequevisu rideamus dentium stridorem nobis pariente: affligamur tribulatione, ex qua indulgentia nascitur: neque delitius quaramus, ex quibus multa tribulatio paritur, & angustia.* Eum verò, qui huius lætitiæ confors non est, meritò extraneum. Hebraicè, alienigenam, vocat Salomon, aut peregrinum. In gaudio eius non miscbitur extraneus. Addit enim Chrysofom. *Gaudium mundi non habet incolas, sed inquilinos.* Ita enim fert huius gaudij prophani conditio, ac natura, vt omnes in eo hospites sint: atque adeò citius ab ipso ad mœrorem demigrent necesse est. Meritò ergo Salomon extraneum istum, & prophani gaudij peregrinum, & hospitem, ad gaudium illius haud peruenturum esse dicit, qui lætitiã illam adprus est, quam tristitiã, quæ secundum Deum est, gignere consuevit: huius enim gaudij non hospites, sed incolæ, & habitatores iusti sunt.

46

Rursus alij posteriorem partem cum priori sic nectunt. *Et in gaudio eius non miscbitur extraneus: nimirum extraneus aliquis motus, qui gaudium illius exturbet. Quasi dicat: is, qui tristitiã illã, quæ secundum Deum est, experitur, gaudium & lætitiã denique obtinebit, quam nulla extranea acerbitas, seu amaritudo corrumpet. Sic Christus Dominus ad Apost. *Amen dico vobis, qui a plorabitis & flebitis vos mundus autem gaudebit: vos autem contristabimini: sed tristitiã vestra vertetur in gaudium:* ac postmodum gaudij istius magnitudinẽ describens ait: *Isternum videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Et deinde: *Perit: & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum:* plenum autem gaudium appellat, teste Cyril. quod omnem mœtis male sibi cõsciæ acerbitatẽ excludit, & cui nullus dolor admixtus est.*

Cyrillus.

47

Facultatem istam nactus Iansenius iuxta hanc extranei acceptionem locum integrum sic edisserit. *Cor, quod nouit amaritudinẽ, &c.* Cor scilicet, quod angitur, & grauiter interius afflicatur, non facile

Tom. I.

A externis, & quodammodo extraneis solatiis delinitur, & leuatur. Hoc sibi vult illud. In gaudio eius non miscbitur extraneus: id est, externus, aut extraneus delectationis affectus nullus sic temperabitur, vt illi solatio sit. Parabola sic explicata quadrat in eos, quorum animus ob criminis alicuius conscientiam angitur, quos sane nulla externa voluptas, aut delectatio profus delinire, & consolari potest. Vnde August. contra literas Petil. lib. 3. *Si conscientia morderet veritas criminis, quid mihi prodest, si me continuis laudib. mûdus extollat: hoc enim mere externum est, illud intimum.* Chrysof. etiam in hom. de compunctiõ-

August.

Chrysof.

B ne cordis id ipsum præclara similitudine docet. *Vt homines (inquit) egri cum multis febribus aguntur, si in aquas semetipfos frigidas immerferint, ad præsens sibi aliquid quidẽ videntur quasi esse solatiũ: multiplicatas verò sibi flamas febrium reparant. Ita, & nos agimus, cõscientia stimulis agitamus, si mere externas gaudij & lætitiæ causas quaramus, &c.* Itaque hæc externa solatia non leuant, sed augent potius intimæ conscientie angores: & experientia voluptatum magis quodammodo miserum hominem cruciat. Idẽ in homil. de nequitia repellenda. *Sicut qui carcerem habitat capitis dånationẽ operientes & mortem, vitã longã agunt molestiorem, & anxã, quò delitijs magis abũde fruuntur: mortis enim futuræ expectatio, haudquaquã sinit, vt quas in manib. habet voluptates, & delitias sentiat. Sic ab his, qui conscientie stimulis agitantur, nequit in malignitate amaritudo euitari, vel in nequitia defungi tristitia: quin potius externis voluptatib. sauius cruciantur. Sed expede illud: In gaudio eius non miscbitur extraneus: supple affectus, qui amaritudinẽ animi internatempert. Audi. D. Ephrem. in tractatu de Oratione: *Omnis (inquit) mûdana, & prophana voluptas in amarã conscientia coniecta, quasi parua mellis stilla est in absinthij doluerefusa.* Ergo quamuis isthæc prophana voluptas dolori interno refudatur, & permisceatur, amaritudinem animi condire non poterit: quin potius ipsa in acerbitem, & dolorem statim abibit.*

D. Ephrẽ.

48

Cæterum quauis præmissas expositiones suscipiã: subiiciã tamẽ duas alias quæ mihi aptius in vulgatum textum cadere videntur. Prior sic habet: *Cor quod nouit amaritudinẽ animæ suæ, in gaudio eius non miscbitur extraneus.* Illud autem mihi sumo ex Caietano, & aliis Hebraicis hinc supplendã vocẽ solũ (ita enim postulare videtur posterior pars) hæc ratione: *Cor quod nouit solũ amaritudinẽ, &c.* Si quis nimirum est, qui in aduersa fortuna solus experitur suũ dolorẽ, & animi angore, ita vt socios non habeat suæ tristitiæ, qui simul cõ illo ex animi cõmiseratione doleant, & cõpatiantur: *In gaudio illius non miscbitur extraneus:* is quidẽ, cõ secunda deinde vtetur fortuna neminẽ in suæ lætitiæ, & gaudij cõfortiũ accerset. Ita enim fert humana benevolentia lex, vt eos, qui nobis dolentib. adfuerunt, & simul doluerunt, in societatem gaudij asciscamus libentius: reliquos verò arceamus. Monet igitur parabola, his, qui dolent ex cõmiseratione animi, cõdolere, & cõpati, vt eũ forte cõmutata fortuna hi lætari, & auare caperint, in gaudij cõmunionẽ vocemur. Quæ quidẽ sententia ad omnes spectat, & potest Christo accommodari: de quo Apostolus: *Si compatimur, & conregnabimus.* Et alibi: *Complantati ad similitudinem mortis eius simul, & resurrectionis erimus.*

Alia interpretatio recondita magis est: sed mea quidem sententia accommodatior. Præmittendum autem est, ex Rodolpho, & aliis non paucis, verbum, *ערי* *ladangh*, id est, nouit, aut intellexit, quod in hoc loco reperitur, sumi etiam pro diligere, amare, & approbare: infra c. 24. *Cognoscere personã in iud.* & c. 22. *Qui cognoscit in iud.*

T. ij

*cio faciem*, id est, qui ex amore, aut beneuolentia A  
præfert personam, aut faciem, Plal. i. *Novit Domi-*  
Psal. 1. 9. *nus viam iustorum: & ster impiorum peribit.* Et ite-  
rum: *Novit Dominus dies immaculatum,* Plal. 36.

& passim alibi. Ergo secundum hanc significationem  
Salomon ait: *Cor, quod novit amaritudinem animæ*  
Psal. 36. 18. *sua*, id est, cor nimirum, quod est doloris, & angoris  
peruenit, ut suam ipsius amaritudinem, & acerbita-  
tem adamet, & tristitia illi voluptati sit: *In gaudio*  
*eius non miscbitur extraneus.* Quasi dicat: *Papæ*, aut  
apagè/Profecto in partem, & societatem talis gau-  
dij, & voluptatis nemo vocari volet. Itaque Prouer-  
bium illos incusat, qui tristitiæ habenas laxantes eò  
deveniunt, ut huic iam libenter incubent, utque B  
suos mœrores, & dolores adament, & deosculen-  
tur. His succedet Seneca in libro de Consolatione ad  
Martiam: *Quemadmodum omnia vitia penitus insi-*  
dent, nisi dum surgunt, oppressa sint: ita etiam hæc tri-  
sticia, & misera, & in se sentientia ipsa novissima  
acerbitate pascuntur, & fit infelicis animi prava vo-  
luptas dolor. Huic verò, tam inueteratæ, & insolitæ  
iam tristitiæ medicinam adhibere perdifficile esse  
probat multis Seneca.

Iam verò superest nobis translatio Septuaginta,  
cuius sensum assequi non facile est: *Cor viri sensiti-*  
uum tristis est anima eius: quando autem letabitur,  
non miscbitur contumelia Accipe meam coniectur-  
ram: *Cor viri sensitivum*, id est, quod scilicet imbecille  
est ad sentiendum, & facile mœrore tangitur  
atque leuioribus de causis dolet: *tristis est anima*  
eius, nimirum semper tristis est, quia leues dolen-  
di causæ, & rationes semper hinc inde suppetunt:  
Quando autem letabitur, non miscbitur contumelia, C  
id est, si quando lætitiæ conceperit, non disso-  
lute id faciet, non miscbitur his, qui diffluunt  
gaudio, effunduntur in risus, soluuntur in cachin-  
nos: id enim probrosum, & contumeliosum est.  
Vel aliter nomine contumelia, intelligit irrisiõnem,  
& ludibrium, Græcè *ἰρῆσις*, & iuxta eam acce-  
ptionem sententiam totius carminis sic effor-  
mo: *Cor sensitivum*, id est, sensatum, vel sensu præ-  
ditum: vir nimirum cordatus, & prudens: *mæsta*  
est anima eius, Græcè *ἀρνησὶ ψυχῆς*, quæ vox  
non tristem modo, sed etiam grauem, & serium  
sonat: (est enim grauitas, & seueritas morum tristi-  
tiæ affinis) itaque ait: Vir cordatus omnem leuita-  
tem abiicit, & animi grauitate, & seueritate præ-  
ditus est: *Quando autem letabitur, non miscbitur con-*  
sumelia: nimirum si quando seueritate deposita  
lætitiæ habenas dederit, non erit dissoluta lætitia,  
non securilis: non enim miscbitur irrisiõni, aut  
ludibrio, &c. Posteriolem hanc interpretatio-  
nem præfero. E

XI. *Domus impiorum delebitur: tabernacula verò ius-*  
*torum germinabunt.*

DOMUS impiorum delebitur &c. Hebr. i. è:  
Et tentorium impiorum florebit. Septuaginta:  
Domus impiorum delebuntur: tabernacula autem re-  
cte agentium stabunt.

Beda, Hugo, Carthusianus, & alij locum  
istum spiritualem ad sensum vocant: ex qui-  
bus Beda sic ait: *Domus quidem in mansione:*  
*tabernaculum haberi solet in itinere.* Domus ergo F  
impiorum delebitur: quia habitaculum vite præ-  
sentis, in quo manere desiderabant, perdent in morte  
improbi. Tabernacula autem iustorum germina-  
bunt: quia ex tabernaculis vite presentis, in qui-  
bus modo peregrini sunt, & hospites, in patriam  
cælestem transferentur. Hæc ille. Itaque domus

impys tribuitur, quia sic se gerunt in hoc mundo;  
ac si habitatores essent, & incolæ: iustis autem ten-  
torium accommodatur, qui se tanquam peregrin-  
nos, & hospites iudicant, vel quasi milites in  
castris.

Cæterum si huius loci literalem sensum eruerere  
velimus, sic sanè instituendus est: *Domus impiorum*  
*delebitur.* Aulæ, palatia, & moles impiorum, quæ  
constantia sua, & firmitate æternum duratura vi-  
debantur, ocyus euertentur, ac solo æquabuntur:  
ex aduerso autem, *Tentoria iustorum germinabunt,*  
*florebunt, stabunt:* nimirum tuguria, & casæ, & parietina  
ruinosæ iustorum perstabunt inconcussa, &  
immota. Vtrum autem per domum intelligat me-  
taphoricè familiam, & liberos, an rem ipsam fami-  
liarem, tu videris.

*Germinabunt:* Huc spectat militaris quædam Vegetius.  
coniectura, de qua Vegetius lib. 3. Milites enim  
ad suspendenda tabernacula, & tentoria in castris  
palos, aut perticas telluri affigebant: quod si ca-  
stris diutius in aliquo loco permanentibus, cuius-  
quam pali, aut perticæ actis radicibus germina-  
bant id quidem futuræ felicitatis, & secunda ad-  
modum fortunæ omen existimabant. Ergo si huic  
loco militaris ista coniectura accommodetur, sen-  
sus erit: *Tabernacula iustorum germinabunt*, id est, eor-  
um, qui iuste, ac pie viuunt, familiæ, & domesticæ  
res florebit, id est, feliciter agent in hoc mundo:  
atque huius vitæ fortuna futuræ felicitatis certissi-  
mum prognosticum, & exordium erit.

XII. *Est via, quæ videtur homini iusta: nouissima*  
*autem eius deducunt ad mortem.*

EST via, quæ videtur homini iusta, &c. Hebræic.  
ad verbum: *Est via recta ad faciem viri, & no-*  
uissimum eius via mortis. Chaldæus: *Est via, quam*  
putant filij hominis esse rectam, & finis eius via mor-  
tis. Septuaginta. *Nouissima autem eius vadunt in*  
*fundum inferni.* Aquila, Symma. & Theodotion.  
*vadunt in viam, &c.*

De hac via, quæ hominis arbitrio recta est, aliter  
sentiant interpretes. Quidam enim de prava do-  
ctrina interpretantur, quam Hæretici, & alij per-  
uersorum dogmatum magistri tradunt. Hæc enim,  
et si rectitudinis quandam externam speciem non-  
nunquam habeat: tamen vere ad mortem, & bara-  
trum deducit. Hebræi è: *Nouissimum autem eius*  
*via mortis*, quia non vnâ, sed multas ad mortem  
aperit vias. Hæc enim est, ac fuit semper hæresis  
conditio, ut ab vno aliquo errore, & ab vna aliqua  
secta initium capiens, tunc demum in plures vias  
secetur, vel in plures sectas deuiet: ex quibus  
nulla est, quæ ad interitum non deferat. Multitu-  
dinem hanc viarum, quam vnus error aperire  
confuevit, attigit Nazianzen. orat. 3. de Theolo-  
gia. *Nam quod in viis (inquit) ac fluminibus comperire*  
*licet, quod in diuersum tendentia findantur: eadem*  
*verò in se ipsa conuertantur, & consuant: hoc ip-*  
*sum & hic præ impietatis immanitate contingit, ut*  
*Hæretici in quibusdam conueniant, in plerisque dis-*  
*sident, & secentur.*

Secundò, alij magis ethicam expositionem ex-  
cogitarunt, hoc modo: *Est via, quæ videtur ho-*  
*minirecta:* nimirum est quædam viuendi ratio, quæ  
quia homo in illam propensus est, illi recta vide-  
tur, etiam si praua, & distorta sit: *Nam voluntatis*  
*propensio* (ut tradit August. in sermon. 12. de tem-  
pore) *authoritatem virtus quarit, & quod malum est,*  
*bonum, aut bono proximum esse suadet.* Huius verò  
via arbitrio peccantis rectæ, & iustæ nouissimi

52

Vegetius.

53

Nazianz.

54

August.

fines in mortem deducunt. Non dixit desunt, sed deducunt. Hinc verò emergit difficultas. Cum via, quæ à rectitudine deflectit ab initio in mortem, & interitum deducat: cur Salomon fines obseruare iubet? Ratio est in promptu: quia sicut euenire solet in viis, uti vna in duas fecetur, quæ paulò post in eandem coeunt: sic etiam in moribus accidere solet, ut per diuersa studia sæpe in vnus virtutis finem veniatur. Quid certius? Hinc autem fit, ut in his viis, quæ à rectitudine deflexerunt, error non statim se se prodat: at vbi longius proceditur, error, ac deuiatio manifestissime cognoscitur: nam quò longius progreditur, maior est. Propterea ergo Salomon in fines viarum intendere iubet. Nam sæpius illam viam seu rationem viuendi, quæ initio homini recta in aliquem bonum virtutis finem tendere videbatur: iam tunc circa finem, cum longius progressa est, detecto errore, in mortem, atque interitum animi deniam ire agnoscimus. Ideò ait: *Est via, quæ videtur homini recta*, scilicet initio, cum paruus error est: sed quia paruus error in principio (ut commune fert proloquium) magnus in fine: suis utique cogitandus est: *Novissima enim illius tendunt ad mortem, & interitum.*

55

Sed quamuis præmissæ expositiones mihi non displiceant: tamen per placet interpretatio Rodolphi, qui putat hinc de fœlici, & delitiosa vita sermonem haberi hoc modo: *Est via, quæ videtur homini recta*: nimirum est homo, qui propterea, quod fœliciter, ac prospere agit in hac vita, & illi omnia ex animi sententia eueniunt: putat quidem se tenere rectam, atque minime deerrantem viam, vel quia fœlicitatem ipsam rectam in cælum viam esse iudicat: vel quia ex fœlicitate humana, qua gaudet, suæ viæ, aut vitæ potius rectitudinem colligit. Sed nihilominus: *Novissima illius, seu finis, deducunt ad mortem.* Nam terrena fœlicitas in interitum sæpius desinere solet. Audi Eusebium Emissemum: cuius verba fortasse alibi dedimus in homilia de S. Epiphoro, & Alexandro. *Ante hunc fœlicem vocas, qui in mortem suam fortis est: cui prouentuum fallax umbra presentium, æternorum congregat causas malorum? Qui probabiliter laudet velocem ad ardua præcipitia festinantem? Qui se eius miretur ascensum, quem de summo prospicit esse casurum?* Vide ibi plura. Frustrà hic multa de prosperitatis humanæ discriminibus adnectam, cuius pericula passim à sanctis Patribus commemorantur. Tamen expendenda est originalis lectio: *Et novissima illius, via mortis*, id est, fines illius multas ad interitum vias sternunt. Et quidem apte: nam fœlicitas humana, & secunda fortuna non ad vnum, sed ad plura, imo ad omnia vitia impellit: hæc enim sunt interitus viæ. Quod ex Philosophis prophanis Seneca agnouit: *Res (inquit) inquieta est fœlicitas, ipsa se exagitat, mouet cerebrum non vno genere vitiorum: sed alios in aliud irritat: hos in potentiam, alios in luxuriam, hos in fastum, hos mollit, & totos resoluat, aliquos ad omnia vitia impellit.* Hæc ille epist. 36. Extremam istam expositionem ideo præfero, quia cum superiori, necnon cum sequenti versu melius innodatur.

Euseb. Emis.

XIII. *Risus dolor miscbitur: & extrema gaudij luctus occupat.*

**R**ISVS DOLORE miscbitur, &c. Heb. In ridendo dolebit cor, & novissimum eius lætitiæ tristitia. Chald. *Etiam in risu dolet cor, & finis lætitiæ mæror.* Sept. longè aliter. *In lætitiis non admiscetur tristitia: novissime autem gaudij in luctum vadit.* Symmach. *Etiam in risu laborabitur.* Schol. vltima verba sic

Tom. 1.

56

**A** extulit: *Et extrema eius lætitiæ mæror.* Caietanus lectioni Hebrææ, ut solet, adherens peculiarem in hunc locum expositionem inuexit: *Etiam in risu intus dolebit cor.* Quasi dicat: sæpe accidit, ut quis exterius ridens, atque ouans, intus doleat: ita ut dolori suo risum, & lætitiæ simulatoriè obtendat. Nec solum id accidit, ut simulatoriè, & non ex animo rideant, qui exterius rident: sed etiam, ut vera, & iucundissima lætitiæ, & risus tandem in luctum commutetur. Itaque lætitiæ externæ haud credendum esse docet Salomon, quia sæpius ad celandum mærorem assumitur, sæpius in luctum desinit. Cæterum si lectionem Hebræicam sequamur, ego quidem aliter exponendam existimo. Igitur obseruandum est id, quod illis, qui cardiaco morbo laborant, euenire solet. Nam iam tunc cum illos dolor cordis inuadit priusquam ad insaniam adigat, insolentes quosdam lætitiæ motus sentiunt: quod quidem ex pugna humorum accidit. Sanguis enim, ut aduersus atram bilem illud muniat, & confirmet, in cor velocius coit, & tandiù risum, & lætitiæ motus ciet, donec atræ bili subeunte succumbit. Hoc verò quotidiano experimento didicimus, & vulgo à medicis obseruatur. Ad Celsū, & alios. Ergo sententia per iucundam comparisonem ad hunc modum instituenda est: *In ridendo dolebit cor, & finis lætitiæ tristitia.* Quemadmodum in cardiacis contingit, ut statim post risum, innotus illos lætitiæ gestientis, dolor, & passio vehemens cordis accedat: sic sanè in vniuersum accidit, ut gaudia effusiora, risus immodicos, voluptatem, deliciasque ingentes luctus, dolor, & lacrymæ vberes excipiant. Ergo quemadmodum, qui eo morbo laborant: tunc maximè cum lætos illos exilientis cordis motus experiuntur, se se ad vicinum dolorem comparant, & eos euocant, qui se iam in insanientes, & ferocientes contineant sic etiam illi, quibus afflante fortuna lætius aliquid successit, ut ad vicinam aduersitatem, & molestiam se se componant, necesse est, utque rationes plures euocent, quæ tristitiam, & dolorè immodicum cohibere possint. Audiendus utique est Terentius in Phormione, & ex prophano authore boni aliquid delibandum.

57

Celsus

58

Terentius

*Quamobrem (inquit) omnes cum secunda res sunt maxima, tunc maxime*

*Meditari secū oportet, quo pacto aduersam æritiam ferant.*

*Pericula, damna, exilia, peregre rediens semper cogites.*

*Et iterum.*

*Quidquid præter spem eueniat, omne id deputa esse in lucro.*

Sed melius huic loco, & sententiæ accommodantur verba Senecæ in epist. 36. *Ut periculosa (inquit) est secundum Hippocratem summe bonæ corporis valetudo.* (Hanc ille indolentiam appellat, & morbi proximi certissimum prognosticum esse affirmat. Ratio autem eadē omnino est cum ea, quam nuper de cardiacorum lætitiæ confecimus.) *Ita rebus maxime prosperis, ac iucundis metuenda aduersa fortuna est.*

Seneca

59

Quod si vulgata lectio trutinam inscendat aliter, atque aliter interpretes illam edisserunt. Hugo Cardinalis existimat comparandi gaudij difficultatem, & eiusdem amittendi facilitatem notari hoc modo: *Risus dolore miscbitur.* id est, lætitiæ, & gaudium non sine labore, atque dolore paritur: & iam tunc parta lætitiæ est, paulo post in mærorem desciscit, ac desinit. Vtrumque sanè exploratum est. Nam si prophanam, & humanam lætitiæ spectes, facile agnosces hanc

T t iij

primū magnis doloribus pari, vel potius parturi-  
ri, & eniti. Mellificij similitudinem ad hā: senten-  
tiam transtulit Plutarchus in moralibus: *Sicut opes*  
(inquit) *ex amaris plerumque, & austeris floribus*  
*mel: sic gaudium ex mærore sapius fit.* Rursus ean-  
dem lætitiā paulō post in dolorem arbire passim  
videas. Quapropter eandem cum vini parum ge-  
nerosi dolo contulit Seneca supra in illa epistol. 36.  
quod cum primum exhauriri cæpit, paulō post a-  
cescit, & corrumpitur.

Seneca.

60

Secundam expositionem offert idem Hugo, qui  
id Deo optimo Maximo consulte facienti tribuit, vt  
læta mæstis permisceat. Itaque ait: *Risus dolore mi-*  
*scetur, scilicet à Deo: & eodem dispensante fiet,*  
*vt extrema gaudij luctum occupet.* Vtrumq; autem  
ad summam Dei prouidentiam spectat. Diuus Au-  
gustin. sermo. 29. in Matth. rationem obtulit, cur  
Deus læta mæstis temperare soleat. Ita enim in-  
quit: *Idèò Deus fælicitatibus terrenis amaritudines*  
*miscet, vt illa queratur fælicitas, cuius dulcedo non*  
*est fallax.* Chrysof. verd homilia in Psalm. 123. *Idèò*  
(inquit) *Deus nec homines semper dimittit in tristi-*  
*tis, ne deficiant, nec in quiete & prosperitate sint, ne*  
*fiant secordiores: sed mutationibus, ac vicissitudini-*  
*bz eorum salutem exaritat.* Alludit autem Chrysof.

August.

Chrysof.

ad harmoniam, quæ ex dissimilibus sonis, acutis  
scilicet, atque demissis temperatur, & variatur.  
Quasi dicat: sicut ex acutis, & grauibz sonis har-  
monia conficitur: sic item Deus nostram salutem  
ex lætis, & tristibus euariat, & in harmoniam cogit.  
His adde non boni authoris non penitentiam sen-  
tentiam (liceat nobis dulcia quoque acerbis tem-  
perare) Apuleius est, in lib. Floridorum, vbi sic  
ait: *Verum verbum est profecto, quod aiunt, Nihil*  
*quidquam homini tam lætum diuinitus datum est,*  
*quin & admixtum sit aliqua difficultatis: vt etiam*  
*in amplissima quoque lætitia subsit quepiam vel par-*  
*ua querimonia coniugatione quadam mellis, & fel-*  
*lis: vt si quid illud soluit, hoc astringat.* Similitudi-  
nem ducit ab stomacho, qui dulcibus laxatur, ac  
soluitur: austeris autem, acerbisque adstringitur,  
& coalescit. Rursus etiam ex Dei prouidentia fit, vt  
risum, & lætitiā nouissime luctus, & lacrimæ ex-  
cipiant, vt his finibus velut coercita non exundet.  
Quemadmodum fluios ripæ, ac littora hinc in-  
de continent, ne effluant, & campos longe, late-  
que impleant: sic etiam lætitiā, & gaudia af-  
fluentia, Deo dispensante, luctus, mærorque  
hinc inde, ante videlicet, ac post, tanquā duo fi-  
nes, aut ripæ cohibent, ne exundet, & super men-  
suram effundatur. Hoc sensu accipienda mihi vi-  
detur D. Ambrosij sententia de Cain, & Abel lib.  
2. cap. 4. vbi sic ait: *Deus delictis, & gaudiis no-*  
*stris ponit modum, ne supra alueum effusa rationem*  
*obruant.*

Apulei.

61

Tertia expositio sic institui potest. Docet Salo-  
mon his verbis suaderi homini prudenti, vt ni-  
mirum ipse lætitiā, & effusa gaudia recordatione  
tristium temperet: ac rursus tristitiā vehemen-  
tem lætissimarum rerum memoria diluat: hoc mo-  
do: *Risus dolore miscetur,* hoc est, à viro prudenti  
risus, & lætitiā doloris memoria temperabitur: *Et*  
*extrema gaudij luctus occupat.* Et, sumitur pro cau-  
sali, quia, iuxta vulgarem scripturæ phrasim. Pro-  
bat ergo facile esse lætitiā doloris recordatione,  
& permixtione temperare, quia nimirum dolor  
præsto adest, & lætitiæ fines ambit Sane consilium  
hoc prudens (vt alios dimittam) accommodatissi-  
me ad hunc locum tradit Seneca in lib. de Tran-  
quillitate animi. Quia verd hic Salomon dolorem,  
ac risum, tristitiā, & gaudia inuicem permiscen-  
da esse dicit, Seneca duas similitudines offert, alte-

Seneca.

ram ductam à pictura, quæ colores permiscet: al-  
teram ab harmonia, quæ sonos temperat. Proinde  
(inquit) *vt pictores fuscis in tabulis colores, omnino-*  
*que subducendos oculis præstentibus aliis, atque vi-*  
*sendis coloribus inducere, atque interlinire solent: sic*  
*homines in suo sibi animo tristitia quoque euenta me-*  
*morandis alijs premere oportet, ac diluere.* Quid il-  
lustrius? Subdit statim alteram comparationem  
à concentu ascitam. *Tam est* (inquit) *varia, mul-*  
*tiplex, reciprocabilisque huius mundi harmonia,*  
*quam lyra est, aut arctus: nec in humanis quidquam*  
*est, quod simplex, purumque sit.* Verum vt musica sonis  
acutis, & grauibz constat: & Grammatica literis  
vocalibus, & mutis: at musicus, Grammaticusq; non quæ  
horum alterutris, sed qui virisque vti miscereque ac-  
commodatissime nouit. *Haud aliter sapienter is de-*  
*um instituisse vitam mihi videtur, qui diuersissimos*  
*rerum euentus, inuicemque sibi aduersarios miscere sci-*  
*te didicit, secundos cum aduersis compensando.* Nam  
vt scorsum bona, & mala ponantur, humana vitæ  
commoditas non admittit: sed temperamentum quod-  
dam de his constari cõuenit si recte de his statuere volu-  
mus. Non est igitur consentaneum alteris eorum inge-  
miscere, & tanquam oneri succumbere animo conciden-  
tes: sed deterrimi cuiusque euentus vim, atque impres-  
sionem meliorum rerum recordatione rotundere, om-  
ninoque commodis incommoda veluti inuolucro quo-  
dam velantes totius vitæ tenorem ex prosperis, ad-  
uersisque rebus concretum, & coagmentatum quasi  
concentum quandam efficere harmonica ratione tem-  
peratum. Hec ille. Vbi obiter inferuit tertiam aliam  
similitudinem à literarum permixtione, vocalium  
scilicet, ac consonantium: ex quibus dictiones  
coalescunt, docetque vitam tristibus, atque lætis  
rebus ad eundem modum esse temperandam:  
sicut dictio aliqua literarum vocalium, atque  
mutarum congressu coagmentatur. Meminit  
etiam huius posterioris similitudinis Plutarchus  
in Moralibus, vbi præcise de fama & infamia ver-  
ba faciens, quæ recte, aut turpiter facta conse-  
quitur, vocales quidem iucundis rebus, ac recte  
factis adscribit: nam fama, prædicatio, & lætitiā  
ex illis oritur. (vocalis autem sonora sunt) mu-  
tas verò aduersis, atque turpiter factis rebus tra-  
dit: nam infamia, & tristitia, quæ inde profici-  
cuntur, muta quodammodo, & sine voce sunt.  
Sicut ergo mutas literas sine vocalibus proferre  
non possumus: ita pariter aduersa & tristitia sine re-  
cordatione meliorum ferre, ac tolerare non vale-  
mus. Item vocales per se quidem sonant, ac per  
se proferuntur: sed nisi à mutis percussæ nihil bo-  
ni sensus præstant: sic etiam iucunda & læta per se  
quidem amabilia sunt: sed nisi ab aduersis, & tri-  
stibus quodammodo icta, & percussa sint, non  
modo vtilia non sunt, sed aliquando etiam no-  
cua.

62

Quarta denique sacris interpretibus familia-  
rior expositio locum istum de humana, & prophana  
lætitiā impiorum edisserit: quam ego sic con-  
formandam puto: *Risus dolore miscetur, &c.*  
Quasi dicat: risus quidem, & effusa peccatorum  
lætitiā omnino refutanda est. Primum, quia sem-  
per risui tristitiā immixta est. Lectio originalis  
emphasim habet: *Etiam in ridendo, aut in risu do-*  
*lebit cor,* id est, tunc, cum maximè impius ri-  
det, ac gestit, dolorem, & tristitiā ingentem in  
corde penitus addit, atque oculit, *Dolebit* (in-  
quam) *cor* Symmachus, *laborabit cor:* nimirum  
conscientiæ mali stimulæ, qua nullus dolor acer-  
bior est. Secundò, quia siquidem lætitiā isthæc pu-  
ra, & ab omni dolore immunis esset: tamen incon-  
stans est, & paulō post in mærorem commutatur.

63



Quam verò sit humanæ lætitiæ propria isthæc vicissitudo, nuper diximus vers. 10. huius capituli. Hæc sanè interpretatio mihi præ cæteris aridet, dummodo duæ istius sententiæ partes non absolute, sed per disunctionem efferantur hoc modo: *Risus dolore miscbitur, & extrema gaudij, &c.* Vtrumque videlicet accidere solet lætitiæ humanæ, nunc hoc, nunc illud: nimirum ut lætitia dolore non vacet: sed tristitiæ admixta sit: aut si aliquando gaudium purum, & simplex sit, ocyus in mœrorem vertatur. Præ tuli autem hunc exponendi modum, ut lectionem Septuaginta cum nostra vulgata (à qua abhorre omnino videtur) in concordiam adduceré. Sic enim habet: *In lætitiis non admiscetur tristitia, nouissime autem in luctum vadit.* Prior pars, quæ vulgatæ aduersari videtur, ex luppotione capienda est, ut sensus sit. Quandoquidem id verum esset, quod raro, aut nunquam accidet, ut aliquando gaudia, & solatia humana dolore omnino vacua, & expertia essent: tamen ea ex parte cauenda, ac refutanda forent, quia nouissime in mœrorem, & luctum abeunt: quod nunquam non contingit.

XIV. *Vitis suis replebitur stultus: & super eum erit vir bonus.*

64 **V**ITIS Suis replebitur stultus, &c. Hebræicè: *Vitis suis saturabitur auersus corde, & de super eo vir bonus.* Chal. *Vitis suis satiabitur, qui est euandus corde suo: & vir bonus satiabitur timore suo.* Septuag. *Suis inimeribus satiabitur temerarius, & de cogitationibus suis vir bonus.* Sic Hieron. contra Rufinum. Græca ad verbum habent: *Vitis suis replebitur, qui est audacis cordis: à cogitationibus autem suis vir bonus.* Caietanus ab Hebræis haurit aliam lectionem, quæ sic habet: *Vitis suis saturabitur egressus à corde: & de folijs suis vir bonus, supple satiabitur.* Alij demum conuertunt: *Et de iuxta eum vir bonus.* Hanc dissimilitudinem peperit ambiguitas verbi originalis מֵעַל מֵגָלַעוּ, quæ omnes istas significationes recipit.

65 Ergo Caietanus præmissam lectionem amplexis sic locum interpretatur: *Vitis suis saturabitur egressus à corde.* Qui videlicet à corde suo, id est, à semet ipso egressus extra se fit, & externas delicias aucupatur: suis denique studiis exsaturabitur, & tædebit illum vitæ suæ. Exemplo sit Salomon, qui Ecclesiast. 2. postquam delitiis, & voluptatibus diu indulserat, suorum denique studiorum pertæsus addit. *Idcirco tædeuit me vitæ meæ videntem mala vniuersa sub sole, & cunctam vanitatem, & afflictionem spiritus.* Et sanè humanæ voluptates, cum primum gustatæ sunt, tædium, & nauseam mouent. Hinc est illud Greg. Magni in Moral. h. 36. in Euang. *Hoc distare fratres inter delicias corporis, & cordis solet, quod corporis delitiæ, cum non habentur, graue in se desiderium ascendunt: cum vero habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium, & satietatem vertunt. At contra spirituales delitiæ cum non habentur, in fastidio sunt: cum vero habentur in desiderio: à comedente amplius esuriantur, quanto abesuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet: in istis appetitus vilis est, & experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat: in istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit.* Hæc ille. Quæ sanè aurea verba sunt. At cur iniquies appetitum tantopere irritant isthæc delitiæ, quæ paulò post in satietatem, & tædium vertuntur? Vel potius cur tam cito fatiant, & nauseam mo-

A uent, quæ tanto in desiderio prius fuerunt? Ratio quidem in promptu est, quia cum homo animo, & corpore, appetitu, & ratione constet, eiusmodi delicias, quas corpus, & concupiscentia efficiunt exoptat, ratio quidem fastidit: adeò ut nullo condimento ipsi suaues esse possint. Ex quo fit, ut cum primum gustantur, ratione stomachante nauseam moueant. Ex aduerso autem spirituales delicias ratio quidem avidissime cupit: illasque adeò suauius condit, ac temperat, ut corpus appetitusque, cui primum ingrata, & acerbæ fuerant, gustatas primum avidissime postea artipiant. Quem ad sensum illa Plauti verba accedit August. *Suauis in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea:* Subdit ergo Salomon ex aduerso.

B *Et de folijs suis iustus, supple saturatur.* Non solum fructibus (inquit Caiet.) sed etiam frondibus saturatur: quia iustus omnia cooperantur in bonum. Aliter, frondes virore suo spem adumbrant, ut passim obseruant Patres. Erat ergo sensus: *Folij suis iustus exsaturabitur.* Quasi dicat, stultis, atque impiis ipsa terrenarum voluptatum experientia satietatem, & fastidium adducit: atque iustos sola spes cælestium deliciarum copiosissime pascit, ac reficit. Ad hæc foliorum nomine bona opera significari docet Caietanus, quibus iustus exsaturari dicitur. Omnes utique vermes, qui folijs pascuntur, fila ex ore ducunt suo (ut docent Plinius, & Aristoteles) sicut cruce, bombyx, & alij. Osee 2. pro illis verbis: *Et dedit illis vallem Achor ad aperiendam spem,* multi ex Hebræo legunt: *ad filum spei.* Ergo iustus folijs exsaturatur, hoc est, bonis suis operibus affatim reficitur. Quid inde? Ex his sanè memoria repetitis, ac velut decoctis trahit per longum spei filum, usque dum bombycis ad instar permutatatus ad gloriam, & beatitudinem transeat. Accipe illud Basilii homil. 8. in Hexameron. *Cum igitur vos o mulieres repetitis vicibus ordimini, & reuertis vestram operationem sedent artem: fila nimirum, que ad vos usque Seres transmittunt ad raras istas, ac pramolles vestes concinnandas: veniat vobis in mentem huiusce varietas animantis, in formas, atque mutatio: inde resurrectionis dilucidam, certamque sententiam sumite: ne fidem futura mutationis abrogetis ei, quam hominibus omnibus fore ipse Dominus Paulus pollicetur.*

C Sed recolenda sunt verba vulgata: *Vitis suis replebitur stultus, & super eum vir bonus:* si quidem nomine stulti intelligamus stupidum, ac superbum, ut suadet Chaldaica paraphrasis, quæ pro *stulto, euandum corde,* conuertit, sensus facilis euadet. Nimirum superbus sui factus pœnas recipiet: *Et super eum vir bonus.* Vir scilicet humilis, atque demissi animi præferetur, atque illi sibi subiiciet humilis, atque demissi animi præfertur, atque illum sibi subiiciet: quo nihil grauius homini elato euenire potest. Hanc expositionem cæteris antepono, quia parum appositæ mihi videntur. Nec verò ab hac expositione Chaldaica posterioris partis lectio, quæ sic habet. *Et vir bonus satiabitur timore suo:* nam per timorem humilitatem, & deiectionem animi accipiendam puto: ut sensus sit. Superbus quidem tumoris sui pœnas dabit: humilis vero timoris, & humilitatis suæ præmia refert.

D Denique non est inepta interpretatio Rodolphi: *Vitis suis satiabitur stultus:* nimirum studiis suis. Nam diuitiis, & voluptatibus, & honoribus, quibus atide studet, omnino explebitur: *Attamen super eum vir bonus:* nimirum iusti longe superior est conditio: nam licet careat huius vitæ caducis bonis: gaudet tamen cælestibus, & æternis.

Quod verò attinet ad lectionem Septuaginta. *Vis suis replebitur temerarius: à cogitationibus autem suis vir bonus:* hæc quidem facile ad quamlibet ex superioribus interpretationibus contrahi potest.

XV. *Innocens credit omni verbo: astutus considerat gressus suos.*

68

**I**NNOCENS *Credit omni verbo.* Hebræa non dissonant. Chald. extrema verba sic extulit: *Et callidus attendit ad bonum suum.* Sept. *Simpl. x credit omni verbo: astutus autem vadit in penitentiam.* Aquila *θεός πνεύματος*, id est, deliniscus, palpatus credit, &c. Symmachus: *paruulus*, aut puer Aliqui demum illa verba: *considerat gressus suos*, aliter conuertunt: sic scilicet: *considerat*, vel *intelligit gressus illius*: supple verbi, aut sermonis.

D. Amb.

Diu. Ambrosii, lib. 3. de Officiis, cap. 10. cuius verba citantur. 22. quæst. 4. hæc priora verba bonam in partem rapit, ac non in innocentis hominem vere simplicem, ac minime malum intelligit: sic enim habet *Quia sanctis amica est veritas, memini neminem putant, fallere quid sit ignorant, libenter credunt quod ipsi sunt: nec possunt suspectum habere, quod non sunt.* Hinc Salomon: *Innocens credit omni verbo: non vituperanda facilitas, sed laudanda bonitas. Hoc est innocentem esse; ignorare, quod noceat, & si circumscribitur ab aliquo, de omnibus tamen recte iudicat, qui fidum esse in omnibus arbitratur.* Hæc ille Ceterum ipsa verborum consequentia suadet nomine *innocentis* vere imperitum, & inexpertum notari, vñ non semel alibi in hoc libro: sicut etiam nomine *astuti*, prudens, atque prouidus homo significatur. Ergo

69

Prima expositio est Rodolphi, qui extremam illam supra scriptam lectionem sequutus: *Simplex credit omni verbo: astutus intelligit gressus illius:* sic edisserit, Stulto, atque rerum imperito homini verba dare facile est: quia propter nimiam animi sui leuitatem omnibus dictis nullo defectu fidem adhibet: at verò prudens, & cautus homo intelligit, vel considerat iterum, atque iterum *gressus illius*, hoc est tenorem orationis, atque sermonis ductum, priusquam credat. Nimiam credulitatem non semel alibi reprehendit, & taxat scriptura.

Ad Eph.

4. n. 14.

Eccles.

19. n. 4.

1. Ioan. 4.

n. 1.

Pauli ad Ephes. 4. *Non sumus paruuli, & circumferamur omni vento doctrina.* Et Ecclesiast. 19. *Qui cito credit, leuis est corde, & minorabitur.* Et Ioan. 4. *Nolite omni spiritui credere.* Et quidem duo sunt opposita, & secum pugnantia vitia, credulitas nimia, & item tarditas ad credendum. Inter quæ media virtus incedit, quæ nec omni omnino, nec nulli credit: sed adhibito consilio, iis demum fidem adhibet, quæ sunt fide digna. Secundum illud vetus Senecæ estatum: *Et omnibus, & nulli credere vitium est: alterum honestius dixerim vitium: alterum turpius.* Callidus ergo *considerat gressum illius*, supple verbi, id est, orationis tenorem mente completur: oratio enim, vel sermo mentientis claudicat, & gressus impares regit. Ita ait August. in sermo. 100. de tempore. *Et sermonis claudicantis fallacias.* Gressus igitur verbi, ac sermonis prudens considerat, an claudicent, an nutent, an impares, ac sibi dissimiles sint: omnis enim fallacia, ac simulatio suis ipsius gressibus quodammodo se prodat.

Seneca.

D. Aug.

70

Sin verò lectioni vulgata hæc amamus, sensus utique sic instituendus est: *Innocens credit omni verbo*, id est, facile verbis suadetur stultus, & in quamlibet partem lentus fluctatur: at verò callidus con-

siderat gressus suos, id est, attentius obseruat suos animi motus, nec prius ad aliquid præstandum permouetur, quam id bonum, ac rectum esse perspexerit. Sic fert communis interpretatio: quæ mihi etiam probabilis videtur. Itaque taxatur credulitas nimia, & stultitiæ tribuitur. Seneca in libro, *2. de ira credulitatis emendandæ rationem vtilem præscribit his verbis: Nihil, nisi quod in oculos incurret, manifestumque erit, credamus* (loquitur sane de alienis vitiis, in quibus satis utilis hæc admonitio est) *& quoties suspicio nostra vana apparuerit, obiurgemus credulitatem: hæc castigatio consuetudinem efficiet non facile credendæ.* Optimum sane consilium, cui planè inferuit alia huius loci translatio: sunt enim qui legant: *Et callidus castigat gressus suos*: scilicet credulitatem suam obiurgando castigat, vt consuetudinem non facile credendæ assequatur.

Seneca.

Cæterum nescio, an alia sit huius loci expositio aptior de adulatione, tu videris. Obseruandum autem est, pro *innocenti*, Hebræicè *לֵיבָרִי* Pherbi: de cuius significatione germaniam inde supra ca. 1. multa dixi. Et sanè ex vi originis suæ cum ad significat, qui facile suadetur, delinitur, aut palpatur, quod apprime significat vox illa, qua vius est Aquil. *θεός πνεύματος*. Ergo sensus est: *Qui se palpari simit, & adulationibus gaudet, facile credit omni verbo, quod ad commendationem, & laudem ipsius spectat.* Nam vt ait Hieron. epist. 121. ad Sab. *Naturali dueimur malo, & adulatoribus nostris libenter credimus, & fatemur: & quanquam respondeamus nos indignos, & calidus rubor ora perfundat: tamen ad laudem suam anima intrinsecus letatur.*

71

Sed quinam maxime adulationibus capiuntur? Vtique *σελαργυροί*, molles scilicet: hos enim facilius palpones adoriuntur, & contrectant lenius. *Cupresso* (inquit ille alius) *non innasuntur vermes propter amaritudinem, nec buxo propter duritiam: ita pestis adulationis fugit seuera, & tristitia ingenia, mollia captat, & facilia.* Addit Salomon: *Astutus, prudens scilicet, ac catus homo, considerat gressus suos*, id est, suas ipsius actiones attentius obit, atque illas suæ potius conscientiæ testimonio, quam alienis commendationibus metitur, obseruans illud Horatianum: *Sed vereor, ne cui de te plusquam tibi credas. Considerat* (inquam) *gressus suos.* Adulatorum simulationem cum decipula, aut serobe componit Chrysost. quæ foris quidem solidæ telutis speciem præbet: at vbi pes imponitur, dehiscit, atque feram, vel hominem abscondit. Verba Chrysostomi alibi dedimus Apposite igitur Salomon ait: *Astutus considerat gressus suos*: scilicet vir prudens adultores cauet, simulatæ amicitiae non satis fidit: sed priusquam pedem obfirmet, obseruat, pertentatque, an solida, & firma sit. Id sibi vult illud: *considerat gressus suos.*

Hieron.

Erasmo.

Horat.

Ad extremum exploianda est translatio Septuaginta, quæ sic habet: *Simplex credit omni verbo: astutus autem vadit in penitentiam.* Hæc lectio in causa fuit, vt Ambros. qui fere translationem Septuaginta vsurpare solet, priorem illam clausulam bonam in partem raperet. Nam posterior illa: *Astutus vadit in penitentiam*: non de illa astutia, quæ prudentiæ adscribitur: sed de illa, quæ in vitio ponitur, accipienda videtur. Quapropter secundum eam acceptionem locus sic edisserendus est. Simplex eo facilius aliis fidem præbet, quò ipse à simulatione, & dolo longius abest. Illud enim memoria repetit, quod Seneca in illa Epistol. 3. dixit. *Seneca. Multi fallere docuerunt, dum timent falli, & alijs ius peccandi suspicando fecerunt. Astutus vero vadit in penitentiam.* Illud nimirum, qui simplici

72

Ambros.

Seneca.

verba dedit atque eum decepit, paulò post simulationis suæ pœnitit. Itaque simplicitas quedam credula, & facilè suasibilis laudatur, & simulatoris astute arpitur, quia illa utilis docilitas est: huic verò proxima hæret pœnitentia. Cæterum vt vulgatum, & septuaginta concordie reddamus, hanc utique lectionem sic exponendam puto: *Simplex*, id est, stultus, & stolidus homo ex quadam animi sui levitate, *credit omni verbo*: quod quam vitiosum sit, supra ostendi: *Stultus verò vadit in pœnitentiam*, Græcè ἐπιχρηται εἰς τὴν ταπεινότητα, id est, tendit, vel intendit oculos in pœnitentiam, quæ nimirum credulitatem insequi solet. Quasi dicat, vir prudens mentem, consiliumque præmittit, & considerat, stolidam, & fatuam credulitatem statim consequi pœnitentiam: atque ad eò illam cauet.

Post hæc verba in textu nostro assuntur illa verba: *Filio dolofo nihil erit boni, &c.* quæ quidem nos iam inde supra expendimus, capite superiori. Nam etsi utrobique non reperiantur in Hebr. originibus: leguntur tamen apud Septuaginta. Unde à vulgato desumpta, & in hunc, vel illum locum coniecta sunt.

XVI. Sapiens timet, & declinat à malo: stultus transilit, & confidit.

73

**S**APIENS timet, & declinat à malo, &c. Hebræa ad verbum: *Sapiens timens, & recedens à malo: & stultus irascitur, ac fidit.* Chald. *Stultus feruet in stultitia, & confidit in ea.* Septuaginta. *Sapiens timens declinabit à malo: imprudens autem sibi fidens miscbitur iniquo.* D. Hier. contra Rufinum paulò aliter hanc lectionem expressit: *Sapiens timendo declinat in malum: stultus confidens miscetur ei.* Sed & Lucifer pro D. Athan. *Sapiens timendo declinabit in malo: insipiens autem miscetur confidens iniquo.* In nostra editione vulgata mendum suspicatur Iansenius, & non *transilit*, sed *transit*, legendum putat. Inutilis tamen est hic scrupulus, cū sensus haud dissimilis sit, & post correctionem Clem. seruetur adhuc verbum *transilit*. Et sanè verbū עבר *Ghabar*, in Kal significat *transire*: in Hithphael verò sæpius significat *irasci*. Quod si transeundi significatio perseveret, atque eius coniugationis naturam spectes (cuius est vim aliquã significationi semper addere) facile agnosces aptius conuerti *transilit*, quam *transit*.

Hieron.

Vna omnium interpretum mens est, qui verba ista sic exponunt vt sonant: *Sapiens timet, & declinat à malo.* Nimirum vir iustus concepto timore se se continet, & à flagitiis coercet. Est enim timor animi exultantis frænum, vt ex Basil. alibi diximus. *Insipiens autem transilit, & confidit*, id est, abiecto timore transgreditur, & perpetrat scelera. Hugo Cardinalis in hoc loco similem eum esse affirmat equo effræni, & exoculato: sic enim ait: *Velut equus effrænis, & exoculatus, qui nihil timet, quia nihil videt: vnde vulgo dicitur, nihil esse audacius equo cæco.* Quotidie videmus equum velatis oculis taurum impaude expectantem, & in præcipitia temere ruentem, aut in muros insano impetu testa impingentem. Equus enim cum non videt, nihil timet, nihil cauet.

D. Basil

*Sapiens timet, & declinat à malo.* Hebræicè quidem pro malo est, רע *Rangh*, pro quo in nonnullis codicibus est, רעל *Raghal*, quæ vox venenum significat: atque ad eò vertere licet,

74

August.

**A** declinat à veneno. Audi August. in ser. 67. de Tempore: *Solet (inquit) fieri, vt dum maiora timentur, minorâ celerius caueantur. Quomodo enim theriaca bibitur, nec corporibus possint præualere venena? Hoc austerâ predicatione per metus incussionem geritur, unde animarum præparantur antidota.* Hæc ille. Et sanè accommodatissima est similitudo timoris, ad theriacæ: sicut enim theriaca cor ocyus petens aduersus venenim illud roborat: sic etiam timor Dei suapte natura velocius cor ascendit, atque animum contra lethalia scelerum venena munit. Rursus theriacæ, lethale alioqui viperæ venenum admiscetur: hoc enim naturali facultate velocissimè in cor fertur, atque cætera cordi amica medicamenta, eorūque virtutes secum affert: sic etiã timor pœnæ, qui per se solus aliquando malus, ac lethifer est, vt in eo loco docuit August. si cum aliis rebus temperetur, & permisceatur, quæ amorem Dei excitare solent: illa quidem velocius in cordis penetralia defert, vt his incalescens amorem concipiat, & charitate efferuescat. Sed tamen hac de re nescio, an alibi aliquid ex eodem August. miscui. Lege caput 4. vers. 7. & 8. caput 1. vers. 7.

C

XVII. Impatiens operabitur stultitiam: & vir versutus odiosus est.

75

**I**MPATIENS, &c. Hebr. *Brevis naribus faciat stultitiam, vir machinationum odietur.* Chald. *Qui præceps est in spiritu suo, reputatur stultus, & odio profequitur differentem consilium suum.* Septuaginta. *Impatiens agit cum temeritate: vir autem prudens multa suffert.* Hebræa habent pro *impatienti* קצר אפס, *Ketzar aphaim*, id est, Curtus, aut brevis naribus, vel furoribus. Nam furor, & nasus eodem nomine censentur. Ita enim in naso præcipuè spectatur, & hi, quibus breuior nasus, ad iram præcipientes sunt. Aristoteles in Physiognomia, ex naso furoris, aut mansuetudinis signa colligit. Nam primo sic habet: *Qui nasum extremum acutum habent, difficulter irascibiles sunt, referuntur ad canes.* Et rursus. *Qui nasum habent rotundum, & obtusum, magnanimi, referuntur ad leones.* Et iterum. *Qui aquilinum habent articulatam a fronte, magnanimi, referuntur ad aquilam.* Denique. *Quibus nares sunt aperte, iracundi sunt, referuntur ad passionem, qua fit in ira.* Quia nimirum in sæuiente nares præpatulis foraminibus intumescunt. Hinc est illud Gregorii Nazianzen. qui iratum hominem delineans ait. *Rabidum quidefflans, fremitus omnino indecens, latissime nasus, & minas spirans graues.* Ergo quia in naso iræ, & furoris præcipua signa sunt, ideo in lingua sancta nasus sæpissime accipitur pro ira. Itaque brevis naribus appellatur, velox, & præceps ad iram, sicut ex aduerso ארך אפס, *Archaphajm*, id est, Longus naribus, dicitur tardus ad iram. Possumus autem breuem, aut curtum naribus appellare eum, qui ocyus ira stimulante furit: vel illum, in quo ad perbreue tempus ira exæstuat: & paulo post desæuit. Et quidem hæc mutuo sibi hæere solent. Nam qui cito ira exandescunt, cito etiam eadem ira deposita mitescunt.

E

F

His positis, Rodolphus locum istum sic exponit. *Impatiens operatur stultitiam: is scilicet, qui facile furit, & velocius ira corripitur, sui ip-*

76

sius impos multa quidem stulta, & in sana admittit: ira enim breuis quaedam insania est. Et vir versutus odiosus est. Hebraicè: *Vir cogitationum*, id est, qui consilio adhibito iram temperat, ille quidem iratis valde ingratus est, utpote sui dissimillimus. Ita enim fert furentium consuetudo, & ingenium, ut ipsis saeuientibus alios contra sauire, & furere velint: quod si aliquis tunc cum ipsi ira perciti sunt, mitem se, ac facilem praebet, acrius stimulantur, & discerpuntur. Hanc expositionem tradit paraphrasis Chaldaica praemissis verbis. *Qui praeceptus est in spiritu suo*, (id est, in ira sua) *reputatur stultus*, & *odio prosequitur differentem consilium suum*, scilicet

*Inanem ut is, qui mittit in pugilem manum,  
Magnoque fertur impetu, & totus furit,  
Hoc, cui laborant membra, lassatur magis.  
(Inscita vires, nam querit prehensio)  
Sic qui laceffit placidum: atque ira liberum,  
Ridentem & atrox praelium magis dolet,  
At qui repugnat gaudium quoddam parit,  
Materia quippe surgit hinc ira amplior,  
Quae dulcis est res, atque saturare negat.*

Item Diuus Basil. in homilia de ira hac de re venusta verba miscet: *Da* (inquit) *tempus cogitationibus*, nam è duobus alterum proculdubio consequeris: aut inimicum tuae mansuetudinis exemplo mitiorem reddes: vel certe si despexeris, acrius illum vindicabis. Quid enim aduersario durius esse potest, quam gerere animum omnibus contumelias altiore? *Noli tuam pessundare mentem: sine illum frustrate adlatrare, & in se ipso dissumpi.* Addit autem aliam similitudinem. *Sicut enim ille, qui minime dolentem, & sentientem verberat: seipsum ledit, quod nec inimicum plectere, nec animum, iramque ex satiare se videat: sic & is, qui contumelia in eum, qui nequaquam doleat, vitur, perturbati animi consolationem inuenire nullo modo poterit: quin potius ardebit magis, & an mo aestuabit.* Ergo Salomon secundum hanc priorum expositionem eum accusat, qui ira aestuante adeo sequit, ut alterius mansuetudine, & lenitate offendatur: cum potius ab ipsa leniri, & temperari deberet. Sed tamen haec prima interpretatio non omnino arridet.

78

Secunda expositio cum versutum hominem seu virum cogitationum malam in partem accipiunt, sic locum integrum edisserit. *Vir impatiens operabitur stultitiam*, id est, vir, qui subito ira concepta furit, multa gerit stulta, & absurda. Sed ille hunc nequitia longe superat, atque adeo omnium odio dignior est, qui ex astu iram dissimulat, & apud se tacitus de vindicta agit, atque tempus ad effundendum furorem idoneum quaerit. Itaque duo hic contraria vitia inter se conferuntur, nimirum subita, & dilata: huius autem malitia praefertur. Sic Iansenius & alij. Et quidem de illo, qui subito ad iram concitatur merito ait. *Operabitur stultitiam*, vel insaniam, Audi Basilium. *Momentanea quaedam insania ira est Nazianzenus* vero sic ait in Iambicis. *Nil tale nobis, tale nil insania.* Chrysostomus in homilia de mansuetudine. *Ecquis* (inquit) *videns hominem ira furere, dubitaret, vel demonio agitari miserum, vel voluntarie in tantam insaniam proficere. Ira voluntarius demon, optata in-*

Nazianz.  
Chryso.

*Insania mentis est defectio.* Prauum est hoc, sed illud deterius, cum quis versute iram dissimulat, ut opportune illam effundat in aduersarium. Ira autem dilata incommoda supra attigimus, ubi locum illum Pauli, *Sol non occidat super iracundiam vestram*, non paucis illustrauimus. Vide ibi. Merito autem Salomon postquam eum, qui subito irascitur, *stultum* vel *insanum* appellauit, alterum *odiosum* esse dicit, in quo venusta admodum elucet antithesis, seu oppositio. Nam cum illum insanum esse dicit, non odio, sed potius misericordia dignum esse demonstrat. Ad hanc sententiam transfert Diuus Basilus elegantem phrenetici similitudinem. *Si phrenesi captus, & sensu excidens verba incomposita, & stulta nimeque vera dicat, misericordia potius quam odio dignus erit: Sic, &c.* Hoc item argumento adferenda aequo animo furentium conuitia vitur Nazianzenus.

79

Basil.

Nazianz.

*Agros ne probris mutuis ipse impetes.  
An non furones pateris, & hos qui demone  
Agitantur, ac vi per cili horrendum lairant?  
Quid? mente captos non ferēs? Certe ferēs,  
si mentis ipse es integra. Quid ebrios,  
Quorum Lyei vis nimia mentem obruit?*

Itaque vel ideo iratis non contra irascendum, & repugnandum esse docent Nazianzenus & Basilus, quia subita ira insania quaedam momentanea est: aduersus insanos vero furere insania est. Illi certe odiosi sunt, odio videlicet, atque ira digni, qui non subito, sed ex consilio, & diuturna meditatione conceptum ante furorem, tunc demum in aduersarios euomunt, cum opportunitatem nacti sunt. Et quidem Diuus Basilus eo loci, utramque perturbationem sic inuicem distinguit. *Animaduertendum est* (ait) *quod utroque modo, & affectu homines aelinquant: vel furore subito contra irritantes commoti: vel per dolos, & insidias eos, a quibus patimur iniuriam, circumuidentes.* Docet autem inibi subitum illum motum, indignationem esse appellandam: at permanentem illam, & quodammodo otiosam ulciscendi libidinem, iram esse dicendam. Libenter quidem in hanc Iansenii interpretationem abirem, nisi translatio Septuaginta aduersaretur, qui nomen illud *versutus* Hebraei è *איש חשבוני*. *Is mez imoth*, id est, *Vir cogitationum*, bonam in partem accipiunt, quibus haeret etiam Chaldaeus, quorum lectiones supra dedi, & hic deserere nefas duco.

E

Tertia igitur interpretatio petenda est ex lectione Septuaginta. *Impatiens agit cum temeritate: vir autem prudens multa suffert.* Differentiam inter imprudentem virum, & eum, qui prudentia pollet, describit Salomon. Ille enim ex ira multa committit temeraria, & absurda, hic vero multa patitur: ille infert damna, hic sustinet: ille iectus, & plagas alij infligit, hic excipit: ille irrogat iniurias, hic ab aliis illatas non detrectat. Ad hunc sentum euocanda est translatio vulgata: *Impatiens operatur stultitiam*, id est, stultissime irascitur, ac saeuit: & *vir versutus odiosus est*: is nimirum, qui ex versutia, & caliditate laudabiliter iram cohibet, & illatas iniurias, & contumelias aequo animo perfert, inuisus est eidem stulto, &c.

80

XVIII. Possidebunt paruuli stultitiam: & expectabunt astuti scientiam.

51 **P**OSSIDEBUNT Paruuli, &c. Hebraicè. *Simplices hereditate acceperunt stultitiam: & callidi imponent sibi coronam scientiam.* Vel *coronabunt se scientia.* Concinit Chaldaeus. Alii legunt *coronabunt scientiam*, alii *coronabunt* (supple alios) *scientia*. Verbum autem *חָתַר* Chathar, quod hic repetitur, vtrumque adsignificat, *coronare*, & *expectare*, imo & *tenere*. Hinc nata lectio Septuaginta. *Diuident imprudentes malum: astuti autem tenebunt sensum.* Aquila Symmachus, & Theodotus, *hereditabunt*. Schol. pro malo *stultitiam* habet, sicut nostra.

Paruuli hic appellantur, qui paulo ante Innocentes dicti sunt: nimirum *fatui*, atque *stulti*. Hebraicè *פְּתוּחַיִם* Pethajim. Sed qui sunt eiusmodi paruuli, aut stulti? Non alii sane (inquit Hugo) quam hi, qui sapientia prophana, & mundana praediti sunt, quæ iuxta Paulum stultitia mera est apud Deum. Subdit autem Hugo. *Sapientis autem huius mundi, ideo paruuli appellantur à sanctis, quia quasi paruuli pueri abecedarij seu elementarij, in libro vniuersi pulchritudinem creaturarum, quæ sunt literæ huius libri admirantur, & stupent: sensum autem earum, scilicet Dei potentiam, sapientiam, bonitatem, & alia attributa omnino non capiunt.* Hæc ille acute.

82 Cæterum paruuli in vniuersum appellantur omnes imperiti, & fatui quotquot suæ addicti stultitiæ ea sapere, & peragere non curant, quæ ad ipsorum salutem spectant. Ergo isti paruuli *possidebunt*, seu *hereditabunt* stultitiam: quia nimirum nemo illos ab ea, tanquam à propria professione, & hereditate amouere, aut deturbare poterit. Hæc litera. Cardinalis vero sic addit. *Possidebunt quidem, quasi hereditatem cum proprietate, & usufructu.* Et quidem si de proprietate agitur, nemo quidem ambigat horum propriam esse stultitiam. Nam tunc ager proprius alicuius dicitur, cum iure dominii illum tenet, & ab illo pelli non potest. Igitur eum hominem suæ stultitiæ addictum, qui sapere, & addicere detrectat, & quem ab stultitia sua depellere, & amouere nemo valeat, hunc stultitiam possidere dicemus. Si vero de usufructu sermo sit, fructus quidem huius stultitiæ, & ignorantis sunt omnia peccata. Nam *omnis peccans est ignorans, quos fructus fatuos prorsus, & insipidos copiosissime stultus demetit.* F Septuaginta aliam possessionis, & proprietatis conditionem attingunt, scilicet *alienare & donare*: nam ex propriis quilibet donare aliis, ac distribuere potest. Ergo sic conuertunt. *Diuidunt impij malum*, aut *stultitiam*, id est, non ipsi stulti erunt: sed suam quoque in alios stultitiam transferent, & veluti rem propriam quodammodo inter alios distribuent, illisque affigent. Vel *diuidunt*, hoc est, non celant, sed publice spargunt, ac dissipant. Cui interpretationi subseruit po-

A sterior hemistichium: *Astuti autem tenebunt scientiam*: hoc est, eam rerum notitiam, quam indepti sunt, continebunt, ce- labunt, &c.

83 In vulgatis est, *Et expectabunt astuti scientiam*. Nimirum qui prudentiæ student, & disciplinæ, expectabunt illam, & à sua expectatione non excident: sed illam denique obtinebunt industria, & studio. Sermo autem est de sapientia illa, & cognitione practica, qua mens nostra ad bene operandum instituitur. Eam vero expectare satis accommodate dicuntur: quia scientia hæc, quæ fere in prudentia consistit, non subito, sed tempore, & experimento comparatur, atque adeo expectanda est, non præuertenda. Hoc autem astutorum est: nam paruuli, & vecordes tædio affecti sapientiæ studia deserunt, & moras illius minime sustinent. Quasi dicat, non prius ad loquendum, & docendum venient, quam post diuturnam expectationem plurimum in sapientia profecerint. Aliæ vero translationes non carent elegantia, & venustate. Prima est: *Astuti imponent sibi coronam scientiam*: id est, sola virtutis, & honestatis cognitione gloriabuntur, & efferentur, & quasi corona redimiti Reges aliis imperabunt. Vel aliter. Eam cognitionem, veluti coronam quandam excipient, quasi sui ipsorum Reges, & Imperatores constituentur ad moderandas animi vires. Secunda translatio est. *Astuti coronabunt scientiam*, quam sic Rodolphus expendit. Plurimos quidem ad veræ sapientiæ studium adducent, vt iam non destituta: sed plurimum discipulorum turba cineta, & coronata videatur. Vel *coronabunt scientiam*, hoc est, nobilitabunt illam, gloria, & splendore donabunt. Nam cum sapientes ob sapientiæ suæ vim coronam, honores, atque imperium forte adepti sunt, non tam ipsi, quam eorum sapientia redimitur, & coronatur. Sic enim vulgo literarum, & sapientiæ præmia, & ornamenta dicimur, quæ literatis, & sapientibus conferuntur. Tertia translatio est, *Et astuti coronabunt alios scientia*, id est, non modo sibi ipsis sapient: sed etiam aliis, quos simili sapientia condecorabunt, & honestabunt. Pergo ad alia.

XIX. Facebunt mali ante bonos: & impij ante portas iustorum.

84 **F**ACEBUNT Mali ante bonos, &c. Hebraicè. *Incuruati sunt mali ante bonos, & impij ante portas iustorum.* Chaldaeus. *Corruunt iusti coram bonis: & impij obstupescunt in portis iustorum.* Septuaginta. *Labentur mali coram bonis, & impij colent portas iustorum.*

Beda, Hugo, & Rodolphus, & alii sententiam istam tunc demum explendam esse docent, cum probi, atque improbi ex hac vita decesserint, vt plane accidit in diuite Epulone, & Lazaro. Diues enim misere sepultus in inferno, Lazari opem implorabat, & ab eo, quem ante fame, & siti enectum despexerat, sitim suam leuari, summis precibus contendeat. Iansenius vero non differt in aliam, sed in hæc vita id perfici de-

et: nam Dei prouida sapientia sic res humanas administrare consuevit, vt sapius impii vel propter paupertatem, vel propter consilii inopiam coram pijs sese demittere, ac deicere cogantur: & eorum portas adire ad efflagitandam opem, consilium, stipem. Quid certius? Itaque ait Salomon. *Iacobunt mali ante bonos* Hebraicè. *incuruabunt se*, nimirum ad eorum pedes sese abiicient, reptabuntque incurui (maximam demissionem hoc significat) *Et impij ante portas iustorum*, Septuaginta translatio emphasim habet. *Et impij colent portas iustorum*. Olim in more fuit, vt potentissimarum ædiu limina pauperes, & ignobiles non tererent, sed transilirent, & nonnunquam honoris gratia deoscularentur: qui mos à templis ad Principum ædes, & Basilicas translatus est, vt ex Iustino obseruat Petrus Crinitus de honesta discipl. libr. 3. ) Ergo fortasse is sensus est. *Et impij colent portas iustorum*: id est, tantundem illis deferent, vt eorum limina eo cultu prosequantur, quo maximorum Principum Basilicæ & palatia vulgus ignobile prosequi consuevit. Vel certe sensus respondet vulgari locutioni. *Vernam à parar à sus puertias*, quæ paraphrasis apud nostrates in vsu est, ad significandum futurum esse, vt aliquando ab his opem & auxilia expetant.

Crinitus.

*XX. Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici autem diuitum multi.*

85

**ETIAM** Proximo suo, &c. Hebræa non dissonant. Septuaginta. *Amici odio habebunt amicos mendicos.*

Sententia est adeo perspicua, vt interprete non indigeat, cui respondet illud carmen vulgare.

*Si fueris felix, multos numerabis amicos,  
Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

Ergo pauper omnibus etiam proximis, & cognatis odiosus est: tum quia homines pauperum familiaritate vti in glorium esse putant: tum quia pauperes multis egent, quæ dum à suis familiaribus assiduo expetunt, graues illis sunt: tum demum quia homines plerumque alicuius utilitatis spe suos adamant, & colunt: quæ quidem ab egenis, & pauperibus euenire non potest. Contra vero: *amici diuitum multi*. Neque vero de vera; & concordia amicitia sermo est, sed de simulata, & falsa adulatione. Ita enim fert adulatorum mos, & ingenium, vt diuitum lateri semper hæreant. Audiendus equidem est Alanus in libro de Complacentu naturæ vbi de adulatoribus sic asserit. *Hi sunt Principum laterales, Palatini canes, adulationis artifices, fabri laudis, figuli falsitatis: hi sunt, qui magniloqua commendationis tuba in diuitum auribus insonant, qui vt emungant munera, caput diuitis oleo adulationis inungunt.* Horum autem incredibilis vis diuites insequitur, & tamdiu insequitur, quandiu opes, & secunda fortuna constans est. Hinc est illud Socionis apud Maximum sermo II. *Delphini quousque vnda subest, nauigia comitantur natantes: in litus vero nunquam egrediuntur. Sic adultores in secunda fortuna marient, in aduersa deserunt.*

Alan.

Maxim.

**A** Itaque Prouerbiu hominum ad sua commoda proclive ingenium damnat, qui veram amicitiam colere nesciunt, & sola utilitatis, & emolumentû spe beneuolentias metiuntur. Hinc enim fit, vt pauperes exosos habeant, diuites vero admirentur, & colant. Obiter autem ad augendas opes fortasse excitat Salomon, quæ amicos conciliant.

*XXI. Qui despiciit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperi, beatus erit.*

**QUI** Despiciit proximum, &c. Hebraicè. *Et miserescens modestorum beatitudines eius.* Chaldeus. *Contemnit socium suum peccator, qui dat pauperi, beatus.* Septuaginta. *Qui inhonorat pauperes, peccat: qui autem miseretur mendicorum, beatissimus.*

86

Hic sane versus ita cum superiori necitendus est, vt hominum errorem coerceat, qui amicitias suas, & beneuolentias diuitiis, acque fortunis metiuntur, & æstimant. Non ita inquit, sed qui ob paupertatem, & inopiam proximum suum despectui habet, vel illi minus tribuit, hic sane apud Deum reus est magni criminis. Eiusmodi pauperum olores, ac despectores longa oratione insectatur Diuus Iacobus cap. 2. & argumentis fortis-

Iacob. 2. n. 2.

simis reuincit ab illis verbis. *Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum anulum habens in veste candida: introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste pretiosa, & dixeritis ei, tu sede hic bene: pauperi autem dicatis, tu sta illic, & sede sub scabello pedum meorum: Nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum? Id est, dum diuiti primas, pauperi secundas iudicio vestro defertis, inique admodum decernitis. Nam Deus, cuius iudicio, ac decretis semper standum, pauperes diuitibus anteposuit. *Audite (inquit) fratres mei, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni?* Obiter autem attingit rationem, propter quam Deus pauperes diuitibus præfert: quia nimirum, qui pauperes sunt censu, & bonis externis, fere ditiores sunt fide, charitate, & aliis donis internis, quæ sunt utique bona digniora. Rursus alio argumento satis robusto euincit diuites honore anteponendos non esse in consortio fidelium: dum ait. *Nonne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia? Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod est inuocatum super vos? Quasi dicat, ad eum honorem diuitibus deferendum nullis nominibus obstricti estis. Nihil enim de vobis ipsis benemeriti sunt: quinimo multis vos quotidie damnis, & incommodis afficiunt, & quod caput est, vos, confessionemque vestram, & fidem de honestant, & prauis suis moribus blasphemix exponunt. Immerito igitur illos colitis, à quibus iniuriam, & dedecus reportatis. At inquit: ergo diuites, nec colendi, nec amandi sunt? Non ita, inquit Diuus Iacobus: *Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas, diliges proximum tuum sicut te ipsum, bene facitis: si autem personas accipitis, peccatum***

87

*peccatum operamini.* Quasi dicat: his, quæ hæc-  
 tenus dixi, non contendo diuites adamandos, aut co-  
 lendos non esse: explenda enim est sine exceptione  
 regalis illa lex, quæ præcipit primos in vniuersum  
 diligere: id tamen suadeo personarum acceptio-  
 nem omnino vitandam esse. Si enim diuites etiam  
 si iniurij, & infensi sint, non excipiuntur ab amore,  
 cur non potius pauperes quamlibet infimi, & de-  
 pressi sint, adamandi, & colendi erunt? Hæc Iaco-  
 bus, qui præceptum diligendi proximos regalem  
 legem appellat, vel quia nobilissima est inter alias:  
 vel quia à Deo Regum Rege pronuntiata, vel quia  
 vniuersalis est, & nullus ab ipsa excipitur: id enim de  
 ratione legis regis est. Ergo quemadmodum Iaco-  
 bus ait, *Si autem personas accipitis, peccatum  
 operamini.* Sic etiam Salomon, *Qui despiciit pro-  
 ximum suum, peccat.*

88

Chald. habet: *Contemnens socium suum, pecca-  
 tor.* Quæ verba paulò diuersam reddunt sententi-  
 am, id est, paupertatis, & penurix nomine proximum  
 contemnere, & despectui habere, peccatoris, an  
 scelerati hominis est. Is enim magnus peccator, &  
 impius legis temerator esse conuincitur: talis enim  
 contemptus, non nisi in peccatorem maximum ca-  
 dit Chrysostom. in Psalm. 142. ad illa verba. *Collo-  
 cauit me in obscuris, &c. Quemadmodum (ait) qui  
 versantur in tenebris, non discernunt rerum naturas:  
 Ita etiam, qui sunt in peccatis, non discernunt: sed  
 ad umbras, tanquam ad res veras accurrunt. Diui-  
 tias, & delicias, & potentiam persequuntur, nec ami-  
 cos nouerunt, inimicis quidem, tanquam amicis fi-  
 dentes, & cum amicis, tanquam cum hostibus con-  
 sistentes. Nonne vides pauperes à nemine tamen au-  
 diri, & ab omnibus despici? Quare non audiuntur?  
 quare contemnantur? Quoniam collocauit eos dia-  
 bolus in obscuris, sicut mortuos sæculi: id est, pro-  
 pter mentis caliginem, & tenebras, quæ illis ex pec-  
 catis accidunt, deserta veritate umbras consectan-  
 tur: atque adeò diuites, in quibus adumbrata quæ-  
 dam magnitudo est, admirantur, & suspiciunt: pau-  
 peres vero, in quibus veræ, ac solidæ diuitiæ existunt,  
 aspernantur, & despectant.*

*Qui autem miseretur pauperi, beatus.* Hebr. *beatu-  
 tudines ei:* ille scilicet ter quaterque beatus, cui Deus  
 hanc mentem indidit, vt pauperes colat, eiusque fa-  
 cultatibus suis, opibusque liberaliter succurrat. Vti-  
 que Euangelium misericordes beatos pronuntiat.  
*Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam con-  
 sequentur.* Pfaltes etiam. *Beatus vir, qui intelligit  
 super egenum, & pauperem, &c.*

XXI. *Qui credit in Domino, misericordiam  
 diligit.*

89

Hæc verba absunt ab originibus, nec petita  
 sunt ex Septuag. vt quædam alia. Ergo expun-  
 genda putant Caiet. & Iansen. Sed cum in extrema  
 correctione Bibliorum deleta non fuerint: vtique  
 suscipienda, & canonicis annumeranda sunt.

Hugo Cardinalis, Dionysius, & alij sic exponunt.  
*Qui credit in Deo,* id est, qui fidem habet his, quæ  
 Deus de laudibus misericordiæ in scriptura vbique  
 prædicat, *is diligit misericordiam,* id est, studio il-  
 lius allectus eam amplectitur, & facultatibus suis  
 miseris pauperum libenter leuat. Sententia vera  
 est: sed nescio an apte his verbis accommodetur.  
 Illud tamen hic prætereundum non est, quod pas-  
 sim admonet Augustinus: scilicet in scriptura tot,  
 actant de laudibus misericordiæ atque elemosy-  
 næ vbique dici, vt opus sit, quædam ex his adhibi-  
 to modo temperare, ne absurdam sententiam con-

August.

Tom. 1.

A tinere videantur. Vtpote cum dicit illam emunda-  
 re animos, peccata condonare, redimere, & alia  
 eiusmodi. Quæ quidē sic accipiēda esse dicit, qua-  
 tenus elemosyna impetrat gratiam, poenitentiam,  
 &c. Addo etiam cuiusdam grauissimi autoris ratio-  
 ne minime dissentaneam suspicionem, qui cum vi-  
 derit toties in scriptura peccatorum condemnatio-  
 nem, & purgationem elemosynæ adscribi, suspica-  
 ri se affirmat ratissimo, ac firmissimo decreto Deū  
 apud se constituisse, vt nullus in elemosynis ero-  
 gandis effusior, in peccato impoenitens decebat:  
 quod mihi satis persuasum est.

Ergo interlinearis interpretatio misericordiam  
 non ipsius hominis, sed Dei intelligit hoc sensu: Qui  
 ex animo diuinis oraculis, ac dictis fidem adhibet,  
*diligit misericordiam,* id est, Dei erga se miseri-  
 cordiam allicit: *diligit,* inquam, id est, intelligen-  
 do illicit, & conciliat. Quæ interpretatio paulo co-  
 arctior est. Lyra vero sic habet. *Qui credit in Domi-  
 no fide & charitate firmata, diligit misericordiam,*  
 quæ nimirum charitati annexa est: nam qui Deum  
 ex animo diligit, in proximum quoque beneuo-  
 lus est.

90

Ceterum (ni mea me fallit coniectura) alia est  
 huius loci germana sententia ad hunc modum. *Qui  
 credit in Domino,* id est, qui fidem in Domino, qui  
 suam in Dominum serio fiduciam contulit, adeo  
 vt necessaria ad vitam nunquā sibi ex diuina pro-  
 uidentia non affutura speret: is quidem *diligit mi-  
 sericordiam,* id est, libenter, atque effuse ex his,  
 quæ habet, pauperibus elargitur. Vtique homines  
 diffidentia, & pauperatis metus reddit parcos, illi-  
 iberales, & auaros, fiducia vero liberales, & prodi-  
 gos erga egenos. Nam is, qui spem suam in Deo  
 collocans sua bona distribuit, nunquam deficit. Ba-  
 silius homil. 3. in diuites auaros. *Qui enim dando di-  
 uine gratiæ confidunt, puteos imitantur, qui conti-  
 nuo exhausti minime deficient: sed duplo copiosio-  
 res euadunt. Si ergo Deo diuiti fac fœneres: crede,  
 inquam illi: quia quod afflicto datur perpetuo quasi  
 sua personæ datum amplectitur, & de suo reddit: di-  
 gnus vbique fidei usor terra, marique apertos ha-  
 bens thesauros.* Huius autem fiduciæ quantitatē  
 admetiens Basilus affirmat tantam esse oportere,  
 vt ex vno pane etiam donandum sit. *Quod si (in-  
 quit) vnus tantum sit tibi panis, ad fores autem  
 erogator adsit, deprome illum, &c. Quod si ad hunc  
 modum feceris, non dubium, quin panis iste, quem  
 in hac dabis angustia cum fiducia, & spe, agricul-  
 tura semen tibi suppeditabit, multumque tibi ex  
 terra fœnoris residet, arrhabo tibi futuri.* Itaque  
 vnum panem, quem quis ex fiducia pauperi elargi-  
 tur, totius annonæ arrhabonem futurum esse do-  
 cet Basilus. Ergo qui hoc satis agnouit, diuina be-  
 neficentia fretus, *diligit misericordiam,* hoc est, li-  
 benter suas distribuit facultates. Qui autem pau-  
 pertatem, & census angustias veretur, sordēs vtiq-  
 ue, & auaritiā adamat. Hunc igitur, qui ex timore  
 paupertatis, & inopiæ pecunias oblerat, & elemo-  
 synas differt, longa oratione insectatur Chrysosto-  
 mus homil. 20. in Epistolam ad Corinthios: vbi  
 inter alia sic habet. *Propterea quidē pauperes su-  
 mus, quod paupertatem formidamus, etiam si ta-  
 lenta habeamus innumerabilia. Non enim qui nihil  
 habet, est pauper, sed is, qui horret paupertatem.  
 In certaminibus quosdam laudamus? Eosne, qui  
 multum verberantur, & non dolent, non concidunt:  
 sed erecto & sublimi collo stant? An eos, qui a pri-  
 mis acceptis plagis fugiunt? An non illos corona-  
 mus, tanquam fortes, hos irridemus, tanquam igna-  
 uos, ac timidos? ita etiam faciamus in rebus huius  
 vite: illū, qui facile fert omnia, tanquam generosum*

91

92

V u

athletam coronemus : hunc autem magis desleamus extimescentem, & priusquam plagam acceperit metu mortuum. Id quidem diximus de his, qui paupertatem extimescunt, & ne ferre quidem possunt eius expectationem. Quomodo enim non de cetero ludificatur diabolus videns te etiam ante plagam minas formidantem, & contremiscentem? Immo vero cum tu hoc existimes esse minas, non habebit quidem opus, ut te deinceps feriat: sed sinens te habere diuitias, propter expectationem ademptionis eorum reddet te quauis cera molliorem. Est enim nobis natura (ut ita dicam) instum, ut qua timemus, postquam ea passi sumus, non tam terribilia esse existimemus, quam prius, & ante experientiam. Non hanc ergo virtutem ex paupertatis experientia contra paupertatem possideas. In summo diabolus te tenet metu, ante paupertatem metu paupertatis liquefaciens. Nam quis est eiusmodi, est quauis cera mollior, & ipso Cain vitam agit miseriores: pro his quidem, quæ habet extimescens, pro his, quæ non habet dolens, & pro his, quæ habet rursus tremens, tanquam ingratum, fugituum intus detinens Plutum. (nempe diuitias.) Hæc ille: quæ quidem ego ex multis transuli. Nam eorum miseram conditionem apprime declarant, qui metu inopiæ, ex quadam diffidentia prouidentia diuinæ, eleemosynas facere non audent.

XXII. Errant, qui operantur malum: misericordia, & veritas preparant bonum.

93 **E**rrant, Qui operantur malum. Hebr. Ecce errant, qui fabricantur malum. Alij. Qui cogitant malum. Nonnulli etiam legerunt. Qui arant malum. Similiter etiam illa verba. Misericordia, & veritas, &c. sic ex Hebræo verti possunt, Misericordia, & veritas his, qui fabricantur, vel qui cogitant, vel qui arant bonum. Chald. Perversi errant, qui cogitant malum, misericordia, & veritas his, qui cogitant bonum. Septuag. Errant, qui fabricantur mala: misericordiam, & veritatem fabricantur boni: Theodotion habet: Ecce errabunt, &c.

Præmittitur quidem in Hebraicis Originibus  $\text{הלו}$  Halo, id est ecce, particula est asseuerans, quasi dicat, Profecto errant, &c. Caietanus existimat his verbis innui, non solum criminis reum esse apud Deum illum, qui mala perpetrat: sed etiam qui eadem cogitatio perpetrare apud se decernit. Quem admodum etiam non solum Deo gratus est, qui ea, quæ honesta sunt, opere exequitur: sed etiam ille, qui de his cogitat, & eadem præstare apud se constituit. Ergo Caietanus misericordiam, & veritatem Deo tribuit, ut sit sensus: Profecto errant totj celo, qui seclera mente moluntur, etiam si ea non perficiant, &c. Et rursus illi diuinam sibi misericordiam, & beneficentiam deuincunt, qui bona facere apud se statuunt, etiam si eadem non præstent.

94 Rodolphus, & Iansenius, misericordiam & veritatem Deo similiter adscribunt: aliter ver sententiam conformant. Errant utique, qui fabricantur mala, scilicet aliis inferre. Errant inquam, id est, à virtutis rectitudine deuij eunt: atque adeo diuinam sibi accersunt vindictam. Ex aduerso autem: Misericordia, & veritas his, qui fabricantur bona. Illi videlicet, qui de aliis bene meteri, & aliis bene facere student, misericordiam, & veritatem sibi conciliant. Per veritatem autem lumen intelligunt, quo Deus intellectum hominis collustrat, ac perficit: per misericordiam verò reliqua in uniuersum eius beneficia. Cæterum ergo ( ut aliàs

docui, ) veritatem, & misericordiam, quoties simul, & vno Deo adscribuntur, sic accipio, ut veritas fidelitatem illius adsignificet, per quam promissam mercedem iustis soluit (nam veritas in promissis fidelitas est,) misericordia verò eiusdem liberalitatem, per quam pleraque etiam bona, quæ non promissit, liberaliter elargitur. Itaq; sensus erit: Misericordia, & veritas his, qui fabricantur bona. Nimirum erga illos, qui benefici, & liberales in alios sunt, Deus fidelis erit, promissam mercedem retribuens: & insuper liberalis, beneficiis eos augens, & cumulans. Hæc tamè expositio in vulgatam lectionem parum apte cadit.

95 Quapropter aliis etiam accommodatis interpretationibus dimissis, quibus Hugo, Dionysius, & Arboreus locum istum onerant, germanam, & literalem expositionem ad hunc modum instituentem esse puto. Errant, qui operantur malum. Profecto malum Hebr.  $\text{רע}$  Ragh: ut aliàs non semel ad monui, pro diuitiis accipi consuevit, maxime pro iniuste partis. Ergo sensus est: Errant toto celo, qui in diuitiis iure, vel iniuria parandis, & augendis laboriosè defudant. Hunc laborem sudoremque significat lectio originalis, Errant, qui arant malum. Et quidem laboriosa isthæc, iniustaque negotiatio diuitiarum, non incongrue confertur cum aratione sterili terræ, quæ ingenti labore exulta fructum nullum reddit, Ergo ad avarum hominem, & iniusti quæstus avidum hominem deflectere licet illa verba, quæ aliò deriuauit Petrarca. Sterili terra semina tua mandas, terra arida colonus es, solve bones, quid te torques? Errant ego, qui arant malum. Qui videlicet iniustorum quæstum artes, tanquam steriles, & arentes terras excolunt, aberrant, vel potius insanunt. Si enim Vlysses olim infaniam simulare volens arenam sterilem aratro scindere, & excolere cœpit, cur non potius hi infani, & records appellentur, qui serid, & non per simulationem idem præstant?

96 Ex aduerso autem: Misericordia, & veritas preparant bona. Misericordiam veritati, seu iustitiæ adnectit, quia misericordia ex bonis iuste acquisitis fieri debet. Quasi dicat, illi, qui opes suas iuste partas liberaliter distribuunt egenis, ingentia bona sibi cumulant: præparant inquam, sibi scilicet temporaria in hanc vitam, & æterna in futuram bona reponunt. In primitiis est, Misericordia, & veritas arantibus bona, id est, illi, qui bona iuste quæsitâ pauperibus distribuunt, illis similes sunt, qui pinguem, atque fœcundam tellurem arant, seruntque. Quam verò aptè sementis similitudo eleemosynæ accomoderetur, scripturæ, atque Patrum testimoniis quam pluribus suprâ docui, capite decimotertio vers. 23. & alibi. Huic ergo expositioni hæret translatio Septuaginta, quæ sic habet: Errant, qui fabricantur mala: misericordiam, & iustitiam fabricantur boni. Nimirum qui parandarum opum gratia fraudes moluntur & insidias, errant magnopere, & à rectitudine, & iustitia longissimè abeunt. Boni autem, atque impij homines eleemosynas largiores ex iuste quæsitis semper apud se meditantur. Sed expende vocem illam, fabricantur, vel architectantur. Huic enim non parum inseruit sententia illa Chrysostomi, qui celsam quandam misericordiarum domum molitur, cuius fundamentum diuitiarum contemptum esse dicit: apicem verò, & fastigium charitatem, quæ ad cælos, imò ad Deum ipsum peruenit: cuius verba suprâ dedimus cap. 10. nu. 6. Illi ergo misericordiam fabricari, aut exædificare dicetur, qui præmissam domum construunt, & à fundamento suo ad fastigium perducunt. Quod si ad animum referas verbum illud fabricantur, sensus erit:



ingentes eleemosynas animo suo destinant. Quasi dicat, cū cēsus angustior, vel nullus est & eleemosynis largiendis non suppetit, animus rei familiaris angustias compensat de magnis apud se eleemosynis de liberans: quia probe nouerunt, non quantitatem, sed animum Deo pergratum esse.

97

Huic sententiæ quædam atrox verba Septuaginta quæ Hebraicis originibus non respondent: *Non sciunt misericordiam, & fidem fabricatores malorum: eleemosyna autem, & fides apud fabricatores bonos.* Existimo autem Septuag. solemniter sibi cōsuetudini institisse. Solent enim sacri illi vates simul, & interpretes cum sententia aliqua ad verbum cōuersa obscurior est, ad eam explicandam, & illustrandā aliam clariorem subiicere. Ergo hæc verba ad superiorem versus illustrandum subscripta sunt. Quorum sensus sic se habet. *Non sciunt misericordiam, &c.* Illi scilicet, qui diuitias, & opes augere in immensum apud se statuunt, & construunt, misericordiam minimè exercent, aut nesciunt misereri. Vel aliter *fabricatores malorum*, appellantur vanillimarum rerum molitores, & architecti, qui cum in res superuacuas, inanes & turpes ingentes sumptus libenter erogent, in eleemosynas ne obolum quidem expendunt. Hos quidem sic affatur Basiliius in homilia secunda contra diuites auaros. *Si audieris: vende omnia quæ habes, & da pauperibus, ut vitam habeas eternam, mortuus abis. At si audieris: da pecuniam mulieribus, delitiis, lapidicinis, architectis, thesellariis, pictoribus, gaudes, quasi rem pecunia pretiosorem assequaris.* Et post pauca: *Contente igitur animam habere magnam, & locupletem: domus verò parua, vel magna eundem præstabit usum. Ego vero quando transeundo vnius alicuius inflati diuitis domum conspicio variis stragulis, & ornamentis fulgentem, intelligo illum nil pretiosius quam quod cernitur, possidere: quando quidem inanimata tanto studio ornare contendit: animam verò immortalem incultam habet. Si sumptus non necessarios pensamus, quot argentei tori, mensæ item argenteæ, lecti & eburnei, &c. At vnde inquiet, tanta, & tam effusa ad inanes, & turpes sumptus faciendos liberalitas, tamque auara, & sordida ad eleemosynas erogandas parcitas? Videas passim homines, qui in ludos publicos talentum expendat, & in pauperum vsus, ne obolum quidem libenter erogent. Sanè non aliunde, nisi quia: *Non sciunt misericordiam fabricatores isti malorum:* ignorant planè illius vim, illius copias, diuitias, magnitudinem, splendorem, & nobilitatem. Vtiq; hoc in fidei defectum cōiicit Basiliius eo loci, quod est ignorationis genus. Item Chrysostomus cum misericordiam margaritæ contulisset, quosdam ad eò stolidos esse dicit, ut illam cum vitro permutent: hi verò non alij sunt, nisi illi, qui opes suas in vanos, & inanes sumptus malunt infumere, quàm in pauperum vsus. Margaritis verò vitrum tam stolide præferre fatua ignoratio est. Subdit.*

*Eleemosyna autem, & fides apud fabricatores bonos.* Eleemosynæ scilicet largiores ex iustè quaesitis apud eos inueniuntur, qui altiora, & digniora meditantur, qui domum sibi in cœlis architectari, & fabricari ditissimam volunt. *Eleemosyna enim* (ait Chrysostomus homilia 54. in Matth.) *mansionem nobis in cœlo adificat, & æterna tabernacula preparat.* (& infra.) *Nam & domus æterna in cœlis condit, & thesauro locupletat inexhausto.* Et homilia 8. de pœnitentia sic addit: *Æterna sunt tabernacula in cœlis, quæ non tempore cadunt, nec possessores mutant: hanc in structuram pecuniam impendimus: non architectorum sanè, aut operariorum magna nobis fuerit cura. Pau-*

D. Basil.

98

Chrysost.

D. Chryf.

perum manus eiusmodi domos construunt: claudii, & esurientes illas edificant: & ipsa eleemosyna artifex est. Fabricatores igitur boni illi sunt, qui præfatas domos illic attollunt: qui artifices, & operarios prædictos suis sumptibus conducunt: qui ex iuste partis pauperum indigentiam nunquam non subleuant.

XXIII. In omni opere erit abundantia: vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.

B

In omni opere, &c. Hebraicè: *In omni labore erit augmentum: verbum labiorum verè ad defectum.* Chaldæus: *In omni, quod sollicitum te facit, erit tibi commodum: & labia superflua in egestate erunt.* Septuaginta: *In omni sollicito erit abundantia: dulcis autem, & carens dolore in egestate erit.*

99

Vna omnium interpretum conspiratio est suaderi hic honestum laborem, operas, & sollicitudinem. Aliqui codices habent, *In omni opere bono:* sed primitiua Hebraica, & correctior absolutè legit, *in omni opere, aut labore.* Ergo sic ferè exponunt. Labor quidem, ac diligentia nunquam quaestu suo vacant: his opes, & facultates parantur, & partæ cumulantur: otiosa verò garrulitas egestatem, & inopiam adducit. Itaque otiosos, & inertes, verbosos, ac garrulos appellari existimant. Nam ferè qui desidem, atque inertem vitam agunt, vanis, atque inanibus colloquutionibus intersunt, & loca fabellis serendis opportuna frequentant. Quid certius? Sunt qui putant hinc Salomonem innuere voluisse id quod vulgo apud nostrates circumfertur, & prouerbij loco vsurpatur. *Haziendo y diziendo.* Itaque sensus est, opere quidem, non verbis res paratur. Luculentius dicam, *Agendo non dicendo.* Quasi dicat, illi sanè diuitias augent, qui operantur, & defudant, non qui diu deliberantes se aliquando operaturos dicunt, id est, vnâ, simulque deliberando, & rem executioni mandando facultates parantur.

E

Ceterùm licet hæc non ineptè dicta sint, nihilominus aliam huic loco expositionem subesse arbitrator. Parasitos enim, adulatores, scurras, & eiusmodi alios, qui nugis, lenociniis, ac dulcibus sermonibus Principum gratiam inire contendunt, carpi à Salomone puto. Quos quidem eo nomine accusat, quod cum id potissimum cupiant, scilicet eo artificio ditescere: tamen semper egeni, & miseri sunt. Itaque ait, *In omni opere erit abundantia:* id est, nulla industria, vel labor suscipitur sine quaestu, & lucro. *Vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas:* vbi adulatio, nugæ, scurrilitas, & alia, quæ verbis multis indigent, ibi inopia. Quod perinde est, ac si dicat, adulator, parasitus, scurra, nugator: & alij eiusmodi, qui non labore, & industria aliqua honesta, sed turpi verborum lenocinio diuitias aucupantur, semper egeni, atque inopes sunt. Hanc expositionem suadet translatio Septuaginta, qui extrema verba sic extulerunt: *Dulcis autem, & carens dolore in egestate erit.* Græcè ἰδὲ, quæ vox pro faceto, & in vniuersum pro eo, qui verba sua sic condit, ut aliis placeat, accipi consuevit. Itaque sensus est. Adulator, vel scurra, qui laborem vitæ, suauiloquentia, salibus, & nugis gratiam, & diuitias quarunt, semper in egestate, & maxima rei angustia versabuntur. Quod autem adulatores, & parasiti ea arte diuitias, & opes quarant, certò certius est. Aristoteles Ethic. li.

100

Aristot.

bro tertio capite septimo. Adulatorem sic definit: *Is autem, qui circa iucundum exuperat, si nullius gratia rei, placidus: si sui emolumentum causa, adulator est appellandus.* Et quidem cum adulator amici similitudinem referat, in eo quidem à viro amico deficit, quod amicus amico bene vult: adulator sibi (vt ibidem docet Aristoteles.) Igitur ob eam causam, quia suis tantummodo lucris studet, adulatorem seruilem, & humilem appellat Stagyrta: *Quapropter (inquit) omnes adultores seruiles sunt, & omnes seruiles adultores,* libro quarto cap. 3. & rursus ait: *Qui delectat emolumentum sui gratia, vt inde sibi proueniat in pecuniis, & in his, quæ pecuniis comparantur, vilitas, adulator vocatur, quasi sodas, id est, seruus: id enim seruile est, & indignum plane libero ingenio.* Hos igitur diuitiarum auidos, adultores, & parasitos, qui ex verbis suis turpes quæstus faciunt, raro, aut nunquam ditare docet Salomon: quod quidem experientia satis compertum est: nam hi vix quotidianum victum sibi parant, & in diem (vt aiunt) viuunt.

XXI. Corona sapientum diuitia eorum: stultitas stultorum imprudentia.

101

**C**orona sapientum, &c. Hebraicè: *Stultitia stultorum stultitia:* id est, stultissima, reliqua non dissonant. Chaldaus: *Et decus stultorum stultitia eorum.* Septuaginta: *Corona sapientum astutus: conuersatio autem imprudentium mala:* sic habet correctior textus. In scholis verò animaduertitur in plerisque codicibus esse, *stultorum auisus, diuitia eorum.* Symmachus etiam extrema verba conuertit, vt vulgata.

Prima interpretatio est Hugonis: *Corona sapientum diuitia eorum:* id est, opes, & facultates sapientibus coronas immarcescibiles pariunt, quia dum pauperibus distribuunt, inde coronas, & ferta sibi ipsis pangunt. Diuus Chrysostomus in homilia 53. ad populum. *Amaranthinas, & immarcescibiles coronas* misericordibus asseruari dicit. Additque omnis coronæ expertem futurum, qui misericordiam non colit: quia triplex omnino corona, vel laureola numeratur, qua Deus sanctos suos redimit. Virginitatis altera, hæc autem sine eleemosyna minime paritur. Virgines quippe illæ, quæ oleum (id est misericordiam) in lecythis non habuerunt, à regno quidem exclusæ sunt. Secunda martyrij, hæc etiam misericordiam præit. *Quomodo enim (ait Chrysostomus) sanguinem suum profundet, qui pecunias suas pro Christo effundere timet?* Sancti illi veteres prius copias suas ad Apostolorum pedes adiciebant, vt ex his pauperes alerentur, & inde ad martyria veniebant: & primus Christi martyr Stephanus dispensator exitit eleemosynarum Magnes quidem si adamas, qui reliquas gemmas pretio facile vincit, illi hæreat, ferrum abiicit, vt alibi ex Augustino, Isidoro, & aliis tradidi: ita etiam homo cum diuitiæ cordi hærent, ferrum, id est, enses, gladios, & reliqua martyrij instrumenta respuit. Denique tertia est Doctorum laureola. De hac verò Salomon ait: *Corona sapientum diuitia eorum:* diuitiæ, inquam, liberaliter ex misericordia distributæ (vt inquit Hugo.) Hinc verò elucet ratio, cur in die iudicij omnes illos, qui ad coronas, regnumque vocandi sunt, in vniuersum sic se alloquuturum Christus asserit. *Venite benedicte Patri mei: percipite regnum* (id est coronas, & laureolas, quibus æternos reges vos creati oportet)

August.

**A** tet) *eserui enim, & dedistis mihi manducare, &c.* vbi opera tantum misericordiam numerantur: quia licet alia, atque alia coronarum percipiendarum causa sint: tamen omnibus misericordia annexa, & copulata esse debet: ideò ab omnibus misericordiam ratio exigitur.

Secunda interpretatio est Lyra, *Corona sapientum diuitia eorum:* sapienti (inquit) suæ sunt propria, atque peculiare diuitiæ: nimirum ipsamet sapientia, doctrina, & virtus: his enim etiam animus ditescit. Vnde ille alius sapiens, qui fortunas suas partim amiserat, partim abiecerat, sic aiebat: *Omnia bona mea mecum porto.* De his ergo diuitiis locum interpretandum esse putat Lyra, *Corona sapientum diuitia eorum:* nimirum eorum propria, ac peculiare opes illos coronant, & exornant: scilicet sapientia, doctrina, & virtus. Hæc enim non modo illos decorant, sed imperium, & potestatem in omnes alios insipientes illi addicunt. Aristotel. lib. 1. Rhetor. cap. 12. *Et quia regnare (inquit) suauissima res est, etiam sapientem videri suauis: prædixit enim esse sapientiam regium est.*

102

Tertiam interpretationem tradit Rodolphus. *Sapientia (inquit) & doctrina in homine sordido, & paupere contemptui haberi solet: at in ditioribus suspicitur, & admirationi est.* Ergo sensus erit, *Corona sapientum diuitia eorum:* id est, diuitiæ sapientiam coronant, & ornant, quia illi decus, & splendorem conciliant, & obsequio dignam reddunt. Quasi dicat, sapientia, quæ in paupere vilis, & infima est, in diuite velut accepta corona exultat, & regnat, & omnes insipientes sibi subdit. Si enim fatuos, & stolidos diuitum sermones vulgus suspicit (iuxta illud: *Diues loquutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent.* Ecclesiast. 13.) quantum putas sapientibus, atque doctis eiusdem orationibus deferendum? Itaque prouerbium obiter suadet sapientibus parandarum opum aliquam industriam cum sapientia studio copulare, vt eorum doctrina illustrior, & ornatio sit.

Aristot.

Eccles. 13. num. 82.

Quarta expositio est eiusmodi, *Corona sapientum diuitia eorum:* id est, diuitiæ, & fortunæ sapientes corona donant, propter rectum earundem vsum. Non enim obseruiunt ipsi diuitiis, sed magis imperant, atque eas sibi substernunt. Nam eos, qui diuitias ex animi magnitudine contempnunt, earum dominos ac reges appellare integrum est. Chrysostom. homilia 16. in Matthæum. *Si habes (inquit) diuitias, & diuitia ille non te faciunt superbum, aut violentum: sed secundum quod potes, das pauperibus, Dominus es, ac Rex diuitiarum tuarum, non seruus: quia non te diuitia tenent tunc, sed tu diuitias.* Ac rursus in oratione de diuitiis, & paupertate. *Omnes (inquit) vsum diuitiarum habemus, dominium vero nullus: etsi quod dominium haberi potest, illi planè habent, qui, & vsum earum contempserint, & fruitionem deriserint.* Rursus præcipuam quandam assignat rationem, ob quam eiusmodi diuitiarum despectores Reges sint corona insigniti. Quia nimirum eleemosynam sibi despondent, quæ regina est: eum enim, qui reginæ nubit, Regem esse necesse est. Eleemosynam autem non solum reliquarum virtutum reginam passim appellat Chrysostomus: sed etiam cæli totius reginam supremam, & inclytam, homilia septima de Pœnitentia. *Multa (inquit) vtatur eleemosyna: ipsa enim est regina virtutum, à tormentisque eripiet, & nemo illi repugnabit, &c.* & homilia nona. *Eleemosyna regina illa virtutum homines clarissimè in ipsorum cælorum axes deducet, aduocata optime loco fungens.*

103

Et homilia 8. sic addit: *Huic multa cum facultate aperiantur cœlorum porta, ac velut eorum regina ingrediente, nullum custodem in ipsis portis postorum audeat interrogare, quæ sit, aut unde iter agat: magis vero suspiciunt omnes. Eleemosyna enim regina omnino est.* Ergo qui hanc sibi tam inclytam reginam sponsam adiungit, coronam, regnumque nanciscitur.

104

Et si ea, quæ hæcenus diximus, satis accommodata sint: tamen litteralem sensum simplicissimum esse puto hoc modo: *Corona sapientum diuitia eorum.* Sapientum capita diuitia non peruertunt, & à sensu deturbant: sed potius redimunt, & coronant, quia rectè illis vtuntur, *Fatuitas autem stultorum imprudentia.* Vel vt habent origines: *Stultitia stultorum stultitia:* id est, mirum in modum stulta, & vecors. Quasi dicat, fatui cum diuitias nacti sunt, amplius infatuantur, & ad insaniam conuertuntur. Quanta verò sit stultorum diuitum insaniam, docet Chrysostomus oratione 7. in Epistolam ad Colossenses. Vide ibi multa ab illis verbis. *Reuerentes, & furentes faciunt diuitia.* Beda Venerab. extrema ista verba sic expendit: *At stultorum fatuitas maxima hæc est, quia improuidi æternorum de presentibus tantum commodis gaudent: impudentia enim quasi improuidentia dicitur.* Hanc Bedæ interpretationem impertinentem appellat Iansenius, cum satis ad rem sit. Quamuis enim in Hebræo sit iteratio eiusdem vocis, ita vt reddi debeat ad verbum, *Fatuitas stultorum fatuitas:* tamen non est omnino infulsum verba nostræ translationis vrgere: etiã si primitiuus non respondeant: tum quia id Patribus admodum solemne: tum etiam quia non sine diuini spiritus afflatu vulgatus hæc præ aliis vsurpauit. Chaldæus conuertit: *Et decus stultorum stultitia eorum.* Quasi dicat, sapientibus quidem diuitia ornamento sunt, ac stultis ornamenti loco noua stulticia accrescit.

Chrysost.

Septuaginta prioris partis difficilem satis translationem offerunt, *Corona sapientum astutus:* posset tamen hunc ad sensum vocari. Vir vnus astutia, hoc est, prudentia, & rerum cognitione eximiè polens, sapientes coronat sapientum videlicet concilium. Nam vnus aliquis valde sapiens, & eruditus reliquis sapientibus ornamento, & splendori est: quia vnus gloria propter facultatis communionem ad omnes perueniet, *Conuersatio autem imprudentum mala:* id est, stultorum commercium nocuum, & perniciosum est, quia ab illis dedecus quidem, & stultitia trahitur. Quasi dicat, cum sapientibus conuersari vtile est, quia vnus aliquis sapiens reliquos coronat: cum stultis versari periculosum: quia vnus dedecus, omnes illius socios inficit. At iniquies, vnde nata illa lectio Septuaginta? Modo quidem non alia suspicio occurrit, nisi forte pro עשרם *Gharzam*, eos legisse, ערם *Gharan* quod adeptis punctis, & sublato ו *Scin*, euenire facile potuit.

XXV. *Liberat animas testis fidelis: & profert mendacia versipellis.*

105

**L**iberat animas, &c. Hebraicè: *Eruens animas testis fidelis, & efflauit mendacia dolus:* id est, dolosus. Hispanica habet: *El que enlaz amentiras.* Septuaginta: *Liberauit de malis animam testis fidelis: accendit autem mendacia dolosus.* Sanè occurrit hic verbum תפג *Gaphath*: de quo supra non semel diximus, quod propriè significat afflare, & spirare.

Posterior huius versiculi pars iam inde supra oc-  
Tom. I.

currit capite decimotertio vers. 17. vide, quæ ibi diximus. Integram autem loci sententiam sic accipe: *Liberat animas testis fidelis.* Hugo Cardinalis Christo, & Doctore per accommodationem hæc verba tribuit. Iansenius, Rodolphus, Lyra, & alij exponunt sic. *Fidelis testis, & veritatis assertor constans, cum vnum aliquem innocentem neci eripit, multas simul animas vendicat, quæ vnus ex vita pendere solent: verbi gratia, eum de patrisfamilias, aut de alterius cuiuspiam salute multorum salus, vitæque pendet: Profert autem mendacia versipellis.* Hæc quidem posterior pars imminuta est: atque aded, vt priori respondeat, ad hunc modum compleri debet. Ex aduerso testis dolosus mendacia, audacter proflans multos vnà neci tradere solet, dum vnum aliquem testimonio suo morti addicit, ex cuius vita, ac salute multorum vita suspendebatur. Non displicet.

Tamen in aliam sententiam me adducit verborum ipsa series: *Liberat animas testis fidelis, &c.* Veracis, & falsi testis perspicua quædam documenta, & signa tradit Salomon. Verax quippe fontibus liberandis maximè studet excusans, & quod fieri potest eleuans delicta: ex aduerso autem fallax damnare, & opprimere mendaciis suis adnuitur, parua delicta exaggerans, & culpas leuiore amplifians. Quid certius? Ideo inter alia Bartuli consultorum facile Principis documenta, quibus iudices ad testes dignoscendos informat, illud falsi nobile indicium esse docet: *Si delicta exaggerat, reique condemnationem plurimum se optare verbis annuit.* Nam *veritas* (inquit) *beniuola est: mendacium verò crudele, ac senum.* Alias verò lectiones, *Accendit mendacia,* vel *prostat mendacia,* ex præmissio loco petere, & huic sententiæ accommodare in promptu est.

106

XXVI. *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis eius erit spes.*

**I**n timore Domini, &c. Hebraicè: *Et filius eius erit tutela.* Chaldæus: *Timor Domini fiducia roboris, & filiis eius erit protectio.* Septuaginta: *Filiis autem suis relinquet firmamentum.* In quibusdam codicibus legitur, *firmamentum pacis.*

107

Priorem huius carminis partem Iansenius duplici sensu donari posse dicit: sed vtriusque sensus exigua est, aut nulla disparitas. Verba sunt perspicua: *In timore Domini fiducia, & spes,* id est, timor Dei confidentem quandam, & proiectam ad audendum fortitudinem præstat, siue ad sustinendas res aduersas, siue ad difficiles, & arduas inuadendas. Hanc vim timoris Dei attingit Diuus Gregorius libro quinto Moral. capite decimotertio vbi hæc Salomonis verba sic discutit: *In via Dei à timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur. Nã sicut in via seculi audacia fortitudinem: ita in via Dei audacia debilitatem parit. Et sicut in via seculi timor debilitatem: ita, & in via Dei timor fortitudinem gignit, Salomone attestante. In timore Domini fiducia fortitudinis dicitur: quia nimirum mens nostra tanto valentius terrores rerum temporalium despicit, quanto se authori earundem veracius per formidinem subdit: quæ in timore Domini constituta non inuenit extra, quod metuat: quia dum recto metu conditori omnium coniungitur, potestate quadã supra omnia subleuatur. Hæc ille: quibus venuste admodum Salomonis sententiam illustrauit. Quantam verò fortitudinem timor Dei animis immittere soleat, longa oratione docuit*

Gregor.

Ambros.  
Psal. 118  
num. 161.  
Chrysof.

D. Ambrosius ad illa verba Psalm. 118. *A verbis tuis formidabit cor meum.* Vide ibi. Chrysofomus homil. 59. ad populum. *Nihil aequale Deum timenti: nam timor Dei omnia superat:* id est, nulla est aduersitas, quæ cum viro timenti Deum composita, nõ facile superetur, ac sternatur: nulla est tam ardua difficultas, quam vir timens Deum impavidus non inuadat. August. verò optimam huius confidentiæ rationem tradidit in Psalm. 66. *Maiore (inquit) timore minor a contemnimus: nam quis non bibat tribulationis temporalis poculum metuens Deum, & ignem gehennæ?* Et quidem humanus etiam timor aliquando audaciã parit, & summe pavidos ipse timor confirmat: tunc nimirum, cum timor desperationi adiunctus est. Miles, qui mortem se euadere posse desperat, audacius in hostes sæuire solet. Non ita Dei timor (inquit Augustinus) sed fortitudinem cum spe, atque fiducia coniungit: *In timore Dei fiducia fortitudinis,* id est, quædam fortitudo non desperas, sed confidens. Ambros. in eo loco. *Nonne ad hanc trepidationem fiducia viri constantis equalis in eodem effectum concurrat confidentia, cupientis æterna, & diuina trepidantis?* Quasi dicat audacem eam fortitudinem duo simul perficiunt, formido, & fiducia, timor & spes: spes videlicet æternorum, atque timor diuinorum. Et quidem id distinet inter bonũ Deitimorem, & malum: aliquando enim malus etiam, & degener Dei timor ad quædam difficulta præstanda, & aspera sustinenda audaciam præstat, hanc verò desperatio suadet. Sic passim videas homines impios morti proximos hoc inutili Dei timore concussos in quædam pia opera audacius ruere. Vnde isthæc tam noua, & insolens audacia? Non aliunde sanè, nisi ex desperatione. Bonus vtique atque generosus Dei timor spem, & confidentiam sociam habet. Psalm. 146. *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & his, qui sperant in misericordia eius.* Eccles. 25. *Timor Dei initium dilectionis eius: fidei autem initium agglutinandum est ei:* id est, confidentiæ initium. Subdit.

August.

Ambros.

Psal. 146.  
num. 11.  
Eccles. 25.  
num. 16.

*Et filius eius erit spes.* Beda, atque Lyra pronome illud, *eius*, ad timorem referendum esse putant, & timoris filios appellari homines timidos: quemadmodum *filij mortis* fontes, & *filij sapientiæ*, dicuntur perdocti, & alia valde obuia in scripturis sacris. Si tamen id placet, huic sententiæ inferuit. D. Augustin. locus in lib. de Doctrina Christiana, qui de illa regeneratione verba faciens, qua iusti per gratiã renascuntur, sic ait: *Hos timoris Dei vulua tandem cominet, imò parturit, donec charitas perficitur.* Filios igitur timoris eos accipere licet, quos timor veluti matrix quædam, seu vulua perfecta charitate sanctitati, atque iustitiæ edit. Et quidem si verũ est Aristot. illud proloquium, qui ingenium viri, totum robur, & magnitudinis mensuram ex vulua metitur. (Nam quibus matrix amplior cõtingit, robusti, magnanimi, & proceri postea euadunt: quos autem angustior vulua gestauit, infirmi, pusillanimes, & perbreues semper sunt.) Non aliud de timoris Dei vulua, seu matrice iudicium ferendum est. Nam in hac sanè vulua non quidem natura sed gratia vniuscuiusque sancti, ac iusti hominis mensuram, & magnitudinem quodammodo præludit. Nam quo maior, & vehementior timor Dei in primo iustitiæ suæ primordio hominem concutit, eo maioris sanctitatis spes suscitatur. Ergo de hac spe intelligi potest Salomon, cum ait: *Et filius eius erit spes.* Rufinus factus nouem mensium interuallo est in matrice, quia breuiori spatii membra singula perfici, & roborari non possunt: si quando autem id tempus præuertens ante prædictam perfectionem factus editur, abortus est ille, non partus: & infans, qui ea ra-

109

August.

Aristot.

tionem per abortum natus est, citius interire solet. Ad eundem modum homo tamdiu in timoris Dei matrice vtiliter concussus perseverat, donec charitas perficiatur, ac coalescat. Quod si tempus hoc antevertit, & à timore prius excedit, quam eam charitatis perfectionem, & mensuram attigerit, eius quidem natiuitas abortus potius, quam partus dici debet: ex eo fiet, vt breui mora recidiuus in culpam misere intereat. Quid certius? Ergo alia lectio huius loci habet, *Et filius eius erit robur*, seu *tutela*: quia non prius timorem exuunt, quam ad charitatis firmitatem peruenerint.

tionem per abortum natus est, citius interire solet. Ad eundem modum homo tamdiu in timoris Dei matrice vtiliter concussus perseverat, donec charitas perficiatur, ac coalescat. Quod si tempus hoc antevertit, & à timore prius excedit, quam eam charitatis perfectionem, & mensuram attigerit, eius quidem natiuitas abortus potius, quam partus dici debet: ex eo fiet, vt breui mora recidiuus in culpam misere intereat. Quid certius? Ergo alia lectio huius loci habet, *Et filius eius erit robur*, seu *tutela*: quia non prius timorem exuunt, quam ad charitatis firmitatem peruenerint.

Rodolphus item pronomen illud, *eius*, ad Deum referendum esse putat, vt sensus sit: *In timore Domini fiducia fortitudinis. Et filius eius* (scilicet Dei) *erit protectio, spes, aut tutela*: existimat enim hinc sermonem haberi de timore filiorum. Quasi dicat: timor Dei robur, atque fortitudinem præstat: timor, inquam, filiorum, cui timori hæret spes, atque fiducia in Deum: iuxta illud, *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in his qui sperant in misericordia eius.* De filiorum timore multa diximus supra cap. 1. vers. 7. & plura cap. 3. vers. 7. Et alibi.

Denique Ianfenius sic verba ordinanda, & neõtenda existimauit: *In timore Domini fiducia fortitudinis* (scilicet, *timentis Deum*) *& filius eius* (hoc est *timentis Deum*) *erit spes, aut protectio*: nimirum filij ob parentũ merita spes ingentes alent. Audi David in Psalm. 127. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vis eius, &c. Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tue. Filij tui sicut nouella oliuarũ, in circuitu mensæ tue. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Vxor, inquam sicut vitis: id est, fidelis, vtilis, suavis: & filij tui sicut nouella oliuarum: quæ perpetuo virent, & folia nullo tempore abiiciunt: sunt autem arborum folia spei symbolum. Optimè ergo Salomon: *Et filius erit spes.* D. Augustinus existimat cum oliua conferri ob pacis significationem: vt sensus sit, Filios habebis mire concordēs, pacem, & mutuam benevolentiam inter se colentes: nam fratrum discordiæ, & dissidia parentum animos valde cruciant. Septuaginta verò in hoc Salomonis loco legunt: *Filiis autem suis relinquet firmamentum pacis.* Subdit, *In circuitu mensæ tue*, tacite innuens eum parentem, qui metuit Deum, facultatum, & aliorum subsidiorum satis habiturum ad filios, quos genuerit, pro dignitate alendos. At cur inquires, timori Deitalis merces defertur: scilicet vxoris fides, & fortuna filiorum? Rationem mihi petere video ex Augustino in eum psalmum, vbi duplicem Dei timorem distinguit, *castum alium*, & alium (liceat sic dicere) *adulterum*: iuxta illud Psalm. *Timor Domini permanens in seculum seculi.* Sic ipse legit, ac de casto timore sic addit: *Quis est (inquit) iste timor castus? Pone aliquam feminã castam timentem virum, aliam pone adulteram. Casta timet, ne discedat vir, adultera ne veniat. Quid si ambo absentes sint? Ista timet ne veniat, illa ne tardet. Absens est sponsus noster, &c.* Hæc ille, quibus id conficitur, timorem castum esse animæ cuiusdam castæ beneuolam affectum, quo Deo velut sponso suo sponsa inuolat: am fidem præstat. Ad hæc Augustinus sermone 18. de Verbis Domini generosum eum timorem, quem semel castum appellari dixit, filialem appellat, vt à seruili distinguat: *Timet (inquit) seruus offendere Dominũ suum, ne iubeat eum verberari, vel in compedes mitti, in carcere includi, aut in pistrino conteri: filius verò timet, non ne damnetur, non ne puniatur, non ne crucietur: sed ne offendat gaudium paternum, ne offendat oculos amantis.* Quorsum hæc? Ergo quia homo per

Denique Ianfenius sic verba ordinanda, & neõtenda existimauit: *In timore Domini fiducia fortitudinis* (scilicet, *timentis Deum*) *& filius eius* (hoc est *timentis Deum*) *erit spes, aut protectio*: nimirum filij ob parentũ merita spes ingentes alent. Audi David in Psalm. 127. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vis eius, &c. Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tue. Filij tui sicut nouella oliuarũ, in circuitu mensæ tue. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Vxor, inquam sicut vitis: id est, fidelis, vtilis, suavis: & filij tui sicut nouella oliuarum: quæ perpetuo virent, & folia nullo tempore abiiciunt: sunt autem arborum folia spei symbolum. Optimè ergo Salomon: *Et filius erit spes.* D. Augustinus existimat cum oliua conferri ob pacis significationem: vt sensus sit, Filios habebis mire concordēs, pacem, & mutuam benevolentiam inter se colentes: nam fratrum discordiæ, & dissidia parentum animos valde cruciant. Septuaginta verò in hoc Salomonis loco legunt: *Filiis autem suis relinquet firmamentum pacis.* Subdit, *In circuitu mensæ tue*, tacite innuens eum parentem, qui metuit Deum, facultatum, & aliorum subsidiorum satis habiturum ad filios, quos genuerit, pro dignitate alendos. At cur inquires, timori Deitalis merces defertur: scilicet vxoris fides, & fortuna filiorum? Rationem mihi petere video ex Augustino in eum psalmum, vbi duplicem Dei timorem distinguit, *castum alium*, & alium (liceat sic dicere) *adulterum*: iuxta illud Psalm. *Timor Domini permanens in seculum seculi.* Sic ipse legit, ac de casto timore sic addit: *Quis est (inquit) iste timor castus? Pone aliquam feminã castam timentem virum, aliam pone adulteram. Casta timet, ne discedat vir, adultera ne veniat. Quid si ambo absentes sint? Ista timet ne veniat, illa ne tardet. Absens est sponsus noster, &c.* Hæc ille, quibus id conficitur, timorem castum esse animæ cuiusdam castæ beneuolam affectum, quo Deo velut sponso suo sponsa inuolat: am fidem præstat. Ad hæc Augustinus sermone 18. de Verbis Domini generosum eum timorem, quem semel castum appellari dixit, filialem appellat, vt à seruili distinguat: *Timet (inquit) seruus offendere Dominũ suum, ne iubeat eum verberari, vel in compedes mitti, in carcere includi, aut in pistrino conteri: filius verò timet, non ne damnetur, non ne puniatur, non ne crucietur: sed ne offendat gaudium paternum, ne offendat oculos amantis.* Quorsum hæc? Ergo quia homo per

Denique Ianfenius sic verba ordinanda, & neõtenda existimauit: *In timore Domini fiducia fortitudinis* (scilicet, *timentis Deum*) *& filius eius* (hoc est *timentis Deum*) *erit spes, aut protectio*: nimirum filij ob parentũ merita spes ingentes alent. Audi David in Psalm. 127. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vis eius, &c. Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tue. Filij tui sicut nouella oliuarũ, in circuitu mensæ tue. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Vxor, inquam sicut vitis: id est, fidelis, vtilis, suavis: & filij tui sicut nouella oliuarum: quæ perpetuo virent, & folia nullo tempore abiiciunt: sunt autem arborum folia spei symbolum. Optimè ergo Salomon: *Et filius erit spes.* D. Augustinus existimat cum oliua conferri ob pacis significationem: vt sensus sit, Filios habebis mire concordēs, pacem, & mutuam benevolentiam inter se colentes: nam fratrum discordiæ, & dissidia parentum animos valde cruciant. Septuaginta verò in hoc Salomonis loco legunt: *Filiis autem suis relinquet firmamentum pacis.* Subdit, *In circuitu mensæ tue*, tacite innuens eum parentem, qui metuit Deum, facultatum, & aliorum subsidiorum satis habiturum ad filios, quos genuerit, pro dignitate alendos. At cur inquires, timori Deitalis merces defertur: scilicet vxoris fides, & fortuna filiorum? Rationem mihi petere video ex Augustino in eum psalmum, vbi duplicem Dei timorem distinguit, *castum alium*, & alium (liceat sic dicere) *adulterum*: iuxta illud Psalm. *Timor Domini permanens in seculum seculi.* Sic ipse legit, ac de casto timore sic addit: *Quis est (inquit) iste timor castus? Pone aliquam feminã castam timentem virum, aliam pone adulteram. Casta timet, ne discedat vir, adultera ne veniat. Quid si ambo absentes sint? Ista timet ne veniat, illa ne tardet. Absens est sponsus noster, &c.* Hæc ille, quibus id conficitur, timorem castum esse animæ cuiusdam castæ beneuolam affectum, quo Deo velut sponso suo sponsa inuolat: am fidem præstat. Ad hæc Augustinus sermone 18. de Verbis Domini generosum eum timorem, quem semel castum appellari dixit, filialem appellat, vt à seruili distinguat: *Timet (inquit) seruus offendere Dominũ suum, ne iubeat eum verberari, vel in compedes mitti, in carcere includi, aut in pistrino conteri: filius verò timet, non ne damnetur, non ne puniatur, non ne crucietur: sed ne offendat gaudium paternum, ne offendat oculos amantis.* Quorsum hæc? Ergo quia homo per

Denique Ianfenius sic verba ordinanda, & neõtenda existimauit: *In timore Domini fiducia fortitudinis* (scilicet, *timentis Deum*) *& filius eius* (hoc est *timentis Deum*) *erit spes, aut protectio*: nimirum filij ob parentũ merita spes ingentes alent. Audi David in Psalm. 127. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in vis eius, &c. Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tue. Filij tui sicut nouella oliuarũ, in circuitu mensæ tue. Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.* Vxor, inquam sicut vitis: id est, fidelis, vtilis, suavis: & filij tui sicut nouella oliuarum: quæ perpetuo virent, & folia nullo tempore abiiciunt: sunt autem arborum folia spei symbolum. Optimè ergo Salomon: *Et filius erit spes.* D. Augustinus existimat cum oliua conferri ob pacis significationem: vt sensus sit, Filios habebis mire concordēs, pacem, & mutuam benevolentiam inter se colentes: nam fratrum discordiæ, & dissidia parentum animos valde cruciant. Septuaginta verò in hoc Salomonis loco legunt: *Filiis autem suis relinquet firmamentum pacis.* Subdit, *In circuitu mensæ tue*, tacite innuens eum parentem, qui metuit Deum, facultatum, & aliorum subsidiorum satis habiturum ad filios, quos genuerit, pro dignitate alendos. At cur inquires, timori Deitalis merces defertur: scilicet vxoris fides, & fortuna filiorum? Rationem mihi petere video ex Augustino in eum psalmum, vbi duplicem Dei timorem distinguit, *castum alium*, & alium (liceat sic dicere) *adulterum*: iuxta illud Psalm. *Timor Domini permanens in seculum seculi.* Sic ipse legit, ac de casto timore sic addit: *Quis est (inquit) iste timor castus? Pone aliquam feminã castam timentem virum, aliam pone adulteram. Casta timet, ne discedat vir, adultera ne veniat. Quid si ambo absentes sint? Ista timet ne veniat, illa ne tardet. Absens est sponsus noster, &c.* Hæc ille, quibus id conficitur, timorem castum esse animæ cuiusdam castæ beneuolam affectum, quo Deo velut sponso suo sponsa inuolat: am fidem præstat. Ad hæc Augustinus sermone 18. de Verbis Domini generosum eum timorem, quem semel castum appellari dixit, filialem appellat, vt à seruili distinguat: *Timet (inquit) seruus offendere Dominũ suum, ne iubeat eum verberari, vel in compedes mitti, in carcere includi, aut in pistrino conteri: filius verò timet, non ne damnetur, non ne puniatur, non ne crucietur: sed ne offendat gaudium paternum, ne offendat oculos amantis.* Quorsum hæc? Ergo quia homo per

110

Psal. 127  
num. 1.

August.

August.

111

August.

generosum illum Dei timorem animam suam tanquam fidelem, ac beneuolam sponsam Deo exhibet, ob meritum istius fidei obtinet à Deo, ut ipsi inuolaturæ fidei casta, & suavis sponsa contingat. Rursus quia per nobilem illum timorem homo semetipsum Deo obsequentissimum, atque gratissimum filium præbet: huius obsequij merito filios plurimos sibi quoque gratissimos, obsequentissimos, ac fortunatissimos, Deo annuente, lucratur.

XXVII. *Timor Domini fons vite, ut declinet à ruina mortis.*

112

**T**imor Domini fons vite. Hebraicè, Fons vitæ ad recedendum à laqueo mortis. Septuaginta, Præceptum Domini fons vite: facit autem declinare de laqueo mortis. Symmachus, & Theodot. ab scandalis mortis. In quibusdam etiam Græcis codicibus legitur, *Timor Domini.*

Salomon in hoc loco eadem verba de timore Dei enuntiat, quæ supra cap. 13. vers. 15. sapientis legi, aut præcepto accommodauit. Sensus autem est perillustis, *Timor Deo fons vite.* Vita scilicet, atque salus sic à timore Dei sancto fluit, sicut riuus ex fonte. Quapropter sicut obturato fonte riuus fistitur, ac deficit: sic salus, & vita sublato timore. Sic fere interpretes omnes. Cæterum vena, aut fons vitæ iuxta scripturæ phrasim perinde est, ac fons perennis, & iugis, ut iam inde supra non semel docui, atque huius loquutionis acceptiones conflaui, & exposui cap. 10. vers. 11. & cap. 13. vers. 15. quas huic sententiæ accommodare tu ipse poteris. Sensus verò germanum huius loci hunc esse puto, *Timor Domini fons vite*, id est, timor Domini ad instar fontis iugis, atque perennis obtinere, & nullo tempore intermitteri, aut deficere debet, *Ut declinet à ruina mortis.* Vel ut est in primitiuis, *Ad declinandum à laqueo, vel scandalis mortis.* Quasi dicat, quicumque omnes oppetendæ mortis occasiones, & ruinas vitare voluerit, eius in animo timor Dei tanquam fons perennis, hoc est, iugis, & indeficiens esse debet. Et quidem timorem Dei sanctum, & castum nullo tempore interrompendum, aut intermittendum docet Aug. passim: sed latissime in Psalm. 18. & serm. 114. de tempore. Vide ibi.

August.  
Psalm. 18.

113  
Gregor.

Sed quia timor Domini fons appellatur ad ruinas mortis declinandas, obseruandum est ex Greg. lib. 5. Moral. cap. 12. columbam auem suapte natura timidam, eorum, qui timent Deum, similitudinem adumbrare. Idem verò in cap. 5. Cantic. tradit, columbas iuxta riuos, & fontes morari solitas, ut rapacium auium umbra eminuscòspecta in tutum auolantes ab interitu sese vendicent. Ergo sic accipe, *Timor Domini fons est per lucidus, perennis, ac iugis*, in quem viri pij timentes Deum columbarum in morem inspicientes non modo peccata, gehennam, diabolium, & alia eiusmodi mala: sed eorum etiam umbras, & imagines à longe timent, atque cauent.

Gregor.

Si verò cum Septuaginta legas, *Præceptum Domini fons vite*, præfata columbæ similitudo, & D. Gregor. tota accommodatio quadrat. Sic enim habet, *Columbæ iuxta fluentia residere solent, ut volantium auium umbram videre possint, super quam se proicientes, ac mersantes, ungues rapacium sic effugiunt. Sic sancti viri in scriptura sancta, & præceptis Dei fraudes demonum perspicunt, & ex descriptione, quam vident, quasi ex umbra hostem agnoscunt: dumque se consiliis, & præceptis Dei ex toto*

Tom. 1.

**A** addicunt, quasi in aquam se proicientes hosti illudunt, & mortem effugiunt.

Alias denique fontis vitæ acceptiones vide supra cap. 1. 10. vers. 11. quas timori, aut præceptis Deitute facile accommodare poteris. Nam ne longus sim, de induitria missa facio.

XXVIII. *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis.*

114

**I**n multitudine, &c. Hebraicè, *Et in consummatione plebis contritio rectoris. Septuaginta, In multitudine gloria Regis, & in defectu populi contritio Principis.* Symmachus, *Et in raritate plebis, &c.*

Præceptum istud Regibus tradit Salomon, quibus suadet erga multitudinem beneuolos, beneficos, & benignos esse. Nam eorum salus robur, & imperium in fide subditorum situm est: hæc autem beneuolentia, beneficentia, & morum suauitate conciliatur, *In multitudine populi dignitas Regis*, id est, non aliter Regibus dignitatem suam, & regnum tueri licet, nisi conciliata, aucta & amplificata multitudine. Hinc nata est Platonis illa per-

Plato.

uetus sententia, *Principes non pecuniarum, sed amicorum defectu perire.* Nam in epistola 1. ad Dionysium sic habet, *Meminisse autem te volo tragicos plurimos, cum tyrannum aliquem pereuntem indicunt, huiusmodi illi voces attribuere. Hæc miser pereo nullis fultus amicis! Auri verò defectu pereuntem aliquem nullus unquam sinxit Poëtarum. Et in paucitate plebis ignominia Principis:* quia nihil est, quod principis alicuius, vel tyrannidem, vel gubernandi imperitiam magis prodat, quam cum populi paulatim ab eo deficiunt, & regnum ad paucos redigitur. Xenophon in œconomicis, *Equidem, & istud præcipuum est argumentum virtutis in Principe, si plures subditi ad ipsum libenter confluant, & in periculis una perseverant.* Contrariorum autem non est dispar ratio.

Xenoph.

Originalis, & Septuaginta habent, *Et in defectu populi contritio Principis.* Defectus autem, seu defectio non solam subditorum imminutionem, sed imbecillitatem, & infirmitatem sonat. Et quidem totum tyrannorum studium in populi defectum sub his significationibus ferri docet Arist. Polit. lib. 5. cap. 11. *Hæc tria coniecit tyrannus pro dominatione retinenda. Vnum, ut animos imminuat ciuium:*

115

**E** nemo enim parui animi contra tyrannum insurgit. secundum, ut ciues inter se dissidentes reddat: non eueritur enim tyrannus, nisi ciuium aliqui inter se fidem habeant. Quapropter, & bonos viros persequitur, quasi pestiferos, & aduersarios dominationi suæ: non solum quia non acquiescunt sub tyrannide viuere: sed etiam quia fides eis, & inter se, & ab aliis plurima adhibetur. Tertium impotentia agendi. Nemo enim sibi impossibilia aggreditur, ita neque tyrannidem tollere, si potentia desit. Itaque ad hæc tres suppositiones redigi possunt tyrannica vniuersa, partim ne confidant inter se ciues, partim ut potentia eis desit, partim ut pusillanimi efficiantur. Subdit verò Aristot. hæc eadem res tyrannidem ipsam corrumpere, & euertere, ut per se constat. Quapropter ei, qui tyrannicum imperium diu tueri, & conseruare velit, è contra suadet, ut legitimi regni (quoad fieri possit) conditiones, & partes æmuletur, *Ut enim (inquit) regni corruptionis vnus modus est, gubernationem ipsam regiam magis reducere ad tyrannidem: ita & tyrannidis conseruatio est ad regiam gubernationem magis eam referre.* Suprà verò cap. 10. idem Arist.

Aristot.

116

Suprà verò cap. 10. idem Aristot. *Suprà verò cap. 10. idem Aristot.*

V u iij

tyrannidis quasdam alias ad id spectantes proprietates attigit, *Custodia* (inquit) *Regi à ciuibus suis est: tyranno autem à peregrinis, populo suo in nulla parte confidit. Itaque arma ciuibus suis adimere, ac multitudinem populi conculcare, ac ex urbe pellere, & vacuam habitatoribus ciuitatem reddere, proprium tyrannidis est: vexare item nobilitatem, clam euertere, & palam, & in exilium mittere tanquam aduersarios & machinatores contra potentiam suam. Vnde Periandri consilium Thraſibulo datum super eminentes spicas decerpere, tanquam opportunum fuerit eminentiores ciuium de medio tollere. Hæc omnia principia sunt mutationum.* Itaque tyranni iisdem rebus, quibus suam potestatem tueri, ac defendere volūt, illam euertunt, & profligant. Optimè ergo Salomon, *In paugitate, aut defectioe populi contritio, vel euersio Principis:* quibus verbis quatuor illas præmissas rationes attigit mutandæ, aut corrupendæ potestatis, quas Aristoteles complexus est: scilicet *disidia ciuium, impotentiam, pusillanimitatem, paucitatem* Hæc enim omnia defectus ciuium, aut populi significare potest. Nam defectus, aut defectio ad numerum relata est paucitas, ad copias & opes relata est impotentia, ad animum relata est pusillanimitas, ad concordiam denique, & pacem relata, est dissidium, & bellum. Cum ergo hæc omnia in tyrannide reperiri doceat Aristoteles, Salomon quidem tacite hanc Regibus fugere suadet. Quasi dicat, fugite ô Principes tyrannidem: hæc enim tota ad defectioem populi intendit, scilicet in paucitatem, impotentiam, pusillanimitatem, & dissidium ciuium: his autem nullius imperium diu perflare potest.

117

Itaque Prouerbiū sic concinnandum est, vt prior pars posteriori omninò respondeat, *In multitudine populi dignitas Regis, &c.* Nimirum ea omnia, quæ populum augent, amplificant, roborant, fortunatum, & tranquillum reddunt, ad constabilienda, & confirmanda Regum imperia plurimum præstant: quæ verò eiusdem numerum, copias, vires, & concordiam imminuunt, societates dissolunt, imperiaque profligant. Nam multitudo in scriptura non solum numerum, sed etiam magnitudinis mensuram significare consuevit. Psalm. 30. *Quam magna multitudo ducedinis tuæ secundum multitudinem iræ suæ non quæret.* Psalm. 32. *In multitudine virtutis tuæ, & iterum, Multitudo sonitus aquarum.* Quibus in locis multitudo pro magnitudine vsurpatur. Item paucitas pro paruitate, & pauca pro paruis aliquando accipi in scriptura norunt, qui Hebraicè sciunt. Itaque Salomon eo spectasse videtur in hoc loco, vt doceat Regis, atque regni felicitatem, copias, robur, & gloriam inter se mutuo cohærere, atque inuicem diuelli non posse, atque adeo perperam agere Principes, qui subditorum suorum numerum magnis internecionibus, copiis, indictionibus veictgalium, aut denique detractis armis robur labefactant. Optime enim ille quisquis est auctor libri de regimine Principis, *Rex subditos ne examinet, ne exhauriat, ne exarmet:* sed viuos potius locupletes. & armatos gratia & beneficiis sibi deuinciat, si imperium suum perennare, & ad nepotes transmitti velit.

XXIX. *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.*

118

**Q**VI patiens est, &c. Hebraicè, *Longus naribus multus intelligentia: ac breuis spiritu exaltans stultitiam suam.* Chaldaeus, *Qui longanimis est,*

**A** multa prudentia est, & qui princeps est in spiritu suo, multiplicat stultitiam. Septuaginta, *Longanimis vir multus in prudentia: pusillanimis autem valde imprudens.*

Sunt qui putant omnes istas sententias, ad illam vsque, *Acceptus est Regi, &c.* ad Principes informandos à Salomone fuisse dictatas, quorū suspicio non displicet. Alij in vniuersum ad omnes spectare malunt: sed leuioris momenti est dissidium. Ergo succedant memoriæ, quæ suprà in hoc cap. vers. 17. diximus ad illa verba, *Impatiens operatur stultitiam:* vbi lectionem originalem expendimus, & qua ratione in naso iræ argumenta sint, disceptauimus, ex Aristotele, & aliis. Itaque de posteriori parte huius sententiæ, quia cum illa alia omnino concinit, pauca admodum ad extremum subiiciam, priorem autem trutinæ committam.

*Qui patiens est, multa gubernatur prudentia.* Hebraicè, *Longus naribus.* Eum significat, quem iracundia non corripit, aut furor: hic autem multa prudentia res suas moderatur: animus enim à furore liber sedatus, & tranquillus de rebus optime deliberat. Mentem ira perturbatam cum lacu, aut stagno contulit Plutarchus, cuius aquæ motæ, & concussæ imagines aut non reddunt, aut laceratas, & concisas referunt (apud Stobæum in sermone de ira) quia mens ad iram concitata nihil sanum, nihil cum prudentia, & sapientiâ coniunctum cogitat. Ergo ex aduerso animus ira liber ab stagno quopiam tranquillo, & lucenti non abibit, quod rerum imagines optime excipit, ac reddit. Animus enim, quem ira, vel furor non impellunt, res quidem attentius cogitat, ac de his rectius decernit, ac deliberat, *Multa gubernatur prudentia.*

Plutarch.

Stobæus.

119  
Aristot.

**D** Longus, aut latus naribus. Aristoteles, vt iam inde supra loco citato animaduerti, ex naso furoris, atque iræ signa vestigans tres quidem alias figuras obseruauit, quæ magnanimitatem, seu longanimitatem præse ferunt, *Qui (inquit) nasum extremum acutum habent, & oblongum, difficulter irascibiles sunt, referuntur ad canes: qui nasum habent rotundum, & obtusum, seu latum, magnanimi sunt, referuntur ad leones: qui aquilinum habent articulatam fronte, magnanimi item sunt, referuntur ad aquilam.* Ergo in hoc loco latus, aut longus naribus dicitur longanimis per synecdochen, sumpto signo pro re significata: ille scilicet, qui canes, leones, & aquilas magnanimitate, & iræ moderatione imitatur. Hæc enim animantia, quo robustiora, & audaciora sunt, eo difficilius ad iram concitantur. Quapropter si hic de Regum, Principumque lenitate præcipue sermo sit (vt initio animaduerti) satis apte illis præscribitur, vt qui hæc animantia potestate, & dominatione referunt. (Leo enim animalium Rex esse dicitur, & Aquila auium regina: item canis præstantissimi Principis simulachrum gerit, quod multis suadet Plato in secundo, ac tertio dialogo de Republica) eadem etiam morum lenitate, longanimitate, & moderatione iræ imitari contendant. Et quidem ille optime iram moderatur, ac regit qui tardus est ad iram: quod si aliquando iram concipit, illam facile deponit. Hæc sane tribus illis animantibus valde propria sunt, quæ tardioris iræ esse docet Aristoteles supra. Si tamen aliquando in iram aguntur, facili negotio in iisdem furor defæuit. Constat enim leonem tunc, cum maxime furit, si præda ad pedes illius sese abiiciat, in mansuetudinem conuerti, vt scribit Ouidius.

*Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.* Canis item quantumuis ferox in hominem irruat, eo humi confidente, sæuitiam deponit. Sic Plinius lib. 8. cap. 40. Aquilam etiam Aristot. numerat inter

120

Plinius.  
Aristot.

as aues, quæ facile cicurantur, ac mansuescunt. Merito ergo Reges, ac Principes, quorum ira præceps esse solet, qui etiam semel in furorem acti difficiliter sedari, & mansuetudini reddi consueverunt, hæc animalia moribus suis adumbrare iubentur, dum narium longitudo, & latitudo, id est, longanimitas, iracundiæ moderatio eisdem præscribitur ne subito, ac temere irascantur: et si quando animum iracundia subiicit, ocyus deferueat: hæc enim moderatio Regem imprimis decet, quia ex ea pendet prudentia.

121

*Qui enim patiens est, multa gubernatur prudentia.* Obserua ea omnino animantia, quæ nos longanimitatem, atque iræ moderationem edocent, prudentiæ quoque partes omnes coniuncta adumbrare. Lege Valerium in cane, qui tradit in veterum monumentis prudentiam tricipitem effingi *capite canino, leonino, & lupino*, alias *aquilino*. Nam cum prudentia tres omnino temporis differentias complectatur (eius enim est præteritorum meminisse, & ex his præsentia statueret, & serio peragere, futura item à longe præuidere) canis equidem caput præteritorum memoriam adumbrat. Nam ut tradit Aristot. & Plinius locis citatis, canis reliqua animantia memoriæ vi facile superat. Leonis caput præsentium sedulam cogitationem, & executionem significat: est quippe feruidum, atque ad operas suas strenuum animal. Aquilæ caput futurorum providentiam innuit: nam oculorum acie, qua reliquas antecellit aues, minima quæque eminus prospicit. Constat ergo ea animantia, quæ iracundiæ moderandæ exempla lenitate, & iucundis moribus Regibus præbent, eadem prudentiæ ad res gerendas modum omnem, rationemque præscribere. Subdit.

Aristot.  
Plinius.

122

*Qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam,* id est, suam exaggerat, ostentatque dementiam, & insaniam. Quantam autem dementiam, & insaniam furor adducat, supra vers. 17. quibusdam Patrum testimoniis demonstraui. His ergo, quæ ibi adscripti addendus est D. Gregorius Magnus lib. 5. Moral. cap. 30. *Si ergo ira (inquit) quietem mentis subtrahit, suam sancto spiritui habitationem claudit, cuius recessione animus vacuum ad apertam mox insaniam ducitur, & usque ad superficiem ab intimo cogitationum fundamento dissipatur.* Et post pauca, *In quo itaque iste ab arreptitis longe est, qui actionis suæ conscius non est? Unde plerumque fit, ut usque ad manus ira profiliat, & quo ratio longius recedit, audacior exurgat, seque ipsum animus retinere non valeat, quia factus est potestatis aliena, & o furor! membra foris in ictibus exercet, quo intus ipsam membrorum dominam mentem captiuam tenet.* Quomodo autem ratio ira insurgente se gerat, & nullum prudentiæ locum faciat, pereleganter docuit Aristot. Ethicor. lib. 7. cap. 6. *Ira (inquit) aliqua ex parte, sed non perfecte rationem audire videtur, perinde ac veloces ministri, qui quidem antea quam totum id audierint, quod dicitur, excurrunt, proinde in agendo oberrant. Canes etiam antequam considerent, si sit amicus, si tantum pulsauerit ostium, latrant: sic & ira propter caliditatem, celeritatemque naturæ, audita quidem ratione, non præcepto autem audito, ad ipsam properat ultionem.* Hæc ille.

Aristot.

XXX. *Vita carniū sanitas cordis: putredo ostium inuidia.*

125

*Vita carniū, &c.* Hebraicè, *Vita carniū cor sanum.* Alij, *Cor sanans.* Licet etiam conuertere, *Cor leue.* Chaldaus, *Qui dinidit iram cor-*

*dis sui, medicina est carni eius.* Septuaginta, *Mansuetus vir cordis est medicus.*

*Putredo ostium inuidia.* Hebræa non dissonant. Chaldaus, *Et sicut putredo in ligno fortis est: sic & in ostibus inuidia.* Septuaginta, *Tinea autem ostium cor sensituum.* Aquila, Symmachus, & Theodor. *zelus, seu inuidia, ut vulgata.*

D. Gregor. non semel incidit in hunc locum, scilicet lib. 5. Moral. cap. vlt. & 3. parte Pastoralis curæ admonitione 6. cumque de liuore, & inuidia, ut sonat, capendum esse putet, sic locum edisserit, *Vita carniū sanitas cordis. Quia si mentis innocentia custoditur, etiam quæ foris infirma sunt, roborantur. Et putredo ostium inuidia, quia per liuoris vitium ante Dei oculos pereunt etiam fortia facta virtutum. Ossa quippe per inuidiam putrescere est quædam etiam robusta deperire.* Itaque carnes, & ossa metaphoricè exponit Gregorius, & ad animi virtutes, & motus refert.

D. Greg.

Caictanus, Iansenius, Rodolphus, & alij, non ita, sed ad corporis valetudinem pertinere dicunt, ut sensus sit, *Vita carniū sanitas cordis.* Cor nimirum, quod liuor, ceu morbus; aut vlcus interius non afficit, sanitatem, & valetudinem homini adducit, vegetum, atque validum corpus reddit, *Putredo autem ostium inuidia*, id est, inuidentiæ lues, quæ cor interius arrodit, & consumit, corpus etiam exterit, & labefactat. Obseruat autem Rodolph. emphasim verborum. Cordi sano, & à liuore immuni id tribuitur, ut carnes, quæ tenerimæ, ac debilissime sunt, & facilius laborant, tueatur, & confirmet: liuori autem id adscribitur, ut ossa, quæ validissima, ac robustissima sunt, exeret, & corrumpat: sic enim vtriusque affectionis vis significantius declaratur. Et quidem inuidiæ lues ab animo in corpus transire exploratissimum est. Greg. loco citato, *Cum denitum indicant, quam grauius animus vesania instigat: color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigescent: fit in cogitatione rabies, & in dentibus stridor, &c.* Et quamuis per omne vitium, quod perpetratur, antiqui hostis virus infunditur: in hac tamen nequitia tota sua viscera serpens concutit, & imprimenda malitia pestem vomit, id est, euocat ab imo corde virulentam illam inuidiæ faniem, qua ipse ab initio conditi hominis laborauit (nam ut ait Sapiens, *Inuidia diaboli mors introiit in orbem terrarum*) ut illam homini aspergat, & simili tabe conficiat. Basiliius in hom. de inuidia, *Nam & ipso fatentur ore, hoc vitium inuidi aspectus est illis aridus, gena subtristis, & caua, supercilium demissum, &c.* Sed tamen hanc Salomonis sententiam spirant verba Virgilij in Poëmate de liuore.

114

Basiliius.

Virgil.

*Liuor tabificum malis venenum*

*Intactis vorat ostibus medullas,*

*Et totum bibit artubus cruorem.*

*Quid quisque furit, inuidet que sorti,*

*Ut debet, sibi pœna semper ipse est.*

*Suffirat, gemit, incutitque dentes,*

*Sudat frigidus intuens quod odit.*

*Pallor terribilis genas colorat,*

*Infelix macies renudat ossa,*

*Non lux, non cibus suavis illi, &c.*

Ouidius autem ipsammet inuidentiæ effingens Ouidius, lib. 2. Metamor. sic addit.

*Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,*

*Nisi quam recta acies, liuent rubigine dentes,*

*Pectora felle vident, lingua est suffusa veneno,*

*Risus abest, &c.*

Hæc sane videtur literalis sententia: tamen licet quibusdam aliis modis sententiam istam illustrare, *Sanitas cordis.* Hispan. *Sanas emrañas*, scilicet

benevolentia, & charitas ab omni liuore immunis est, *vita carnis*, id est, homines (liceat sic dicere) viuos efficit: & velut membra viua corpori illi coaptat, cuius caput Christus est, *Putredo autem*, seu *corruptio ossium inuidia*, id est, inuidia homines corrumpit, & tanquam membra corrupta, & emortua ab illo corpore abscindit. Audi Augustinum (si tamen is est) in ferm. 17. de diuersis, *secus ergo dicere coeperam, cognoscant omnes inuidi, qui de aliorum tribulationibus gaudent, quia membra sunt putrefacta, & abscissa, & emortua, & ideo non habent sensum: & cum discedunt ab aliis membris non sentiunt, quia sine sensu sunt. Sensus noster (fratres) una fides est, & una charitas, una sanitas est, teneamus fidem, tanquam sensum, teneamus charitatem tanquam sanitatem: & quamuis diuersa membra diuersa munera habeant, tamen unitate charitatis teneantur, ut mereantur ire post caput. Hæc ille.*

125

Rursus aliqui, vt supra obseruauimus, locum istum sic conuertunt, *Vita carnis cor sanans*, aut *cor medicum actiue*. Rodolphus autem sic exponit: cor, seu ratio, quæ medetur morbidis affectionibus, quas appetitus contrahit, vitam, & salutem homini adducit. Elegans comparatio medici, atque rationis, quæ appetitum morbidum adhibitis medicamentis sanat. Occurrit Chryostomus hom. 21. in Matth. *Quemadmodum igitur si medicum cuius ad aliorum aegritudines depellendas sanitas necessaria est, ipsum in aegritudinem mutas, & in de. ur. ato cubiculo, lectuloque argenteo iacere precipias, nihil proficiet omnino languentibus: ita etiam si mentem, & rationem, quam reliquis vitis mederi oportet, chesiuo infirmam feceris aspidere, totum profusum hominem laceris.* Auaros alloquitur, in quibus mens infirma tota in diuitiis iacet: atque aded medico iacente, appetitus innumeris morbis scater. Sed quamuis ratio erga omnes appetitiones nostræ inordinatos motus medici munus gerat: sed præcipue liuoris, atque inuidiæ, de qua hic sermo, medicus existit optimus. Basilius in homilia de inuidia morbi istius perniciem exaggerans sic ait, *Hæc omnia inuidi ferunt animum: cumque mutire nihil audeat, stimulat gaudium, & secum tacite rumpitur, cor am hilaritatem præfert, intus vero ab inuidia malo proditur: morbum interrogatus manifestare, seque inuidum accusare omnino veretur, atque ex his nihil omnino retegere volens morbum in imo cordis recessu eius arrodentem, & absumentem viscera mæstus retinet. Igitur talis, nec medicum mali huius, neque medicinam aptam inuenire potest, quamquam curandorum agrorum tot referti sint libri. Huius autem morbi, cui medicum, ac medelam inuenire tam difficile esse dixit, rationem, & intellectum medicum futurum esse paulò post affirmat: dum nihil rerum humanarum magnum esse æstimatione sua decernit, atque aded nec dignum inuidia. Nemo enim inuidet felicitati illius, quam penitus contemnit, ac despicit.*

Chryost.

Basilius.

126

Hic vero occurrit aliorum lectio, qui locum istum sic conuertunt, *Vita carnis cor leue*, id est, quod nulla grauat, onerat-ve alienæ felicitatis tristitia. Vel aliter, *cor leue*, dici potest apposite ad ea, quæ diximus, quod res humanas, & caducas despectui ducit: quod scilicet supra terrenarum rerum pondus, quasi leuioribus actum pennis sese leuat. Cor, inquam, illud, quod res humanas, quarum æstimatione grauari solet, nihil æstimat: hoc certè leue est, atque aded ab omni liuore, & inuidia immune Basilius ubi supra, *Quid ergo faciendum, ut hanc animi pestem inuidiam ab initio minime patiamur, aut ab ea liberemur? Primum quidem, ut nihil verum humanarum magnum, aut supra naturam æsti-*

Basilius.

memus, non opes, non gloriam, &c. Vel *cor leue*, dicitur, quod velut elementum quoddam leuius omnibus aliis caducis rebus superferitur, atque innatat. Audi eundem Basilius infra, *Omnino autem, qui res humanas rationi subiecerit, & ad veram pulchritudinem, laudemque se conuerterit, multum affuevit ab eo, ut in rebus humanis, quemquam putet esse felicem, nec emulandum & qui ita fuerit animatus, ut nihil vsquam humanum admiretur, huic proculdubio dominari inuidia nullo modo poterit.* Item D. Greg. in eo lib. 5. Moral. cap. vlt. circa finem, eandem sententiam omnino tradit.

Basilius.

D. Greg.

*Putredo ossium inuidia.* Hoc significauit Poëta cum dixit.

*In actis vorat ossibus medullas.*

id est, medullas ossium exhaurit. In superiori carmine animaduerti quosdam interpretes in ea esse sententiam, vt existiment Salomonem his verbis Principes affari, ac præpositos quos ab omni inuidia, ac liuore immunes esse imprimis decet: nam vt ait Iob, *Paruulum occidit inuidia.* Quapropter à viris magnis longe abesse debet. Non abit ab hac opinione Hugo Card. qui locum istum sic edisserit, *Vita carnis sanitas cordis. Cordis nomine Prælati denotatur, quia ab ipso spiritus vita in alios, veluti in cognata membra effluit: tunc cum sanus, & incolumis est. Itaque sensus est. Præpositi, aut prælati sani, & incorrupti mores, vitam, & incolumitatem subditis afferunt, Putredo ossium inuidia.* Hæc posteriora verba secundum præmissam Hugonis interpretationem sic expendo. Vtique omnium medicorum testimonio ratum est ossium medullas à cerebro regi, atque irrigari, cuius defluxus per spinam dorsu delapsus ad omnia denique ossa permeati. Quapropter cerebro deficiente, aut exhausto, ossium etiam medullæ exhauriuntur. Et quidem inde fit, vt luna decrescendo medullis ossa magna ex parte euacuentur: nam cum luna cerebrum moderetur (hæc enim pars illius ditioni subiacet) in augmento quidem lunæ cerebri humida natura augetur: in decremento autem deficit, & ad ossa irriganda satis humoris non suppeditat. Ad rem. Nonne Princeps, aut Præfectus Reipublicæ caput, ac cerebrum est? Ita quidem. Hoc igitur capite, ac cerebro ex inuidia deficiente, reliqua Reipublicæ ossa, (id est, subditi) medullis vacuata arent, & infirmantur, *Putredo ossium inuidia.*

127

Iob cap. 5. num. 2.

Et quidem nihil est, quod Principum, ac præpositorum cerebrum (vt ita dicam, magis exhauriat, quam inuidia, & liuor, cum forte eorum animos cepit. Hinc est illud Senecæ in libro de Clementia, *Principibus quidem inuideri, & inuidere cognata mala sunt* (nimirum inuidet ipsi potentioribus, & ab his, qui minus possunt, ipsi inuidentur) *sed inuidere maius est malum, inuideri enim virtutis est, inuidere infirmitatis, & insaniam.* Sane potestas, & imperium cum luna non inepte componitur: assiduis enim mutationibus crescit, atque decrescit. Ergo quædam Reipublicæ capita infirma ita huic lunæ potestati, & imperio subiacent, vt ea crescente valeant, & firma sint: ea vero decrescendo laborent, & velut cerebro exhausto ad insaniam, & dementia compellantur, scilicet ob inuidiam: quia alios sibi potestate, & imperio superiores esse ægrè ferunt, *inuidere enim in Principibus, infirmitatis est, & insaniam.* Ergo cum ad eum modum capita, id est, Principes, ac præfecti exhauriuntur, reliqua ossa, & valida reipublicæ membra veluti medullis vacuata deficient, quia Principum inuidiæ, & his, quæ ex inuidia proficiuntur, affectionibus inferuire coguntur. Hinc bella, similitates, & alia, quæ populos maximè diuexant.

*Putredo ossium inuidia.* Et quidem nihil est, quod Principum, ac præpositorum cerebrum (vt ita dicam, magis exhauriat, quam inuidia, & liuor, cum forte eorum animos cepit. Hinc est illud Senecæ in libro de Clementia, *Principibus quidem inuideri, & inuidere cognata mala sunt* (nimirum inuidet ipsi potentioribus, & ab his, qui minus possunt, ipsi inuidentur) *sed inuidere maius est malum, inuideri enim virtutis est, inuidere infirmitatis, & insaniam.* Sane potestas, & imperium cum luna non inepte componitur: assiduis enim mutationibus crescit, atque decrescit. Ergo quædam Reipublicæ capita infirma ita huic lunæ potestati, & imperio subiacent, vt ea crescente valeant, & firma sint: ea vero decrescendo laborent, & velut cerebro exhausto ad insaniam, & dementia compellantur, scilicet ob inuidiam: quia alios sibi potestate, & imperio superiores esse ægrè ferunt, *inuidere enim in Principibus, infirmitatis est, & insaniam.* Ergo cum ad eum modum capita, id est, Principes, ac præfecti exhauriuntur, reliqua ossa, & valida reipublicæ membra veluti medullis vacuata deficient, quia Principum inuidiæ, & his, quæ ex inuidia proficiuntur, affectionibus inferuire coguntur. Hinc bella, similitates, & alia, quæ populos maximè diuexant.

Seneca.

128



Sed tamen hæc minora sunt.

129

Septuaginta, & Chaldaeus locum istum non de liuore, & inuidia, sed de ira, & mansuetudine accepisse videntur, illi enim sic habent, *Mansuetus vir cordis est medicus, qui diuidit iram, cordis sui medicina est.* Itaque sensus est, qui aduersus iræ morbum mansuetudinem adhibet, cordi suo efficacissime, ac saluberrime medetur: nam grauissimum omnium morbum, id est, iram ab illo depellit. Ira quidem virus est, atque venenum, quod velocissime cor petit, aut certe acutus morbus est, cui quam præsentissime subuenire opus est, ne ad cor delapsus interitum afferat. Illud namque inter medicos exploratum est morbis illis ocysus occurrendum esse, qui cor petunt. Hinc est illud Celsi, *Venenata, & acuta inducias non patiuntur.* Nam veneni, & acuti morbi ad cor velox occursum est. Ait ergo Salomon, *Mansuetus cordis est medicus, qui diuidit iram, cordis sui medicina est,* id est, qui iram differt, sibi ipsi saluberrimam medicinam imponit, cordis (inquam) medicus est: nam mansuetudo morbum illum, qui præ cæteris cor lædit, depellere solet. Quod per comparationem capiendum est. Quasi dicat, sicut medicus cordis à veneno, vel acuto morbo laboranti præsentissime, atque ocysissime subuenit, quia veneni, & acuti morbi celerimus ad cor lapsus est: sic mansuetus iræ subeunti velocissime succurrit, quæ omni veneno, & acuto morbo celerius cor peruadit. Chrysoftom. in acta Apostolorum hom. 6. *Nihil profecto (inquit) ira deterius, & intempestiuo furore. Ira non fert longam moram, venenum est, acutus morbus est. Heu quam molestum est, cum qui breui tempore, & non opere, & unico verbo nobis aeterna bona aufert, & innumeros labores largitur! Ideo oro vos, ut omnia faciatis, quo frantur hæc bestia.*

Celsus.

Chrysoft.

130

Quod si illud, *Mansuetus vir cordis est medicus,* ad alios referas, sensus erit: Vir mansuetudine præditus aliorum cordibus medetur, & morbos animorum sanat. Adest etiam nobis Chrysoft. in præfata hom. *Non ita (inquit) statim medicus febriç tantem hominem à febribus liberauit sua curatione, ut longanimis vir alium iracundum, & præ ira flagrantem apprehensum refrigerauit per spiritum priorum sermonum.*

Chrysoft.

Chrysoft.

Cæterum verba Septuaginta & Chaldaeus ad vulgatæ nostræ sensum allici posse credo, ut de liuore omnibus sermo sit. Itaque sic interpretor, *Vir mansuetus cordis est medicus:* cordis inquam sui, quia ab illo inuidentiæ morbum mansuetudine depellit. Est enim mansuetudo inuidiæ optimum amuletum. Accedat iterum Chrysoft. in hom. illa de mansuetudine, cuius sæpe alias meminimus, *Mansueti quidem (inquit) inuidiam pestimam omnium affectionem curant: imo potius grauem illum morbum in suam animam nunquam admittit vir mansuetus: sed si viderit fratres honoratos, congaudet, & gratulatur, aliorum gloriam suam putans, & amicorum omnia communia censens in bonis quidem congaudet: in tristibus autem condoleat.* Hæc ille. Et quidem inuidia (ut alibi idem Chrysoft. docet) sepius ab ira proficiscitur, semper verò iram parit, ideoque iram, & inuidiam vno, & eodem nomine apud Græcos censerit affirmat. Nam *Zelos* iram simul & inuidiam sonat, ex quo fit, ut mansuetudo, & inuidia coire non possint.

131

Posteriorem partem sic extulerunt Septuaginta, *Tinea autem osium cor sensitium,* id est, inuidium, quod aliena felicitate tristatur, & mæret, quod satis emphatice appellatur *sensitium,* id est, ad sentiendum, & dolorem percipiendum imbecille: quod nimirum facile dolore, & mærore tangitur.

**A** Eiusmodi enim est cor liuidum, imo ob eam causam inuidia liuor dicitur, quia sicut membrum liuidum leuiter tactum acerbius dolet, sic etiam inuidi animus leuissimas ob causas mæret, & acerbissime cruciatur. Quid enim leuius attingere potest hominem, quam aliena fortuna, & felicitas, quæ omnino ad illum non pertinet? vulgò *no letoca.* Et tamen hæc cruciat, & lauciat animum illius liuidum, & sensitium. Quod si ad iram referas, idem sensus erit, cor sensitium appellabitur iracundum, quod scilicet ob leuiore causas ad iram concitatur. Huiusmodi cor sensitium describit Seneca lib. de *Seneca.*

**B** Ira cap. 10. *Nam ut ulcera ad leuem tactum, deinde etiam ad suspensionem tacta condoleant, ita animus affectus minimis effunditur. Adeo ut quosdam salutatio, epistola, oratio, & interrogantia ad licentia euocent. Nunquam sine querela agra tanguntur. Et rursus in lib. 2. de Ira cap. 25. Illud etiam (inquit) sequitur, ut minimis rebus, ac sordidissimis exacerbemur. Parum agilis est puer, aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatur thorax, aut mensa negligentius posita, ad ista concitari insania est. Ut agra, & infelicitis valetudinis est, quem lenis aura contraxit, affecti oculi, quos candida vestis obturbat, dissolutus delictis, cuius lapsus alieno labore condoluit. Minderidem aiunt fuisse ex Sybaritarum ciuitate, qui cum vidisset sodientem, & altius rastrum alleuantem, lapsus se fieri quæstus, verum illud opus in conspectu suo facere, bilem habere sapius quæstus est, quod foliis rose duplicatis incubuisset. Vbi animum simul, & corpus, voluptates corrumpere, nil tolerabile videtur, non quia dura, sed quia molles patimur. Quid enim est cur tussis alicuius, aut sternutamentum, aut musca parum curiose fugata nos in iracundiam agat, aut obuersatus calix, aut clavis negligentem manibus serui elapsa? Feret iste æquo animo ciuile conuictum, cuius aures tracti subfelli stridor offendit. Hæc ille. Et iterum, cap. 29. lib. 3. sic ait, *Quod accidere vides in animalibus muris, idem in hominibus stolidis deprehendes, friuolis turbamur, & inanibus. Taurum color rubicundus excitat, ad umbram aspis exurgit, ursos, leones que mappam proritat, omnia, quæ natura fera, & rabida sunt consternantur ad minima. Idem stolidis ingenis eueniet, rerum suspitione feruntur, adeo ut iniurias vocent modica beneficia.**

**E**

*XXXI. Qui calumniatur egentem, exprobrat factorem suo: honorat autem eum, qui miseretur pauperis.*

**Q**ui calumniatur, &c. Hebræa non dissonant. Chaldaeus, *Qui opprimit pauperem, opprobrium facit anime sue: & qui miseretur iniuriam patientis, honorat se,* scilicet ob communionem naturæ, vel propter fortunæ commutationem, per quam ipse ad similes angustias venire potest. Septuaginta, *Qui calumpniatur pauperem, iruit eum, qui fecit illum, qui autem honorat illum, miseretur inopis.* Diuus Hieronymus legit, *Lacessit factorem eius.* Symmachus, *exprobrat,* ut vulgata. Theodotion *blasphematur,* Sanctus Paulinus infra, *exacerbat.* *Honorat autem eum, &c.* Cum vulgata nostra concinit Symmachus.

132

Sententia quidem satis est iuculenta, & illustri, *Qui calumpniatur.* Hebræicè *phry Ghošek* calumpniās, vel opprimens. Vtrumque sonat. Noster sequutus est Septuaginta, quorum lectionem merito aliis præferendam putauit: respondet enim melius illi verbo *exprobrat.* Itaque ait, qui calumpniam pauperi imponit, atque paupertatis nomine illum minoris putandum existimat, probro & contumelia non

leui afficit conditorem. At inquit, quid probri est isthæc? Caietanus hanc iniuriam in eo ponit: quod perinde fiat pauperi calumnia, quasi non sit Deo peculiaris cura illius tuendi: cum tamen scriptum sit, *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor*. Sicut enim Regi iniurius imprimis foret, qui eum, quem ipse in suam recepit fidem, opprimeret, aut vexaret: ita etiam Deo iniuriam irrogat, qui pauperem lædit, quem suæ curæ, ac fidei specialiter commissum ubique clamat.

Secundò, Iansenius hanc contumeliam in eo constituit, quod Deus non solum ratione naturæ: sed etiam ratione conditionis, hoc est, ratione paupertatis se pauperis factorem esse venditat, Ecclesiast. 11. *Paupertas, & honestas à Deo sunt*. Et rursus, *Diues, & pauper obuauerunt sibi, & utriusque operator est Dominus*. Mire ergo artifici iniurius est, qui opus id vituperat, & probro ducit, quod ipse suum esse imprimis iactat, & quo magis illud omnibus commendaret, suum eisdem nomen adscripsit, cum dixit, *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*.

Tertiò, sincerius idem exponit, *Qui calumniatur egentem, &c.* Quia quidquid bene, vel male pauperi impenditur, id sibi factum imputat Christus, cum ait, *Quod uni ex minimis, &c.* quod non modo de beneficiis, ac meritis: sed etiam de iniuriis capiendum esse videtur. Sic etiam interpretatur Diuus Paulinus epistol. 32. ubi sic ait, *Qui enim spernit pauperem, exacerbat eum, qui fecit illum, id est, communem omnium creatorem: qui sicut refectione inopum gaudet, ita defensione tristatur*.

Quartò, Lyra sic explicat. Eo quidem diues pauperem opprimens Deo iniurius est, quia ei, qui singulari quadam ratione ad imaginem illius factus est, conuiciatur: quæ autem imagini irrogatur iniuria, ad exemplar redeat necesse est. Et quidem nulla (vt dicam etiam quod sentio) in terris expressior Dei imago est, quam mendicus. Saluianus Episc. Massil. pauperem describit his verbis, *De illis, qui expedit ab omnibus, vel pene ab omnibus sarcinis saluatoris viam sequuntur, & Dominum Iesum Christum non sanctitate solum, sed etiam paupertate imitantur, nihil est, quod dici possit, nisi illud tantum, quod etiam Propheta dixit. Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, hos enim aliter, quam imitatores Christi honoro, non aliter, quam Dei imagines colo, non aliter, quam membra Christi suscipio*. Appende verba extrema, *Non aliter, quam imitatores Christi honoro, &c.* Hoc sanè comperitum est, pauperes Christi Domini expressas ad viuum imagines esse, qui cum diues esset, ad extremam paupertatem sese abiecit, *Pauperem matrem, pauperem censum, & omnia denique paupera eligens*: vt verba Ephelina Synodi vsurpem. Rursus addit, *Non aliter, quam Dei imagines colo*. Licet omnes homines ad imaginem Dei conditi sint: tamen nescio qua ratione pauper expresse magis, atque germane illum representat, & adumbrat. Clemens Alexand. lib. 2. Stromat. pauperibus accommodat illa Psaltes verba, *Quoniam Diu fortes terra vehementer eleuati sunt*: ac rursus in exhortatoria ad gentes, ad pauperes inuertit illa, *Ego dixi Diu estis, & sily excelsi omnes*. Apud pingendi peritos certò liquet tunc pictorem suæ artis vim melius ostendere, cum figuram aliquam nudam expingit, quam cum illam vestibus pretiosissimis tectam delineat. Nam nudi corporis singula membra, membrorumque particulas penicillo perfectè exprimere longe difficilius est, quam gemmas, aurum, & pretiosas vestes superinducere. Ergo Deus Optimus Maximus (liceat sic dicere.) Idearum suarum præstantiam,

& expingendarum imaginum peritiam in paupere nudo magis, quam in diuite gemmatis, & auratis integumentis vestito ostentauit. Nec abit ab hac meditatione Clemens Alexandrinus in eo loco citato, ubi pauperem nudam Dei imaginem appellauit, pauperem autem expressius Deum referre in eo quidem consistit: quia plures Dei perfectiones adumbrat. Primò Diuus Chrysostomus homilia *Chrysof.* decima-octaua in epistolam ad Hebræos, pauperem, qui sponte paupertatem eligit, eam Dei sufficientiam imitari affirmat, per quam sibi ipse satis est, & nullo indiget. Nam de eiusmodi mendico Salomon supra dicit, *Melior est pauper sufficiens sibi*: ubi pauper eo sufficientis sibi nomine censetur, quod Deus inter præcipua sua nomina referri voluit. Nam *Saddai* nomen, cui post nomen *Iehoua* secundas præbent Hebræi, sibi sufficientem sonat. Dicitur autem sibi sufficiens pauper conditione sua contentus, quia nullis indiget. *Chrysof.* Eum, qui sua sponte paupertatem elegit, ipso Rege ditio-  
riorem esse pronuncio. Nam ille quidem eget multis, & de multis timet, hic autem omnia habet affatim, & de nullo timet, necdum de tam multis, hic Dei quodammodo sufficientiam imitatur. Rursus quemadmodum Deus, quia sibi sufficiens est, à nullo dependet, sic etiam pauper sua sorte contentus, vt ibidem docet Chrysostomus. Item in homilia de paupertate, pauperem, qui nullam domum, aut larem habet, mundanum appellat, quia illi totus mundus pro loco est. Quapropter Dei immensitatem quodammodo æmulari videtur. Mirro alias Dei perfectiones, quas pauper sua conditione, ac moribus exprimit, eas enim cuiuslibet persequi integrum erit.

Redeo ad verba Saluiani, qui locum supra adscriptum ad hunc modum absoluit, *Non aliter, Saluian.* quam membra Christi pauperos suspicio, hinc enim ratio

Quinta effluit, ob quam ille, qui pauperem contemnit, Deo contumeliosus est, scilicet quia præstantissimum illius membrum, & cum suo capite melius cohærens afficit contumelia. Hanc rationem attingit D. August. serm. 110. de tempore, qui postquam paupertatem Christi Domini multis commendauit, sic demum addit, *Ecce caput pauperum, quos ego requiro, huius capitis membrum est verus pauper ob eam tantummodo causam venerabilis*.

Itaque August. pauperem obsequio, & honore dignum propterea esse dicit: quia Christo velut capiti suo cohærens membrum coniunctus est. At inquit, diuites iusti etiam Christi membra sunt? Non inficior, sed (liceat dicere) membra sunt cum suo capite parum cohærentia. Succedant memoria illa Bernardi scripta contra diuites satis trita, qui delicatum membrum capiti spinato non ita bene aptare dixit. Ergo pauperes membra sunt cum capite suo etiam paupere aptissime congruentia, atque adeo maiori digna obsequio, & honore.

Sextam rationem tradit item August. qui id humanæ affirmationi gratis dans, scilicet pauperes ignobilissima esse Christi membra argumèto Pauli euincit, vel ob eam causam ea digniori obsequio esse colenda. 1. Cor. 12. *Sed multo magis, quia videtur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt, & que putamus ignobiliora membra esse corporis, his abundantiorum honorem circumdamus, & que inhonesta sunt nostra abundantiorum honestatem habent, ac demum absoluit, Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro*. Quæ verba de pauperibus capienda esse docet etiam Chryso-  
stomus.

Septimam

Eccles. 11.  
num. 34.  
Prou. 22.  
num. 2.

133

D. Paul.

Saluian.

Conc. Eph.

134

Cl. Alex.

135

136

August.

Bernard.

137

August.

1. Cor. c. 12.  
num. 23.

Chrysof.

*August.* Septimam aliam rationem petere licet ex his, quæ idem August. in alio serm. docet, scilicet Christum Dominum in suis pauperibus egerè, eluxite, & finire, *Tantus* (inquit ille) *paupertatis amor*, ut iam nunc cum in se ipso egerè non potest, in suis penuriam pati gaudeat. Ergo si Christus Dominus in paupere suo eget, & penuriam sustinet, quicumque pauperi iniuriam infert, quia pauper est, Christum sane iniurius petit, atque Christum contemnit.

*138 August.* Octauam denique rationem offert idem August. de sermone Domini in monte, lib. 2. cap. 4. qui ubi Dei erga nos beneuolentiam pluribus extulit, qui se Patrem nostrum appellari iussit, & ab ea adoptione pauperissimos, & ignobilissimos quosque non exclusit, sic denique absoluit, *Admonentur hic diuites, vel genere nobiles secundum seculum, cum Christiani facti fuerint, non superbire aduersus pauperes, & ignobiles, quoniam simul dicunt Pater noster, quod non possunt vere, ac pie dicere, nisi fratres se esse cognoscant.* Adhæc si in adoptione diuina aliquid nobilius, & illustrius excogitare licet, profecto pauperes generosissimi Dei filij sunt, ac (si licet dicere) fratres nostri natu maiores, primogeniti, & hæredes, quibus propterea maiorem honorem diuites, quasi natu minores filij deferre debent, ne parentis sui lædant honorem, & violent gratiam. D. Iacobus in sua Can. cap. 2. *Audite fratres mei dilectissimi. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Chrysostr. autem non semel Dei primogenitos filios, & hæredes regni pauperes appellat, præsertim ad illa verba, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* Matth. 5. quibus verbis totum regnum pauperibus, quasi primogenitis adiudicatur. Nam diuites eius regni id tantum capiunt, quod à pauperibus elemosynis, ac largitionibus coëmunt.

*139* Hæc cum ita sint, merito Salomon ait, *Qui calumniatur egenam, exprobrat factori eius, vel irritat, ut legunt Septuaginta vel exacerbatur, ut conuertit Paulinus, vel blasphematur, ut transfert Theodotion, vel denique lacebit, ut interpretatur Hieronymus, hæc enim omnes lectiones recipit verbum originale, quæ in unum conflata illatæ iniuriæ magnitudinem extollunt, Exprobrat (inquit) factori eius, ad hanc sententiam mihi alluisse videtur Gregorius Nazianz. in Poëmate de comparatione vitarum.*

*Nazianz.* *Contemnis inopes, ut fatos Deo altero? Figmentum, at unum agnosco, & idem cunctis Fere tribunal?*

Hic autem in pauperum gratiam, ne se contemni, & despici à diuitibus ægre ferant, aliquid subuere libet ex Chrysostr. qui homil. 75. in Ioannem, *Ridiculus, inquit, est pauper, at non apud homines, sed apud ratione carentes, & propterea curare non oportet. Neque enim si asini in nos irruant, & inclinant graculi, sapientes clamores nos moueant. Sunt enim graculis haud dissimiles, & asinis peiores, qui præsentia admirantur.* Ac postea sic atexit, *Nam si terrenus Rex te laudet, nihil vulgi sermonibus noueris, etiamsi omnes irrideant. Cum autem omnium Dominus te laudet, de cantharidum, & culicum laudibus cogitas? Tales enim hi, si cum Deo comparentur, vel potius neque tales erunt, sed longe viliores.* Iterum autem homil. 2. in Epist. ad Hebræos, *Oportet (inquit) pauperes ob paupertatem efferrì, & sibi placere, si sibi placere oportet, at pauper, inquit, est despicibilis. Non sanè ille, sed illi magis, qui eum despiciunt. Cur enim ego eos non despiciam, qui nesciunt admirari ea, quæ oportet? Subdit autem per elegantem similitudinem, Si sit pictor quispian*

Tom. 1.

*A* peritus, eos, qui ipsum irridens, irridebit ipse, si sint rudes, & imperiti, & neque conuertetur ad ea, quæ ab illis dicuntur, sed contentus erit suo ipsius testimonio. Et nos pendebimus à vulgi opinione? Propterea sanè digni sumus, qui contemnamur, quia eos non despiciamus, qui nos despiciunt ob paupertatem. Hæc ille. Subdit Salomon.

*B* *Honorat autem eum, qui miseretur pauperis.* Nimirum ob prædictas rationes, propter quas pauperum iniuriis, & probris Dei violatur maiestas, eorundem obsequio, honore, & beneficiis colitur, & obseruatur, quas tunc percurreret, & subducere poteris. Pergo ad alia.

*XXXII. In malitia sua expelletur impius: sperat autem iustus in morte sua.*

*I* *N malitia sua, &c.* Hebræa non dissonant. Chaldæus ita conuertit, *In malitia sua repellitur impius, & qui sperat, quod sit moriturus, iustus est.* Septuaginta, *In malitia sua repelletur impius, qui autem iustus sua sanctitati, iustus.* Scholiast. *In malitia sua peribit, & expelletur.* Symmachus, Aquila, & Theodotion à vulgata ne latam vnguem discedunt.

Rodolphus obseruat extrema verba, *Sperat autem iustus in morte sua,* conuerti posse, in *morte eius,* atque adeo sensum sic conformari posse. Impius quidem tunc cum scelus orditur, inter ipsam criminis molitionem de medio tolli conuenit, atque adeo iustus, qui ab illo opprimitur, & vexatur, in illius morte sperat, id est, illo sublato se euasurum sperat. Huic expositioni accommodari non potest lectio vulgata.

*D* Secunda tradit Chaldæus ad hunc modum, *In malitia sua repelletur impius, & qui sperat, quod moriturus est, iustus est,* quod perinde est, ac si dicat. Impius non cogitat de morte sua, atque adeo hæc illum suis sceleribus distentum subito inuadit: iustus autem de morte sua sollicitus assiduo illam ob oculos affert, atque adeo iustitiam, & pietatem nunquam deserit, nec mors illum inopinato aggreditur. Huic expositioni adaptari fortasse possunt verba vulgata, dummodo extrema illa verba, *Sperat autem iustus in morte sua,* sic euoluantur, iustum non corripit subita mors, sed præuisa, præmeditata, & diu sperata.

*E* Tertia, & communis interpretatio Hugonis, Lyræ, Dionysij, Arborei, & aliorum verborum sonum omnino tenet, *In malitia sua expelletur impius, &c.* scilicet ob malitiam suam ab spe decuratur æternæ vitæ, iustus autem in sua ipsius morte spem alit, & ea spe erectus iucunde moritur. Displicet hæc explicatio Iansenio, & quartum meditatur. Obseruat autem verbum Hebraicum, *נפח* *Idache,* proprie esse impelletur, aut propelletur, sensum autem sic instituit. Impius quidem propter suam malitiam impelletur, & agitabitur, adeo ut animus illius metu, & desperatione perturbatus, & exagitatus securè, & tranquille nunquam degat, *Sperat autem iustus in morte sua,* id est, tunc cum maximè timore concuti, & spem abiicere solent homines (scilicet in morte) ipse timore vacat, confidentius, & securius agit. Probarem sanè hanc interpretationem, nisi à vulgata tantisper abiret, non enim exprimit vim illius verbi *expelletur,* vel ut alij codices habent, *repelletur.*

Subiicio ergo quintam expositionem, quæ mihi accommodatior videtur, *In malitia sua expelletur impius, nimirum è vita, aut è viuis.* Quasi dicat, improbitas

X x

è vita vi maxima eiicietur, & mori compelletur, (hanc enim vim habet verbum *expelletur*) est enim illi vita grata, mors autem inuisa, & grauis, *Sperat autem iustus in morte sua*, id est, iustus ex aduerso sponte moritur, & confidenter spe æternæ vitæ erectus. Vel *sperat in morte*, expectatione scilicet mortis erigitur, quia putat se per mortem ab exilio ad patriam, è vinculis in libertatem, è naufragio in portum, à terra denique in cœlum demigraturum.

XXXIII. *In corde prudentis requiescit sapientia: & indoctos quosque erudit.*

143

**I**n corde prudentis, &c. Hebraicè, *In corde intelligentis moratur sapientia: & in medio, aut ventre stultorum cognoscetur.* Chaldaus, *Et in medio stultorum cognoscetur stultitia.* Septuaginta, *In corde boni viri sapientia, in corde autem imprudentum non dignoscetur.* In quibusdam codicibus additur verbū *et in ventre*, id est, requiescet, pausabit, sic habent Symmachus, Aquila, & Theodot.

Extrema pars huius sententiæ, quæ ad verbum ex originalibus sic efferenda est, *Et in medio, seu ventre stultorum cognoscetur*: non eodem modo ab antiquis Interpretibus intellecta fuit. Chaldaus ergo opposuit *stultitiam*, hoc modo, *Et in medio stultorum cognoscetur stultitia.* Sensus autem est apertior, nimirum sapientia, & cognitio inest cordi prudentis, & pij viri, vel potius moratur, & quiescit, quia nihil est, quod illam inde pellat, vel arceat. Vel aliter, *In corde moratur*, id est, prudens vir sapientiam suam haud temere prodit, sed in corde suo tectam, & arcanam asseruat, *In medio autem stultorum cognoscetur stultitia*, id est, stulti suam omnibus produnt, manifestantque stultitiam.

Septuaginta aliter extrema illa verba accipientes totam sententiam sic extulerunt, *In corde boni viri sapientia, in corde autem imprudentum non dignoscitur*, sensus autem ille est, quem verba sonant. Nimirum in corde pij, atque probi hominis sapientiam demorari facile agnoscimus, quæcumvis enina illam celer, & altius in corde premat, vestigia pleraque sunt, ex quibus eam dignoscere licet, ac verò in corde ignorantium, aut stultorum, nulla quidem sapientiæ, atque prudentiæ documenta sunt, ex quibus eam indagare liceat.

144

Præstat verò omnibus lectio vulgata, nam cum præmissæ emphasis parum habeant, illa quidem significatius verba conuertit, & sensum venustiorum compleuit. Nam illa verba, *Et in ventre stultorum cognoscetur*, ad sapientiam prudentis retulit, atque ad hunc modum exposuit, *In corde prudentis acquiescit sapientia, &c.*

Quasi dicat, ingens sanè sapientiæ laus hæc est, quod cum in corde prudentis, ac pij hominis requiescat, id est, immota semper hæreat, tamen inde in corda, & animos stultorum sine aliqua sui iactura demigrat, eosque informat, atque erudit. Id sibi vult illud, *Et in ventre stultorum cognoscetur*, quod vulgatus interpres verba dimitrens, & sensum tenens ita exposuit, *Et indoctos quosque erudit.* Obiter autem suadetur sapientibus, & eruditis, ut comparatam à se doctrinæ facultatem in alios effundant, non enim propterea deficit, aut imminuitur, quia stultis liberaliter impertitur. Hanc sapientiæ, atque doctrinæ vim similitudine lucentis facis tradidit Gregor. Nazianz. quæ nulla suæ lucis iactura innumeras alias accendit. Quintilianus autem ab speculis similitudinem transtulit, quæ formas ab inuicem excipiunt, ac reddunt sibi mutuo: nam specu-

Nazianz.  
Quintil.

**A**lum vnum formam in se expressam reddit, & in alterum sibi è regione positum, sine aliquo detrimento transfundit. Chrysof. ab sole comparisonem petit, qui pari ratione sidera omnia illustrat absque aliquo suæ lucis intertrimento, homilia, *Quod nemo laeditur, &c.*

Chrysof.

XXXIV. *Iustitia eleuat gentem: miseros autem facit populos peccatum.*

**I**ustitia eleuat gentem, &c. Hebr. ad verbū, *Iustitia exaltauit gentem, & misericordia populorum peccatum.* Chald. *Et opprobrium populi peccatum*, consonat Symmachus. Septuaginta, *Minuit autem tribus peccata.*

145

Hanc dissimilitudinem peperit Hebraicæ vox *חסד Chesed*, quæ fere misericordiam adsignificat, & Leuit. 20. *opprobrium*, seu *ignominiam* notat. Hinc duæ illæ lectiones natæ sunt, quarum prior erat, *Misericordia*, aut *pietas nationum peccatum*. Hanc plurimi Rabinorum sectantur, & ex his alter ad hunc modum exponit. Iustitia quidem exaltat, extollitque populum fidelem, scilicet Hebræum, qui veri Dei cognitione imbutus est, ac populorum, id est, gentium misericordia, & pietas peccatum est, quia ut ait Paulus, *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Existimat enim interpres iste omnia infidelium opera ob Dei ignoracionem esse peccata. Alij non ita, sed nomine *peccati* (ut aliàs animaduerti) secundum scripturæ familiarem vium sacrificium pro peccato accipiendum esse dicunt, ut sensus sit, *Pietas nationum peccatum*, id est, beneficentia in pauperes optimum sacrificium, & hostia est, ex his, quas populi pro suis peccatis immortaliter Deo litare possunt. Iuxta illud, *Beneficentia, & cõmunis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus*, ad Hebræos 13. Alij demum nomine *pietatis* ipsummet idolorum cultum capiendum esse putant: nam pietas pro religione sæpius accipi consuevit. Ego verò hanc lectionem ad vulgatæ nostræ sensum libentius transferam, hac ratione, *Misericordia populorum peccatum*, id est, peccatum populos miseratione, aut misericordia dignos reddit, scilicet propter miseriã eorum. Quasi dicat, iustitia quidem eleuat, id est, exaltat, cõmendantque populos, peccatum verò non cõmendatione, sed miseratione dignos reddit. Iansenij autem coniectura, qui putat nostrum vulgatum non *חסד Chesed*, sed *חסר Hesar* legisse, aut restituisse, quæ vox penuriam, & defectum sonat, mihi admodum probatur. Quemadmodum etiam Septuaginta, qui legunt, *Minuit autem tribus peccata*, quia inter nostrum, atque Septuaginta Interpretes, id discriminis interesse tantum videtur, quod hi penuriam ad defectum, & imminutionem ciuium, ille autem ad egestatem, & inopiam retulit. Vel certè illa

Ad Hebr  
13. nu. 16.

**E** verba *minuit tribus* non significant imminutionem numeri, sed gloriæ, & felicitatis.

Posterior lectio, *Et opprobrium populorum peccatum*, à vulgata parum discedit, tamen de illa ad extremum non nihil subiiciam. Expendo singula.

146

*Iustitia eleuat gentem.* Rodolphus nomine iustitiæ eleemosynam, & beneficentiam capiendam esse putat: sed frustra latissimam iustitiæ significationem hinc coercet, & in angustias mittit. Sensus quidem vniuersalis est, nimirum iustitia, & pietas ciuium foelicem, & fortunatam urbem, atque Republicam reddunt. Aristot. lib. 3. Politic. sæpè ac multis probat vnus ciuis, atque totius Reipublicæ foelicitatem, & beatitudinem non esse diuersam.

Postquam ergo civis felicitatem in virtute, & honestate collocandam esse dixit, illam Rempublicam fortunatam, & felicem esse asseruit, cuius civitates pietatem vulgo, & iustitiam colunt. Capite ergo quinto sic ait, *Finis civitatis est bene vivere, reliqua vero gratia istius finis, id est, societates, commercia, magistratus, & reliqua eiusmodi ad hunc finem spectant, ut civis vulgo bene, ac pie vivat. Quorundam autem opinionem, qui in uniuersam politiam, & civilem administrationem ad externam tantummodo felicitatem, scilicet opulentiam, pacem, imperiumque referendam esse dicebant, sic coarguit, Civitas non vivendi solum gratia, sed magis bene vivendi. Nam sic servorum, & aliorum animalium civitas esse posset, quod non est, ex eo, quod felicitatis non sunt copiam, nec vivendi secundum electionem. Aperte igitur Salomon, Iustitia eleuat, felicem scilicet, ac fortunatam reddit gentem. Adde- re tamen posset optimam D. Ambrosij rationem in lib. 3. de Officiis. Quia scilicet comperitum est urbem sine religione, & cultu alicuius numinis consistere non posse: numen autem boni civium mores placant. Quod quidem in christiana, & fidei civitate longe verius est. Hanc enim non solum commercia, & humanae societatis, & cognationis vincula astringunt, sed etiam divina, ac supernaturalis charitatis insolubiles nexus cogunt, & eatenus felix, ac fortunata est, quatenus civis suos a terrena civitate in caelestem transferre suis legibus, studet, quod per externam, & humana tantum felicitatem assequi non potest, nisi adsit pietas, & iustitia. Subdit.*

*Miseros autem facit populos peccatum. Contrariorum haud dispar ratio est. Felicitatis, & infelicitatis, fortunae, & infortunij causas contrarias esse est, iustitia eleuat, peccatum deprimit, iustitia felicem, & beatam reddit gentem; peccatum miseriae, & infelicitati committit.*

Quod si haec ad externa bona referre malis, non dissentior, quia non solum in iustitia atque pietate civitatis, ac gentis vera fortuna, & felicitas sita est: sed etiam hoc alterius humanae, & externae felicitatis causam continet. Quid certius? *Iustitia ergo eleuat* hac ratione gentem, id est, gloria copias atque imperio cumulat, *Miseros autem facit populos peccatum.* Tria omnino sunt, quibus rerum publicarum externa, & temporalis felicitas continetur, scilicet imperio, copiis, atque multitudine. Haec tria bona peccatum evertit, ac dissipat, quia totidem mala his adversa in populis invehere consuevit, nimirum pestem, famem, & bellum, pestis multitudinem imminuit, bellum auferit imperia, fames copias exhaurit. Haec autem mala (ut auctor est D. Joann. Chrysof.) ideo ad publica peccata puniendi assumit Deus quia communia sunt, & ad omnia pertinent. Ergo si tres huius loci translationes in unum conflamus, praemissa illa mala non obscure in his claudi inueniemus. Septuaginta enim legunt, *Minuit autem tribus peccata*, hoc ad pestem referendum est, cuius est populos morte grassante imminuere. Vulgatus convertit, *Miseros facit populos peccatum*, id est, inopes exhaustis copiis, hoc ad famem pertinet. Chaldeus translulit, *Opprobriis, seu ignominia populorum peccatum*, scilicet per depositionem gloriae, & imperij. Hoc vero belli proprium est.

Præmissi illi interpretes, qui locum istum cum superioribus Regi, aut Principi tribuendum esse putant, de Principis, & Regis peccato, aut iustitia sermonem haberi contendunt. Quod quidem si verum sit, exploratum valde est, quam solemne sit

Deo propter Principum scelera in multitudinem animaduertere, his potissimum cladibus, quas nuper recensui, peste, fame, & bello. Exemplo sit David, cui ob crimen in populi censu admissum, inter illa tria, pestem, bellum, & famem, optio data est Regu 2. Sed tamen illud observatione dignius, quod eodem lib. cap. 21. scriptum est: scilicet famem per tres annos Iudaeos vexasse tempore David. Cum autem ille Dei oraculum consulisset, id responsi obtinuit, *Dixitque Dominus propter Saul, & domum eius sanguinem, quia occidit Gabaonitas.* Saul quidem oblatam Gabaonitis fidem violauerat, & eorum plurimos neci dederat. Ergo iam tunc postquam David sublato Saule non paucis annis regnauerat, Deus ad puniendum Saulis scelus (mirabile dictu) trium annorum famem populo immisit: ut constet quam seuerè agere soleat Deus cum populo uniuerso, ob graua Principum peccata.

2. Reg. cap. 24. nu. 12. Ibid. cap. 21. nu. 1.

XXXV. *Acceptus est Regi minister intelligens: iracundiam eius inutilis sustinebit.*

**A** *Acceptus est Regi, &c.* Hebraicè, *Benevolentia Regis ad seruum intelligentem, & ira eius erit confundens.* Alij legunt, *Et indignatio eius erga pudentium, aut confusione dignum.* Chald. *Et in ira eius confundetur.* Septuag. *Sua autem agilitate auferet ignominiam.* Theodor. *Et furor eius confundens.* Hebraicè, וְעָרַב. Et quidem *Ghebrasho* ira eius significat, & velocem transitum, haec autem significatio locum fecit lectioni Septuaginta, de qua postea.

150

Sensus nostrae vulgatae perspicuus est, *Acceptus est Regi minister intelligens: nimirum ille minister Regis benevolentiam iniecit, qui peritia, & intelligentia pollet.* Saepè quidem, ac multis Salomon seruum, ac ministrum a prudentia, & intelligentia commendat. Imò & Christus Dominus, Matth. 24. ait, *Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Aristot. lib. 1. Polit. cap. ult. *Non bene (inquit) dicunt, qui seruos spoliant ratione, dicentes praecepto uti dumtaxat.* Quasi ille sit optimus seruus, qui tantummodo sibi demanda exequitur, de cetero nihil cogitat, aut iudicat. Non ita (inquit Aristot.) sed optimus minister, ac seruus ratione pollet, & praecepta cum iudicio & prudentia peragit. Et quidem in eo capite eandem domini, atque serui virtutes esse dicit, prudentiam, iustitiam, temperantiam, &c. Inter domini autem, atque ministri prudentiam (verbi causa) hoc tantum interesse dicit, quod domini prudentia est imperans: serui autem prudentia cum ipso pariter obsequit, & prudentiae domini sui tota addicta est. Ergo ille minister, qui prudentia illa, atque intelligentia (ut ita dicam) obsequenti praedictus est, is quidem Regi, ac domino suo perquam gratus, & acceptus est. Et quidem seruum intelligentem esse oportere optimo argumento euincit Aristot. cap. 4. eiusdem libri, *Seruus quidem pars quadam est domini animata scilicet, etiam si separata pars. Quapropter aliquid est, quod simul proficit, & amicitia est seruo, & domino inuicem secundum naturam ita dispositis.* Ex quo colligit eandem vtriusque mentem, & prudentiam futuram esse, domini quidem imperio, serui autem, atque ministri imitatione, & obsequio. Nec desunt, qui ad hanc sententiam accersant illa verba Psalm. 77. vbi de felici imperio David sic scribit, *Et pauid eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Per manus enim David eiusdem ministros accipiunt, quorum intellectibus,

Matth. 24. num. 45. Aristot.

151 Aristot.

Psalm. 77. num. 72.

147

Ambros.

148

Chrysof.

149

id est, prudentia, & consilio res publicæ administrabantur. Ex hac coniectione, atque nexu, quo domino suo tanquam pars quædam hæret seruus, elicit Aristot. inter bonum seruum, atque iustum dominum quandam amicitiam non ignobilem intercedere, *Et amicitia (inquit) est seruo, ac domino inuicem.* Quam Salomon expressit illis verbis, *Acceptus est Regi, &c.* vel ut est in originibus, *Beneuolentia Regis ad ministrum intelligentem.* Quanti vero apud Regem futurus sit minister intelligens, qui illum prudentia, & consilio iuuat, satis declarauit ille alius apud Plutarch. in vita Periclis, qui ægre ferens se à Rege, nec gratia, nec beneficiis foueri, cui semper aderat à consiliis, in lecto decubuit, ac Pericli percontanti, quid opus haberet, addit, *Lucernam oleo quidem affatim infuso ali oportere,* nimirum optimum consiliarium, qui lucernæ in morem consilio suo Regi semper affulgebat, gratia quidem, beneuolentia, censu, & aliis officiis tanquam oleo assiduo innutriendum esse. Et sanè ille Princeps optime suam gratiam, & beneuolentiam collocat, qui in virum industrium, atque peritum illam confert: si quem autem eiusmodi nactus est, sicut oleum lucernæ, sic illi vitæ subsidia assiduo suppeditare debet.

*Iram eius inutilis sustinebis.* Inutilem seruum appellat eum, qui nullius rei vsum præstat. Hebraicè *confundentem,* aut *puendum.* Non eum intelligo, qui pudore digna perpetrat, sed qui impudentia sua, & perfricta fronte herum in se concitat, ac laceffit, hi enim potissimum iram, & stomachum dominis mouere solent. Hispanè dicemus, *El criado de suergoçado.* Hæc alij. Ego vero per seruum inutilem, aut confundentem stultum intelligo, & imperium, qui commissa sibi mândata inepte, & imprudenter peragens confusionem, atque pudorem Principi suo sapius adducit, vulgo dicimus, *Le hazecaer en falta, ó en verguença.* Hinc ira, & furor, quo libera Regum potentia crudelius in ministros suos sauire solet.

Septuaginta hæc extrema verba ad commendationem optimi ministri referunt ad hunc modum, *sua autem agilitate auferit ignominiam,* scilicet hic prudens, atque intelligens minister, ideo Regis sui beneuolentiam, & gratiam iustè inuit, quia sua industria, & expedita, promptaque ad res peragendas sollicitudine, honori Principis sui decore prospicit, & omnes pudoris occasiones arceat, id est, *Nunc ale echa en verguença.*





## CAPVT DECIMVM-QVINTVM.

**R**esponsio mollis frangit iram: sermo durus suscitatur furorem. 2. Lingua sapientum ornat scientiam: os fatuorum ebullit stultitiam. 3. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos. 4. Lingua placabilis lignum vite: quae autem immoderata est, conteret spiritum. 5. Stultus irridet disciplinam patris sui: qui autem custodit increpationes, astutior fiet. In abundantia iustitiae virtus maxima est: cogitationes autem impiorum eradicabuntur. 6. Domus iusti plurima fortitudo: & in fructibus impij conturbatio. 7. Labia sapientum disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit. 8. Victimae impiorum abominabiles Domino: vota iustorum placabilia. 9. Abominatio est Domino via impij: qui sequitur iustitiam, diligitur ab eo. 10. Doctrina mala deserenti viam vite: qui increpationes odit, morietur. 11. Infernus, & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum? 12. Non amat pestilens eum, qui se corripit: nec ad sapientes graditur. 13. Cor gaudens exhilarat faciem: in mœrore animi deijciuntur spiritus. 14. Cor sapientis quaerit doctrinam: & os stultorum pascitur imperitia. 15. Omnes dies pauperis, mali: securus mens, quasi iuge conuiuium. 16. Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni, & insatiabiles. 17. Melius est vocari ad olera cum charitate: quam ad vitulum saginatum cum odio. 18. Vir iracundus provocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas. 19. Iter pigrorum quasi spes spinarum: via iustorum absque offenculo. 20. Filius sapiens letificat patrem: & stultus homo despicit matrem suam. 21. Stultitia gaudium stulto: & vir prudens dirigit gressus suos. 22. Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium: ubi vero sunt plures consiliarij, confirmatur. 23. Latetur homo in sententia oris sui: & sermo opportunus est optimus. 24. Semita vitae super eruditum, ut declinet de inferno nouissimo. 25. Domum superborum demolietur Dominus: & firmos faciet terminos viduae. 26. Abominatio Domini cogitationes mala: & purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo. 27. Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam: qui autem odit munera, viuet. Per misericordiam, & fidem purgantur peccata: per timorem autem Domini declinat omnis à malo. 28. Mens iusti meditatur obedientiam: os impiorum redundat malis. 29. Longè est Dominus ab impiis: & orationes iustorum exaudiet. 30. Lux oculorum letificat animam: fama bona impinguat ossa. 31. Auris, quae audit increpationes vitae, in medio sapientium commorabitur. 32. Qui abiicit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. 33. Timor Domini, disciplina sapientiae: & gloriam praecedit humilitas.

I. *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitatur furorem.*

**R**esponsio mollis, &c. Hebraicè, *Responsio mollis auertit iram, & verbum doloris ascendere facit furorem.* Septuaginta, *Ira perdit & prudentes.* Hæc verba non respondent originibus, & à vulgata absunt, & in Complutensi ponuntur in fine capituli superioris, & extremo carmini adfluunt. Subiiciunt Septuaginta, *Responsio autem submissa auertit furorem: sermo autem tristis suscitatur iras.* Symmachus, *Responsio mollis.* Sic ait nostra Theodot. *Qui respondet delicate, aut delitiose, auertit iram.*

2. *Sermo durus.* Aquila, *Sermo callosus.* Symmachus, *Sermo audax.* Theodot. *Sermo molestus.*

Sensus horum verborum perspicuus est, *Responsio mollis frangit iram*, id est, iræ vim, & impetum retardat, & remittit. Sicut enim displosus bombardæ globus in telluris aggerem, vel in molliorem lanam incurrens hebetatur, ac sistitur: idem verò in præualidum murum perlatum dirumpit, ac labefactat. Item sicut fulmen molliori carni parcere, ossa verò prædura comminuere solet, sic item iræ impetus in mollem, & suauem sermonem incidens obtunditur, & hebetatur, in durum vero sermonem incurrens crudelius sæuit. His similitudinibus locum istum illustrauit nouus Interpres. Subiiciam aliquid ego ex Patribus.

*Sermo mollis frangit iram.* Sermo inquam cedens hebetat iram. Diuus Gregor. Nazianz. in Poëmate de ira.

*At læsit me? Tu caue, ut lædas item.  
Accipit ille? Protinus verbis tuis  
Frangatur, atque moribus blandissimis  
Solutus instar fluctuum ad terram illico,  
Aut ut procella, cum nihil remittitur.*

Quali dicat, ad eundem modum iræ impetus in suaues sermones, & in blandissimos viri alicuius mitissimi mores incidens solui solet, quo fluctuantis maris vndæ in molliissimas littoris arenas incurrentes vi ventorum impulsæ franguntur, ac recedunt. Et quidem eum ad sensum aliqui accersunt illam Salomonis orationem, quia sibi ipsi cordis latitudinem quandam exorauit, *Sicut arenam, quæ est in litore maris*, nimirum longanimitatem quandam & mansuetos mores, in quos omnes aliorum iræ, & furores, tanquam vndæ solutæ, & fractæ remitterentur. Diuus Ioann. Chrysof. in homilia,

Chrysof.

*Quod viles sunt moderatæ tentationes, per molle responsum, ceu fræno quodam immisso, furentis hominis iram sibi affirmat. Ira enim equus est sternax, & indocilis, qui si frænum abiicit, in obuios quosque ruit, & effrænato ore in omne debacchatur. Caterùm hanc tam præcipitem iram mollis sermo, velut immisso fræno restringit, ac coercet. Vim autem mollioris, atque suauioris orationis ad iram præcipitem continendam exposuit Diuus Chrysofostomus his verbis circa finem, *Tunc quidem si seuera, & dura etiam si iusta dicas, furori ille impurabit. Si verò cum mansuetudine respondeas, seipsum condemnabit.* Hoc fræno ira comprimitur. Homo enim iratus in mansuetudinem alterius offendens, suum statim damnat furorem, damnantique deponit. Sed qualis esse debet mollis isthæc responsio? Nazianz. in citato loco exemplum illius lepidum adducit his verbis à Pericle desumptum.*

Nazianz.

*Rursus aliter illi, qui minas has iniunxerat  
Post mille probra. Peream si, unditus ait,  
Nisi te necaro pessime viues habens,*

**A** *Remuneratur blandus his verbis.  
Et ipse peream, nisi te amicum fecero.*

Ac rursus idem Nazianzenus, qua ratione occurrendum sit, ita docet his verbis.

*Si te execretur quispiam causa ipsius (scilicet Dei)*

*Ora. Minatur multa? Minicare hæc pati.*

*Exequitur ista? Fac bene, hoc tuis est opus:*

*Hincque bina capies commoda. Hæcque maxima.*

*Namque ipse legis primum custos eris:*

*Placidumque reddes placidus, & hunc discipulum*

*Ex hoste, dantem quam ferat palmam manus.*

**B** Et quidem si omnes huius prioris partis lectiones conflamus, hic edocti iratis aptè admodum semper occurremus. Noster Interpres habet, *Sermo mollis.* Septuaginta, *Responsio submissa.* Theodot. *Responsio delicata, aut delitiosa.* Alij, *Responsio iocosa.* Sit ergo mollis, submissa, delicata, iocosaque tua responsio, & ira tui aduersarij facile defæuiet. Molle dicitur, quod asperitate omni caret, & facile cedit. Ergo responsio nihil habeat asperum, & aduersario cedat. Sed quia nonnunquam accidit, vt sermo ipse asper non sit, tamen modus dicendi, & sonus ipse verborum lædat animum.

Septuaginta subiiciunt, *Responsio submissa auertit, &c.* id est, ne vox elatior, aut præceps sit, sed demissa, & grauis. Quod si adhæc accedat gratia, & benevolentia verborum, ad sedandam illius iram potentissima erunt. Id sibi vult illud, *Responsio delitiosa*: nam amoris significationes vulgo dicimus *ternuras*. Aliquando etiam proderit, si serio furentem iocis excipiamus: nam iocus furoris impetum eludit. Ad id spectat translatio Theodotionis, cui respondet Græcè *ἄνεπαρς*, verti potest *iocose*. Et quidem iram sauientem iocosis verbis opprimere docet Nazianz. in eo loco.

Nazianz.

**D** *Hoc fac, ut ira torridum iocis petas,  
Aduersus iram nam ioco nil fortius:  
Inanem, ut is, qui mittit in pugilem manum,  
Magnoque fertur impetu, & totus furit, &c.*

Perfectâ similitudinem supra dedi, cap. 14. vers. 17.

Posterior pars huius sententiæ sic habet, *Sermo durus suscitatur furorem*: nimirum si ferrum aut chalybs prædurus silicem quatiat, ignis emicat, sic etiam cum aduersarij conuitium in duriorum alterius sermonem incurrit, ira vtrinque excitatur. **E** Hanc similitudinem in hunc locum coniecit supra dictus interpres. Subiicio Patres. Diuus Gregor. Nazianz. sermonem duriorum cum scopulo composuit, in quem pelagi fluctus irruentes spumas in cælum iaculari solent. Ad eundem modum iræ fluctus, si in duram, & oblitentem alicuius orationem offendant, in furorem, & blasphemias abeunt.

*Medicamen (inquit) aliis est Deus menti obuius?*

*At ira primum numini occludit fores.*

*Vidi ipse saxa, puluerem, & verba aspera,*

**F** *Qui iaceret in cælum, &c.*

Diuus Basilii similitudinem ab echo petitam sic expressit, *Vox illi aspera? sit tibi mitis, & non durus sermo. Neque enim sic in locis desertis, & solidis cauitibus echo in ipsos clamantes intempestive infringitur, sicut in hominem iniustum, & consumeliosum contumelia reuertitur, (nimirum cum in similem sibi verba intorquet, Imò sonus quidem ibi idem redditur, contumelia verò augmentata recurrit.*

Basilii.

Originalis lectio sic habet, *Et verbum doloris ascendere facit furorem.* Rodolphus & Iansenius similitudinem ductam existimant ab igne & flamma. Quasi dicat, illa verba, quæ dolorem, atque molestiam inferunt audienti, iram ad instar flammæ excitatam attollunt. Diuus Nazianz. de ira.

Nazianz.



*Verum ignis instar, qui vorax flammam exci-*

*tat, Salique, & ardet, & quatit queque obuia,*

*Fluitatque sursum seuus animato impetu, &c.*

Seneca.

Ira enim teste Seneca in corde accenditur (est enim non solum ascensio sanguinis ad cor: sed etiam accensio) flamma verò, & fumus inde ad caput perueniunt, atque mentem, & rationem obtenebrant. *Sermo doloris.* Noster sermonem durum conuertit, ut hæc posterior pars priori ad amissim responderet: quæ habet, *sermo mollis.* Theodot. *sermo molestus*, eodem sensu. Symmach. *sermo audax*, scilicet qui audacius ad aliquem feriendum promitur. Denique Aquila legit, *sermo callosus*, id est, asper: nam calli asperas reddunt manus. Et quidem callos usus inducit. Quapropter *callosus sermo*, dici potest, vsu tritus, & crebro vsurpatus. Sunt enim quædam verba, sales, & dictæ ioco se in alios coniecta: quæ quidem initio cum noua sunt, non ægrè feruntur: si tamen crebro vsurpentur, in consuetudinem deducta callos (ut ita dicam) obducunt, aspera, & ingrata redduntur, aures lædunt, & animum etiam iracundia exasperant.

II. *Lingua sapientum ornat scientiam: & os fatuorum ebullit stultitiam.*

**L**ingua sapientum, &c. Hebr. *Lingua sapientum bonam, vel pulchram reddit scientiam. & os stultorum eructabit stultitiam: vel ex aduerso: Linguam sapientum bonam reddit scientiam.* Est enim anceps loci constructio in Hebræo. Alij legunt, *benefacit scientia: Concinit Chaldaus Septuaginta: Lingua sapientum bona nouit, & os stultorum pronuntiat mala.* Aquila, & Symmachus, *effundit stultitiam: quos sequitur Hieronymus contra Rufinum.*

Præferenda sanè est reliquis nostra lectio, quæ venustiore reddat sententiam: *Lingua sapientum ornat scientiam.* Exploratum est quantum ad scientiam, & facultatis cuiuslibet ornatum præstet lingua Doctoris, ut placeat, vel displiceat auditoribus. Hæc enim expolit, comit, atque vestit ea, quæ si nuda, vel incompta producerentur, ingrata, & iniuriosa cunctis forent. Sed obseruandum est verbum illud *ornat*, quod aptissimum est ad significandam Ecclesiastici oratoris eloquentiam, quæ sermonem ornare debet, non facis pingere, aut cultissimis verbis colorare. *Oratio enim* (ut docet Nazianzenus)

*nequaquam ut meretrix expingenda: sed ut Matriona grauius ornanda est.* Sed elegantissimè Augustinus in lib. 4. de doctrina Christiana de nostræ orationis ornatu disserit: *Oratio* (inquit) *ne sic tam nuda sit, ut frigescat: ne tam inculta sit, ut sordescat: sed grauius ornata, ut non displiceat.* Ac rursus sic habet: *Unde bene ait quidam, cum de tali genere loquutionis ageret, esse in ea quandam diligentem negligentiam: hæc autem sic detrahit ornatum nimum, ut sordes non contrahat.* Infra verò id ipsum eloquentissimè declarat his verbis: *Hoc grande dicendi genus non tam verborum ornatibus compertum est, quam violentum animi affectibus. Nam caput quidem ea ornamenta pene omnia: ea tamen si non habuerit, non requirit. Fertur enim impetu suo, & eloquutionis pulchritudinem si occurrerit, vi rerum rapit, non curat decoris assumit: satis est enim ei, propter quod agitur, ut verba congruentia, non oris elegantur industria, sed pectoris sequantur ardorem. Velut si auratum gemmatumque ferrum intentissimus pugna vir fortis arripuerit: agit quidem illis armis quod agit, non quia pretiosa, sed quia*

Tom. I.

**A** arma sunt, &c. Ac post quædam non longa interstitia verborum sic attextit. *Oratio satis ornata est, quando adest ei quoddam decus non appetitum, sed naturale quodammodo, & nonnulla non iactantia, sed quasi necessaria, atque (ut ita dicam) ab ipsis rebus exorta numerositas clausularum. Non enim quia neque incedit ornata, neque armata, sed tanquam nuda concreditur: idè non aduersarium nervis, lacertisque collidit, & obstantem subruit, atque destruit falsitatem.* Hæc Augustinus de graui orationis ornatu, quibus ornate latis Christianæ eloquentiæ rationem tradit. Sed Augustino annexendus est Clemens Alexandrinus qui in libro primo Stromat. multa de orationis ornatu ferit, ac demum sic inquit: *Ne sis prolixus in sermone. Dicitio enim est tanquam vestis in corpore, res autem sunt carnes, ac nervi: non ergo oportet maiorem vestis, quam salutis corporis curam gerere. Non solum enim frugalis vitæ ratio: sed etiam a superuacaneo cultu, ornatiue alia oratio exercenda est ei, qui veram vitam agit. Siquidem delicias ut dolosas, & luxuriosas repudiamus, sicut unguentum, & purpuram. Veteres Lacedæmonij dolosas quidem vestes, & vntiones dolosas recte reputantes & nominantes, quoniam nec honestus est ille cibi apparatus, qui plura habet condimenta, quam ea, quæ nutriunt: nec est bellus, & urbanus orationis vsus, qui auditores magis potest inuare, quam delectare: non oportet ergo dilatare Phylacteriam vanam, ambiendo, & magni faciendo gloriam.*

**B** Audiendus etiam graculus inter olores, Plutarchus scilicet inter grauissimos Patres: qui in Moral. sic addit: *Qui castam, & Philosophicam orationem meretricis laudibus excolunt, perinde faciunt, atque hi, qui Athletam liliis, aut rosis coronant, non lauro, aut oleastro.* Athleta enim atque pugiles, cum vicerant, lauro, & oleastro redimi solebat: meretrices liliis, aut rosis. Quibus verbis venuste innuit Athletæ in morem robustam, & fortem, nudam, sed inunctam orationem esse oportere. Et proximè ad illa verba Augustini accedit. *Non ornata, neque armata, sed tanquam nuda concreditur, &c.*

**C** Aliter etiam exponere licet ista verba, *Lingua sapientum* (id est, piorum hominum) *ornat scientiam*, hoc est ipsam pietatem; quia nimirum linguæ vitæ comes est: cum enim bona vitæ probæ linguæ hæret, maximus ornatus inde doctrinæ accrescit. Nec enim eius venustas verbis ita, quemadmodum factis exprimitur. Nazianzenus in oratione de plaga grandinis: *Ille quidem sapiens est verè, qui pauca quidem de virtute verba facit: ceterum per ea, quæ agit, multa demonstrat, ac fidem, & auctoritatem sermonis suo per vitam conciliat.* Venustior enim meo iudicio est pulchritudo ea, quæ oculis cernitur, quam quæ sermone solum pingitur: & diuina, quas manus tenent, quam quas somnia effingunt: & sapientia, quæ per opera demonstratur, quam quæ sermone nitet, & splendet. Et Diuus Augustinus in lib. 4. de doctrina Christiana. *Talis doctor, qui non contempribiliter viuunt, non solum submisso, ac temperate, verum etiam ornate, & granditer dicit.* Itaque ex vitæ in orationem ornatus, magnitudo & maiestas redundat. Subdit verò: *Si autem hoc quidem potest, ita conuersetur, ut non solum premium comparet, sed etiam præbeat aliis exemplum, & sit eum, quasi copia dicendi forma viuendi.* Quid pulchrius?

**D.** Alias lectiones ad vulgatæ sensum adducere necesse est. Septuaginta conuertunt, *Lingua sapientum bona nouit.* Bona, inquam, id est, pulchra. Cognoscere autem, aut meditari cum gutturi, aut liri-

Aug. 7  
Plutarch. 8  
D. Nazianzenus.

guæ tribuitur inſacris, nihil aliud eſt, quam meditata iam, & præcognita dicere, aut eloqui. Sic etiam exponenda eſt lectio originalis. *Bonam reddit ſapientiam*: id eſt, pulchram, & ornatam reddit. Nec non illa, quam alij referunt, *Benefacit ſcientiæ*: id eſt, de ſcientia bene meretur. Quod quidem præcipuè quadrat in illos, qui moribus, ac vita ſua doctrinæ ſuæ decorem conciliant: hi enim de ſua ipſorum doctrina bene merentur: quemadmodum ex aduerſo eidem derogant plurimum, & iniuriam illi inferunt, qui docent quidem, ſed non agunt. Denique illa alia tranſlatio, quæ ſenſum ſic commutat. *Linguam ſapientum ornat ſcientia*, veram etiam ſententiam reddit. Nam quemadmodum lingua ſcientiæ ornamentum, & decorem addit: ſic viciffim linguam ſcientia exornat, dum ornate loquendi ſegetem, & materiam vberem adminiſtrat.

*Et os fatuorum ebullit ſtultitiam*. Hebraicè eructat, aut vomit potius. Ego quidem ad ſordes id referendum eſſe puto. Quafi dicat, os fatuorum ea, quæ ſunt ſtulta, & imperita, ſordide eloquitur, & impurè, vt non tam verba, quam ructus, aut vomitus appellari debeant. Sunt qui ad affluentiam dicendi referant, & ad vanam, inanemque eloquentiam. Quibus fauet Hieronymus contra Rufinum vbi ſic legit: *Os fatuorum effundit ſtultitiam*: & nomine ſtultitiæ prophanam, & vanam ſapientiam, & eloquentiam intelligit, quæ mera ſtultitia eſt apud Deum. Ergo ſapiens ſcientiam ſuam, id eſt, ſanam doctrinam leniter (vt ita dicam) impluit: ſtultus verò vanam ſuam eloquentiam, quaſi vehementem imbrem emittit, & velut turbinem effundit. Accipe autem ex Nazianzeno vtriuſque diſcrimen. Nam

*profecto nec maior pluuia vis minore vtilior eſt: illa enim ob vehementiam ſuam terram abſtrahit: hæc autem ſenſim, ac leniter labens, & ad ima uſque penetrans agrum pinguem reddit, & agricolam commodo afficit, ſpiciamque ad maturum fructum alit. Nec item, qui vberior, atque dicendi copioſior eſt, ſapientiore fructuoſior erit: ille enim poſteaquam exigua, fortasſe voluptate auditorem affecit, abripiens mentem, ſenſumque abſceſſit: hic autem in mentem penetrat, atque ingentem paucis ſyllabis ſegetem edit.* Adnota verba illa: *Neque enim, qui vberior atque dicendi copioſior eſt, ſapientiore fructuoſior erit*: quibus plane eum, qui multa verba effundit, ſapientia opponit, & ſtultis annumerat.

III. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos.

In omni loco, &c. Hebræa, & Chaldaica, & Septuaginta, non diſſonant.

Luculenta valde ſententia, qua Salomon ſignificat Dei oculis omnia peruia eſſe. Id ſibi vult illud: *In omni loco oculi Domini*. Sed quid potiſſimum ſpectant in ſingulis locis, ſubdit: *Contemplantur bonos, & malos*. Quafi dicat, licet oculi Dei in omnes res etiam minimas intenti ſint: tamen nihil attentius, aut perſpicacius intuentur, quam bonos, & malos eorum opera obſeruantes. Hoc autem iuſtos partim continet, partim conſolatur. Continet quidem: quia, vt ait Boëtius apud Hugonem, *Magna nobis indicta eſt neceſſitas probitatis, niſi diſſimulare velimus, cum omnia agimus in conſpectu iudicis cuncta cernentis*. Solatur verò dum bona eorum opera à Deo nequaquam negligi, aut diſſimulari certo ſciunt. Impios verò prorfus exterret, atque proſternit: quia ſe in Dei oculis delinquere, & nihil eorum, quæ agunt, diuinam illam aciem fugere poſſe compertum habent. Hanc

diſſimilè diuini erga probos, & improbos aspectus Pſalm. 33. efficaciam ſatis innuunt illa Pſalmi verba: *Oculi num. 16. Domini ſuper iuſtos, &c. Vultus autem Domini & 17. ſupra facientes mala*. Vultus enim, ac ſupercilium minas ſignificat: oculi verò inteſti gratiam, aut iucundam, placabilemque correptionem adumbrant, &c.

IV. Lingua placabilis lignum vitæ: quæ autem immoderata eſt, conteret ſpiritum.

Lingua placabilis lignum vitæ, &c. Hebr. *Medicina lingua lignum vitæ: & peruerſitas in ea conuerſio ſpiritus*. Chald. *Medicina lingua lignum vitæ: & qui comedit ex eo, de fructibus eius ſatiabitur*. Septuaginta: *Sanitas lingua arbor vitæ: quæ autem conſeruat eam, implebitur ſpiritu*. Aquila: *Lingua placabilis, &c. & peruerſitas*. Hebraicè *וְסֵלֶפֶת* *Vefeleph*. Vnde verò nata ſit Septuaginta, Chaldaica, Aquila, & aliorum tranſlatio, non ſatis coniiicio. Ad rem.

*Lingua placabilis arbor vitæ*. Vox Hebraica eſt, מַרְפֵּה *Marphe*. Hanc qui deducunt à radice מַרְפֵּה *Rapha*, quæ ſignificat *mederi*, aut *curare*, conuertunt: *Sanitas*, aut *medicina lingua*. Noſter verò trahit ab הַרְפָּה *Haraph*: id eſt, leniuit, vel emolliuit, atque aded legit: *Lingua placabilis*, aut *lenis, &c.* Communis ſenſus eſt: *Lingua placida, lenis, & mitis dulciloquio, & ſuauiſimis verbis animorum ægritudinibus, hoc eſt, mœroribus, atque angoribus medetur, homines recreans, ac reficiens, ſicut arbor vitæ, quæ in paradifo cõſita fuit, aduerſus morbos, & alias corporis iacturas immortalitatis medicamentum præſentiſſimum.*

*Quæ autem immoderata eſt, conteret ſpiritum*: id eſt, quæ modum in dicendo tranſilit, vehementia, furore, aut qualibet alia ratione valde angit, & diſcruciat animos. Et quide n huic ſententiæ inferuit tranſlatio Septuaginta, & Chaldaica, *Sanitas, aut medicina lingua, &c.* Quod aſt iudè ſumendum eſt, id eſt, lingua, quæ ſanat, & medetur, ſimilis eſt arbori vitæ: ſicut enim arboris vitæ folia omnia ad ſanitatem erant Apocal. 20. ita etiam omnia placida, ac mitis linguæ verba, vel ea, quæ temere, & inconfiderate excidunt, ad ſanandos, & delinendos animos vim habent.

Secunda interpretatio aliorum ſic habet, *Lingua ſanitas*: id eſt, lingua, quæ in ſemetipſa ſana eſt, ac bene valet. (quia nimirum ab his morbis, quos ipſa contrahere ſolet, libera eſt & immunis: ſcilicet multiloquio, detractiõne, ſufurratiõne, & aliis) adinſtar eſt arboris vitæ. Sicut enim arboris vitæ eſus in paradifo Dei poſitos homines morti eriperet, & ad immortalitatem denique transmitteret: ita etiam lingua ſana, & innocens hominem quodammodo in hac vita immortalè reddit: quia illi plures, aut omnes lethaliter peccandi occaſiones adimit, & ad futuram etiam vitam, & veram immortalitatè comparat, iuxta illud Pſalm. 33. *Quis eſt homo, qui vult vitam, & dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua, ne loquantur dolum*. Item ſicut arbori vitæ proximè hærebat arbor ſcientiæ boni, & mali (vtraque enim in paradifo medio ſita dicitur) quæ merito mortis arbor appellari poteſt: ita etiam lingua, quæ ad vitam homini præſtandam tantam vim habet, morti admodum vicina eſt: iuxta illud, *Mors, & vita in manibus linguæ*. Ided ſubdit: *Quæ autem immoderata eſt, conterit ſpiritum*: ſcilicet eius in quo eſt. Quafi dicat, lingua, quæ modum loquendi ignorat, pluribus delictis animum enecat, atque illum morti æternæ tradit.

Apoc. 20.

12

Pſalm. 33. num. 13.

Tertiam expositionem addere libet, quæ nescio an accommodatior sit, tu videris, *Lingua placabilis, &c.* loquitur sanè de mansuetudine, ac mititate, quæ maximè in verbis, ac lingua spectatur. Itaque ait, *Lingua lenis*: id est, homo qui lenitatem suam, & placidos mores verbis prodit. Ita enim appellare cõsueuimus vulgo homines ipsos, qui bene aut male loquuntur. *Buenas linguas, ó malas linguas* adinstar est arboris vitæ: siue per arborem vitæ viuant, & virentem arborem accipias (iuxta phrasim scripturæ, quam alibi non semel obseruauimus) siue arborem illam paradisi, quæ ad vitam hominis in æuam producendam à Deo primum lata fuit. Nam si arborem virentem accipias, sensus erit: Homo mitis, atque placidus arbor est, in semetipsa virens, ac vernans, cuius aspectus gratus est, cuius fructus prædulces sunt, cuius vmbra ira æstuantem recreat, ac refrigerat. Audiendus est beatus Antiochus in Pandectis, vbi hominis iracundi, & mansueti hanc dissimilitudinem offert. *Ramus* (inquit) *cum viret, ac lentus est, difficile frangitur, quia cedit manui: qui autem aridus est, facile confringitur, quia non cedit. Sic item mitis sanè vir difficile conuellitur, quia cedit, & leniter flectitur: at iracundus flecti nescius vno tantummodo verbo frangitur.* Liceat ergo similitudinem istam huic loco accommodare. *Mansuetus quidem est arbor vitæ*: id est, virens, ac lenta, atque aded animus eius nullis laboribus, conuictis, ac probris frangitur. Cæterum vir immitis aridi adinstar rami, aut virgulti dum non cedit, exiguo laborum pondere, ac modica vi defringitur. Itaque Salomon subdit: *Quæ autem immoderata est, conterit* (vel frangit) *spiritum.* (Immoderata linguæ nomine iracundi, & immitis compellat: nam ira, & morum immitis acerbitas, quemadmodum mansuetudo, & lenitas in verbis potissimum spectatur.) Ergo ait: *Quæ autem immoderata, &c.* Hebr. ad verbum: *Et immoderatio, aut peruersitas in ea, fraetio spiritus*: scilicet quia non lentescit, non cedit: sed aridi adinstar spiritus riget.

14 Quod si per vitæ arborem eam intelligas, quæ in paradiso erat, sensus talis euadit, *Lingua placabilis lignum vitæ*: id est, homo mitis adinstar obtinet arboris vitæ. Nam quemadmodum arbor illa in medio paradisi idèd lata, & defixa fuit (authore D. Augustino de Genesi ad litteram) vt vi sua quatuor qualitatum, quibus homo constat, dissidia componeret, easque ex actione, & reactione discordantes ad eam temperiem, & æqualitatem adduceret, quam natura humani corporis requirit. Ad eundem modum viro mansueti, & leni ad animos discordes conciliandos, deliniendos, & paci, concordiaque reddendos nihil est potentius, ac fortius. De qua vi iam inde supra c. 14. non pauca dixi. Alias præterea arboris illius cõditiones miti ac placido viro adaptare tute poteris.

15 Septuaginta locum istum sic extulerunt. *Sanitas linguæ arbor vitæ: qui autem conseruat eam, implebitur spiritu.* Commendatur is, qui linguam suam moderatur. Itaque ait, qui sanam, atque innocentem, & infantem linguam habet, vitæ arborem in semetipso cohibet: quapropter quandiu illam conseruarit, valebit, vigebit, & multo spiritu, id est, robore, ac fortitudine confirmabitur. Arbor enim vitæ ad reficiendas, reparandasque vires homini tradita fuit, ne senio, ætate, aut morbo vnquã deficerent. Ergo perinde est, ac si dicat, homo bona, & innocenti lingua præditus, quamdiu illam conseruauerit, perinde valebit, vigebit, ac robustus erit, ac si arboris vitæ fructum assiduo gustaret. At inquires, cur linguæ custodia tanti roboris, ac viriũ causa existit? Subiicio, quia vt docet Chrysostomus

A ad illa verba: *Pone Domine custodiam ori meo, &c.* Vidisti (ait) sapi entiam, vidisti prudentiam, & vndenam postulationem incipiat ab eo, quod est eorum, quæ recte, & ex virtute fiunt, maximum, & est omnium maiorum causa si negligatur, quemadmodum bonorum si in eo cura, & studium ponatur: mala enim innumerabilia parit linguæ facilitas, quemadmodum rursum bona eiusdem cautio, & securitas. Vrget Chrysostomus hanc sententiam, atque omnia mala, pestes, ac morbos animis nostris ex linguæ incuria erentire multis euincit. *Quemadmodum enim* (inquit) *est aer pestilens, & qui morbos procreat, ita etiam verba: quod autem facit ille in corpore, id verba in anima.* Rursum addit: *Quicumque ad linguam temperandam non veniunt, in peccatis suis veterascunt, & senescunt.* Ergo ex Chrysostomo habes linguæ incuriam, morbos, & senectam valde perniciosam homini adducere. Ab his morbis, ab hoc senio, confirmatis viribus vendicat hominem linguæ custodia: atque aded merito cum vitæ arbore comparatur.

Item quemadmodum salus naturalis in bono qualitate sibi aduersantium temperamento sita est, quod arboris vitæ auxilio homo in æuam conseruaret, nisi per culpam excidisset: ita etiã salus eiusdem spiritualis in recta earum potentiarum, ac facultatum temperatione, ac moderatione consistit, quæ in homine etiam pugnant, & contraria inuicem sunt: scilicet ratione & appetitu. Ergo linguæ sanitas, & innocentia cum arbore vitæ confertur: quia sicut hæc ad salutem, & valetudinem naturalem perpetuo conseruandam humorum pugna sedata, nata erat: sic etiam illa ad salutem spiritualem sublati rationis, & appetitionis diuini efficiendam, atque perpetuo tuendam satis est. Nam linguæ moderatio totum hominem temperat, atque componit, & appetitum rationi subdit. Quod exemplo equi, cuius totum corpus fræno ori iniecto eques circumferre, & in omnem partem flectere potest, venuste adumbravit D. Iacobus cap. 3.

Rursum verba Septuaginta: *Lingua sanitas arbor vitæ, qui autem custodit, &c.* sicut adent, vt de custodia linguæ eadem accipiamus. Fortasse enim sapietum illorum mens ea fuit, vt ad custodiam linguæ: exemplo arboris vitæ excitarent, ad quam asseruandam pulso ex paradiso homine Cherubin versatilem

17 *ignis gladium vibrantem præfecit Deus Genes. 3.* Inde enim ad custodiam linguæ optima similitudo ducitur. Accipe verba Chrysostomi in præmissio loco, *Quanam autem* (inquit) *fuerit hæc custodia nisi ratio, & cogitatio, quæ vrget terribiliter habens præ manibus ignem eos vsturum, qui ore suo temere vsi fuerint: quibus verbis planè mihi alluisse videtur ad Cherubin flammeum, seu ignitum gladium versantem, cui Deus viam ligni vitæ defendendam commisit.* Subdit Chrysost. *Et adhibe sanctorum, & custodem intentantem minas, & hanc portam nun-*

quam in tempestatibus aperies, sed tempestatibus, & propter lucrum, & bona innumerabilia. Quo circa dixit quispiam: *Memento nouissimum, & in æternum non peccabis.* Vidisti quomodo hic quoque hanc præfecit cogitationem: ego vero ipsam etiam feci terribiliorem, non solum propter finem, sed etiam post finem, cum dixi eum habere præ manibus. Denique post quædam alia subdit protoparentes nostros ob linguæ intemperantiam è paradiso eiectos, atque adiutum ad vitæ lignum eiusdem interdictum, *Cum eo custode* (inquit) *alium quoque ei appone, qui dicat, Omnis verbi otiosi reddes rationem in die iudicij. Cogita quod mors quoque ex eo ingressa est, nisi enim mulier loquuta esset cum serpente, vt locuta est, nisi verba dixisset, quæ ei minime conueniebant, damnum non*

B. Antio.

August.

15

Chrysost.

D. Chrys.

16

17

Genes. 3.

Chrysost.

accepisset, viro non dedisset, ille non comedisset, & paradiso erecti, & vite ligno priuari non fuissent. Ergo Chryostomus intemperantiae linguae tribuit Adamum, atque Euam e paradiso pullos, & ligni vitae vsu interdictos fuisse. Quapropter ad illa quadam tenus recuperanda eiusdem linguae moderatio, & custodia plurimum faciet.

V. *Stultus irridet disciplinam patris sui: qui autem custodit increpationes, astutus fiet.*

81

**S** *Stultus irridet, &c.* Hebr. non dissonant Chaldaeus: *Stultus reprobat disciplinam patris sui: & qui sibi cauet ab eius increpatione, callidus est.* Septuaginta: *Imprudens subsannat disciplinam patris: qui autem custodit mandata, astutior.* Aquila: *increpationes.*

Prior pars huius loci, vt posteriori respondeat, non ita quidem capienda est, vt patris monita execrati, aut refutare stulti prorsus hominis sit: hoc enim leuius esset: sed ita *Stultus irridet disciplinam patris:* id est, qui parentis sui correptiones, monita, & adhortationes despicit, hic quidem stultescit, hebescit, atque indies magis, ac magis desipit: *Qui autem custodit increpationes, astutus fiet,* nimirum qui eiusdem animaduersionibus acquiescit, prudenti astu indies augetur, ac cumulat. Ratio vero in promptu, quia cum nulla praecipua, & documenta, vel auidius arripiantur, vel altius animo fideant, quam paterna, eum, qui despicit tam salutare eorum correptiones, alienis adhortationibus nunquam obsequiturum esse exploratum est. De filiorum erga parentes obsequio alibi non semel multa diximus.

Nunc quidem tantummodo expendenda sunt verba illa, *Astutus fiet.* Hebraice עריר, ex *Hiphil*, verbi *Gharum*, quod serpentis astutiam notare ex Rabinorum censura supra non vno in loco animaduerti. Itaque illos, qui parentum correptiones auscultant, atque illis parent. callidissimorum serpentum astutiam, & prudentiam amulatos esse docet, id est, mirum in modum prudentes euasuos. Quapropter quemadmodum serpentes reliqua animalia calliditate, & astu facile vincunt: sic etiam ipsi reliquos homines prudentia, & cautione facile superabunt. Quod si vera est historia Alberti Magni, qui tradit angues omnes, atque serpentes catellorum suorum oculos foeniculi succo acuire, eam tam acere intuendi vim, qua deinde pollent (serpentes enim acutissime cernere exploratum est. Hinc verum est illud Horatianum,

*In amicorum vitis tam cernis acutum,*

89

(*Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius, &c.*) a parentibus eo auxilio, atque medicamento perfici: satis accommodata similitudo ducitur inde ad parentes, filiosque officij sui admonendos. Ille ergo pater omnino prudens est, & serpentis astum adaequat, qui sicut anguis acris, & mordaci foeniculi succo catellorum suorum oculos perficit: sic etiam ille filiorum suorum mentem, animumque seueris monitis, & mordacibus correptionibus exacuit. Ac rursus illi filij ad prudentiam serpentum tandem aliquando perueniunt, non oculorum, sed animi prospicientiam, & acutissimum intuitum adepti, qui parentum acres, atque serias correptiones libenter excipiunt. Pergo ad alia.

V. *In abundantia iustitia virtus maxima est: cogitationes autem impiorum eradicabuntur.*

20

**I**n *abundanti iustitia, &c.* His verbis non respondet aliquid in originibus, & in quibusdam etiam antiquis exemplaribus Latinis desiderantur: ea tamen retinet correctior textus, petitaque omnino sunt ex translatione Septuaginta: quod si verbum ex verbo restitueretur, sic habet: *In abundantia iustitia fortitudo multa: impij autem radicibus de terra peribunt.* Schol. *Cogitationes impiorum euellentur,* sicut nostra. Huc autem fortasse ad sequentis carminis clariorem interpretationem addita sunt a Septuaginta interpretibus: quod ab ipsis non semel fieri saepe alias admonui.

Sensus est luculentus: *In abundantia iustitia virtus maxima est.* Virtus hic non sic accipitur, quatenus opponitur vitio, sed pro fortitudine, ac robore: est enim Graece, ἰσχυρ. Itaque ait: Qui non parcet, & auare semetipsum iustitiae dedit, sed effuse, & liberaliter impendit, plurimam fortitudinem nanciscitur, hoc est, indies roboratur, & vires capessit aduersus omnia mala, vitia, infortunia, tentationes, &c. Et quidem verissima sententia haec est. Nam vt iustitia fortius animo infigatur, & ad omnes euentus instructa, & robusta sit, multa, & serua exercitatione opus habet: haec enim vsu, & exercitatione roboratur, & ad habitum perducitur. Vnde fit, vt quorundam iustitia debilis, infirma, & inermis sit non aliunde sanè nisi ex eo, quia non satis serid in illa sese exercent, & valde remisse illi sese impendunt. Subdit.

21

*Cogitationes autem impiorum eradicabuntur.* Perfecto impij dum terrena cogitant, atque tertend adamant, suorum ipsorum cogitationes, consilia, & cupiditates altius terrae affigentes, quodammodo in eadem radices agunt. Has igitur cogitationum, atque cupiditatum suarum radices, ac fibras stirpitus euellit Deus. Vt autem haec posterior pars priori respondeat, sic exponenda est. Impij cum ex se mobiles sint, & instabiles, ea solum ratione se obfirmandos putant, si rebus terrenis cupiditate, ac cogitatione adhaerentes in his radices altius mittant. Ergo Salomon eas radices omnino a Deo conuellendas esse dicit, atque adeo illos nihil soliditatis, ac firmitatis habituros.

VI. *Domus iusti plurima fortitudo: & in fructibus impij conturbatio.*

**D**omus iusti, &c. Hebr. *Domo iusti plurima fortitudo, & in prouentu impij conturbatio.* Chald. non abludit Septuaginta: *Domus iustorum fortitudo multa: fructus autem impiorum peribunt.* Alij item ex Hebraeo conuertunt: *Domus iusti thesaurus multus.* In his Caietanus.

Hic ergo locum istum ad hunc modum edisserit: *Domus* (inquit) sumitur pro familia. Atqui inter iusti, atque impij familias hoc interest, quod iusti familia fideliter agens rerum domi conditarum asseruationi vacat: atque adeo nunquam exhauriuntur. Familia vero impij aliter se habet: nam dum quisque partem aliquam sibi ex turbatis rebus auferre fatagit: in ipsamiet (vt ita dicam) messe, cum fructus percipiuntur, iam tunc deficere incipiunt. Quid certius? Passim videas homines, qui in amplissimis agrorum, praediorumque prouentibus deficiunt, & inopia premuntur: nimirum quia famulorum, &

domesticorum nulla fides est. Iusto igitur ob iustitiae meritum fidelis, & iusta familia promittitur: iniusto item impia, infidelis, & furax.

Secunda interpretatio est Rodolphi, & Iansenij, qui cum etiam legant: *In domo iusti thesaurus multus, &c.* sic exponunt. Iustus cum obit, plurimas facultates relinquit, quas filij pacifice auferunt; at impio obeunte familia illius exturbatur, & super fructus, censumque illius litigant, imò digladiantur hæredes.

22. Vulgatam lectionem ad supradictas interpretationes sine aliqua vi allicere integrum est: quia nomine fortitudinis diuitias, & thesauros capere prorsus licet (ut alibi me admonuisse memini) præsertim cum vox originalis vtrumque pariter, diuitias, & fortitudinem sonet. Sed tamen alij sic exponunt, *In domo iusti plurima fortitudo.* Hæc verba, inquit, Christi Domini sententiam expriment, *Matth. 7. Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui edificauit domum suam supra petram, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: quia fundata erat supra petram.* Ergo si ad hunc sensum verba Salomonis accersamus, ait: *In domo iusti*, eius scilicet, qui legem Dei sedulus obseruat, & iustitiam accuratè colit (siue per hanc domum conscientiam, siue animum capiamus) plurima quidem fortitudo inest: utpotè, quæ super ipsam iustitiam, tanquam supra solidissimam petram erecta est: atque adeò nulla pluiarum, fluminum, aut ventorum vi conuelli, atque impelli poterit: *Hic autem, & pluuiam* (inquit Chrysostomus) *& flumina, & ventos translatione verborum afflictiones, & ingruentia hominibus pericula nuncupauit: calumnias videlicet, insidias, luctus, interitum, aliorum impugnationes, desertiones suorum, ceteraque omnia vitæ presentis incommoda.* Et post pauca ita subdit: *Testimonio sint Apostoli, quæ fluctibus totius mundi in se pariter irruentibus, ad cunctas coniuatas aduersum se impugnationis machinas, pulsata fructibus rupe fortius constituerunt.* Sed tamen illa posterior pars, *Et in fructibus impij conturbatio:* ad hunc sensum difficile vocari potest.

23. Quapropter mea de hoc versu coniectura sic habet, per fortitudinem quidem non copias, & diuitias intelligi, ipsosmet terræ fructus, & prouentus, qui messis tempore in domos, & in apothecas inferuntur. Et quidem nomine fortitudinis agrorum fructus notari ex quibusdã alijs scripturæ locis euincipoteff Genes. 4. sic Deus ad Cain. *Et terra non dabit tibi fructus suos.* Hebraicè: *fortitudinem suam.* Et Iob. 6. *Nunquid dixi: afferre mihi de fructibus, & de substantia vestra donate mihi?* Hebraicè: *de fortitudine vestra.* Pagninus: *de fructibus vestris.* Et cap. 31. *Si fructus eius comedi absque argento.* Hebraicè: *Si robur eius, &c.* Ergo sic interpretor: *In domo iusti plurima fortitudo.* Inter iustum videlicet, atque impium hoc interest, quod iustus quidem fructus, & prouentus, quos illi ager copiosissime effundit, ab omni iniuria, & iactura immunes in domum suam infert, & in horrea recondit.

*Et in fructibus impij conturbatio:* nimirum ex aduerso fructus, & prouentus, quos ager improbi hominis affert, antequam ad messem, vel apothecas veniant, iniurijs temporum disperdentur, atque peribunt, vel creditorum actionibus auferentur. Hoc sibi volunt extrema ista verba, quæ Septuaginta clarius extulerunt: sic *& fructus impiorum peribunt:* Et quidem Deum in sceleratos homines sic animaduertere solitum comprobatur illa senten-

tia, quam Deus tulit contra Cain, supra adscripta, nec non alia scripturæ loca.

VII. Labia sapientum disseminabunt scientiam: cor stultorum dissimile erit.

24. **L**abia sapientum, &c. Hebr. *Labia sapientum spargent scientiam, & cor stultorum non sic.* Pagninus: *Non erit rectum.* Chald. *Labia sapientum notam faciunt scientiam, & stultorum non ita.* Sept. longe aliter: *Labia sapientum alligata sunt sensu: B* corda autem imprudentium non secuta. Symmach. *Labia sapientum custodiunt scientiam.*

Sensus istius loci communi interpretum consilio, non alius est, quam verba sonant. *Labia sapientum disseminant scientiam:* id est, sapientes, ea quæ ipsi cognitione assequuti sunt, atque scitu digna esse existimant, non reticent, & alte in animo premunt: sed labijs suis effundunt, & in vulgus spargunt, ut plurimos imbuere possint. Verbum autem illud *disseminant*, emphasim habet, & præcipua doctoris optimi munera complectitur. Ex multis ergo, quæ apud Patres lego, aliqua tantum hic dabo. Origenes quidem homilia prima in Exodum. Doctoris in edocendo accuratam diligentiam semetis exemplo comprobatur. *Videtur enim* (inquit) *mibi vnusquisque sermo scripturæ simile alicui seminum, cuius natura hæc est, ut cum iactum fuerit in terram, regeneratum in spicam, vel in quacumque aliam sui generis speciem multipliciter diffundatur: & tanto cumulatus, quanto vel peritus agricola plus seminibus laboris impenderit, vel beneficium terræ indulserit.* Itaque doctrinæ, ceu feminis alicuius incrementum, & seges, curæ, & labori doctoris adscribit. Id ipsum eleganter exprimit Chrysostomus homil. 7. in Ioannem. *Terra* (inquit) *semel accepto semine mox profert fructus, neque indiget altera satione. In anima nostra non ita vsu venit: sed frequenter, & summa cum diligentia in ea serendum est, ut vel semel fructum accipiat. Primum enim non facile incidunt verba Dei, quoniam multa subest durities, multis obstruitur spinis anima, multi adsunt insidiatores semina diripientes. Deinde cum germinant, & radices agunt; iterum indigent diligentia, ut ad maturitatem perueniant, ut integra perstent, & a nemine ledantur. In seminibus enim, cum è vagina spica eruperit, & robur suum acquiserit tunc rubiginem, & cetera noxia facile contemnit: in doctrina verò perfectum iam opus nonnunquam aliqua ingruens tempestas perdit, &c.*

26. Rursus Clemens Romanus (vel quisquis ille est) in lib. 3. recognitionum ex persona Diui Petri sic factur: *Sed quoniam necesse est agricolam, qui vult bonam terram seminare, nonnulla semina perdere, etiã in petrosi, aut in his, quæ ab hominibus conculcanda sunt, vel in dumosis, aut senticetis, sicut & magister noster exposuit diuersitatem propositi cuiuscumque anime per hæc indicans. Non morabor omnibus dicere, etiamsi iacturam seminis facturum sim in quibusdam.* Itaque Petrus sua det sementem quidem verbi minime intermittendam esse, etiamsi in quibusdã auditoribus opera laudatur. Ab hac sententia parum abijt Chrysostomus in homilia prima de Lazaro. *Etenim si agricola proinus ab agricolatione resiliat, quod semel, atque iterum, aut sapius acciderit inæqualitas aeris, breuè fame omnes periret. Quin imo ruricola vbi semel, atque iterum, ac sapius semen aruo commisit, nec vobis responderet prouentus, rursus eandem exercet segetem: nec raro accidit, ut totius temporis iacturas vno tantum modo sarcias anno. Cum ergo illi tantum adhibeant curam*

Matth. 7.  
num. 14.

Chrysost.

Genes. 4.  
num. 12.  
Iob. 6.  
num. 22.

Origenes.

Chrysost.

Cl. Rom.

Chrysost.

circa res ad presentis vitæ usum pertinentes, quarum exitus sit incertus si loquentes non audiri fuerimus, illico desinemus? Et quam obtinebimus veniam? Ad hæc idem Chrysostomus homilia prima ad illa verba Isaia. *Vidi Dominum sedentem in throno, &c.* De doctoris alacritate ad docendum, cum doctrina auditorum animis sedet, exemplo seminantis sic addit. *Eo nunc haud grauatæ semen doctrinae iacimus, quod hinc bona spes alit animum nostrum. Nā & agricola cum non sine labore semina deposuit, sed videt terram feracem, segetemque prouentis exuberantem, superiorum laborum obliuiscitur: & ad reliquum operæ, conseruationemque priorum lucri expectatio excitat. Verum hæc nostra agricolatio quanto feracior, quantoque lucrosior est? Et breui verborum interstitio adnectit. Hæc igitur (supple semina) verborum cum considero in vobis augescere, gaudeo certe, ut qui non frustra fecerim verborum sementem, nec frustra labores pertulerim, ut qui in fructiferam, pinguemque terram, & ad fructificandum idoneum semen iecerim.* Eadem similitudine vititur homil. 54. in Genesim. Rursus in homilia 2. in Genesim, quam docendi occasionem captare oportet, seminantis ruricolæ symbolo adumbrat. *Quæ admodum agricola uberrimè seminant, sic ubi viderint agrum repurgatum, & ab herbarum nocuentis liberum: ita quoniam nunc spirituale hoc vestrum aruum purum est ab affectionibus, qua interturbare solebant, sublatur quoque est è medio voluptatum studium: nusquam procella, nusquam tempestas cogitationum: sed serenitas, & magna quies mentu: ideo nos ad verbum Dei seminandum bonam nacti occasionem depromptas ex diuinis scripturis nonnullas subtiliorum sensuum doctrinas vobis proponere conabimur.* Diuus Ambrosius cum Chrysostomo concinens in lib. 1. de Cain, & Abel, exemplo agricolæ, qui ad sementem faciendam pluuiam prætolatur, doctorem commonet, ne antevertat tempus ad docendum natum, & idoneum. *Qui plura? Idem Chrysostomus inter cõcionatorem, & agricolam quid interfit, edocet homil. 18. in Ioannem. Non eadem (inquit) conditione qua agricola, verbè diuini sunt præceptores: si quidem illi post annos, sudores miseramque, & laboriosam vitam, si quando terra operis in se impensis non respondeat, nemo eius damnum instaurare potest: pudibundus, ac tristis ab arca ad uxorem, laborosque reuertens ruricola, à quo longi laboris mercedem petat habet neminem. At in nobis eiusmodi nihil accidit, sed licet terra exculta fructus nihil afferat, Dominus bonanos spe dimissos non frustratur, non secundum euentum, sed secundum suum quemque laborem remunerans.* Et homilia 41. in Genesim ait. *Agricola quidem non pari alacritate seminat cogitans fructus hæcenus fuisse inutiles: nos autem ab hac curâ liberi sumus. Nam licet iacto æquali semine ob auditorum ignauiam fructum non capiamus: perfectæ tamen nobis est futura messis, ac merces.* Prætereo multa alia documenta, quæ Patres ab agrorum satione petita doctoribus accommodant: hæc enim satis sunt, vt constet, quam apte Salomon verbum disseminandi hic adhibeat, cum ait. *Labia sapientum disseminabunt scientiam* Nam eadem seminandi metaphora omnes fere præclari doctoris conditiones, & munera complexus est. At iniquies, in Hebræo non est *disseminabunt*, sed *spargent*? Respondeo vulgatum eo verbo usum fuisse, qui non nisi Spiritus Sancti afflatu, hæc, & alias eiusmodi metaphoras in libros sacros coniecit. Addo etiam Dittum Gregorium eam loquutionem expendisse: ac tum demum dico spargere metonymice usurpatum pro seminare, genere pro sua specie sumpto.

D. Chryf.

17

Ambros.  
D. Chryf.D. Chryf.  
18

**A** Septuaginta quidem aliter locum istum expresserunt hoc modo. *Labia sapientum alligata sunt scientia.* Quapropter huius metaphora vim enucleare oportet. D. Amb. in Psal. 37. & Nazian. in oratione Apolog. 1. cõtra Iul. *ligata labia* sic intelligit, quasi vinculis quibusdam innodata, & adstricta, vt cum velint, eadem replicatis nodis resoluerè possint. Ambrosius enim sic ait. *Labia sapientum alligata sunt sensu: eo quod omnia, quæ loquuntur, vero sensui congruere videantur, & sensus etiam sui prudentia intelligant, quæ loqui debeant vel tacere: vt quæ silenda sint, cohibeant claustro quodam, ne xuque labiorum: in his autem, quæ oporteat dici, labiorum vincula resoluant.* Sunt qui putant similitudinem quidem petitam ab cane aliquo mordaci, qui ne obuios quosque laceret interdum illigatur. Itaque sic exponunt. *Labia sapientum alligata sunt sensu: id est, à ratione obstricta sunt ne quemquam demordeant, iniuriis, detractio, &c.* Quapropter ad illa, quasi ad ligatum canem accedere cominus secure licet. *Stultorum autem labia non sunt securæ.* Nemo scilicet ad ea securè, & tute accedit, nemo scilicet ad ea securè, & tute accedit, nemo sine morsu discedit.

Ceterum si verborum sonum teneamus, ad secreti, & arcani obseruationem pertinere videntur hoc modo. *Labia sapientum alligata sunt sensu: id est, ratione, atque prudentia obseruata sunt: atque adeo commisi lecreti nihil effluit. At stultorum labia non sunt securæ: nihil tute, & securè illis committi potest: carent enim claustro, & vinculis.* In quos sane aptissime cadit illud Plutarchi in Moralibus, cuius meminit Maximus. *Vt crumenarum absque vinculis nulla est utilitas (nimirum quia pecuniæ secure in illos conici non possunt) sic etiam oris claustro carentis nullus est usus.* Sed quamuis hæc non inepte dicantur: nihilominus tamen agre ferotam dissimilem sententiam, & à vulgata lectione abhorrentem subesse translationi Septuaginta. Nam vulgatus dicit sapientis esse ea, quæ nouerit, labiis suis disseminare, & spargere in vulgus: Septuaginta contra suadere videntur ad sapientem spectare eadem celare, & obsignare: quæ duo videntur secum pugnare. Quapropter existimo aliter hæc verba Septuaginta non longe à vulgari sensu exponi posse, ad hunc modum.

**E** *Labia sapientum alligata sunt sensu.* Græcè δὲ τῶν λόγων verbum δὲ significat quidem adstringere, & vincire, aliquando etiam conspirare. 4. Reg. 12. *Et surrexerunt serui eius, & ligauerunt omnem colligationem, & percusserunt Ios.* Hebraicè, *conspirauerunt conspiratione.* Vulgo etiam dicimus. *Hæzer liga.* Ergo præfata verba sic interpretor. *Labia sapientum alligata sunt sensu: id est, idem sensus, atque eadem sententia sapientum labia conuenire facit, ita vt eadem, & non disparia, aut dissimilia omnes dicant: nam cum idem de virtute, atque officiis omnes sentiant, omnes etiam eodem modo loquuntur.* Ad hunc modum. *Sensus alligat, id est, conspirare facit labia sapientum. Quid certius? Veritas quidem vna est: quapropter sapientes, qui eam attingunt, eodem modo de illa pronuntiant. Subdit. Corda autem stultorum non securæ.* Græcè ἀσταβῆς: id est, non stabili, non firma, non solida, hoc est, mentes eorum nihil offirmatè, & constanter tenent: atque adeo multifariam, & dissimiliter loquuntur. Nam mendacium multiplex est, atque varium: vnde fit, vt stulti, atque insipientes, qui mendacia sectantur, diuersis disfracantur sententiis, atque diuersimode loquantur. Quod in hæreticis videre est, inter quos tot sunt sententiæ, quot sunt capita. Hærelin Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratianum

19  
Ambros.  
D. Nazianus.

30

Maxim.

4. Reg. 12.  
Num. 2.31  
Ambros.  
num

nūm lerna multicipiti composuit, cui vno capite exciso, alia, atque alia succrescebant, *Hæresis* (inquit) *velut quedam hydra fabularū vulneribus suis creuit, & dum sepe reciditur, pullulauit, igni dedita, incendioque peritura: aut velut quedam mostrosi scylla portenti in varias formas distincta perfidia, velut superne vacuum Christiana secta nomen obtendit* (alludit ad Cenotaphia) & quos in illo impietatis sue freto reperierit fluctuantes, tetri dogmatis seuo dente dilacerat: cuius speluncam sicut *Ulysses* (vt ferunt nautæ) cæcis latebris inhorrentem, omnemque eius viciniam ceruleis canibus inter perfidia saxa resonante clausa quodammodo præterire aude debemus. Hæc autem sententiarū tam multiplex dissimilitudo linguas etiā distrahit: quapropter vix duo eodem modo loquuntur. Hiero. in c. 2. Michææ. *Quemadmodū* (inquit) *in fabrica turre lingua, que male unita fuerat separata est, & pessimum fœdus vili diuisione concisum: sic & capita hæreticorum, &c.*

Hieron.

Et quidem ad hunc sensum allicienda est lectio vulgata, vt statim patebit. Præmitto autem posterioris partis genuinam sententiam. *Cor stultorum dissimile erit.* Hebraizantes communiter. *Cor autem stultorum non sic.* Rodolph. autem sic exponit. Quamuis sapientes ea, quæ scitu digna sunt, libenter spargant, & disseminant, tamen stultorum corda nõ sic expedita, & mollita sunt ad hoc semen excipiendum, ita vt ex eorum documentis proficiant. Ianfenius non sic (inquit) id est, stultorum corda, à quibus labia impelluntur, non ita scientiam, & prudentiam disseminant: sed magis stultitiam, & recordiã effundunt. Atque eo sensu donat illa verba. *Cor stultorum dissimile erit:* id est, nequaquam ad simile erit sapientium labiis. Quam interpretationem tradunt etiam Hugo, & Lyra. Cæterum D. Gregor. aliter explicat ad hunc modum, Pastoral. curæ 3. par. admonit. 19. *De istis quidem ab Sa'omone scribitur, Cor stultorum dissimile erit, cor quippe sapientium sibi metipsis semper est simile, quia dum veris persuasionibus acquiescit, constanter se in bono opere dirigit: cor vero stultorum dissimile est, quia dum mutabilitate se varium exhibet, nunquam idem quod fuerat, manet.* Beda sequitur Gregorium. Commendat quidem sententiam Ianfenius, tamen eam parum accommodatam, imò alienam esse dicit à Sapientis proposito. Cæterum (vt dicam etiam quod sentio) eius censura inepta, & longe à veritate aliena est. Obseruandum autem est Hebraicè pro illis verbis, quæ ipsi conuertunt non sic esse לֹא כֵן *Lochen*, vox autem *Chem*, si capiatur pro aduerbio, idem est, quod *sic*: si vero nominis vim obtineat, rectum significat, & firmum. Hinc nata lectio Septuaginta. *Corda stultorum non firma, non stabilia*, quam nuper expendi. Noster ergo adhærēs prorsus translationi Septuaginta, & ab Hebræorum nugis longe abiens, eundem sensum sua lectione expressit. Nam *cor dissimile* perinde est, ac *stabile, non firmum*: id est, quod nulli sententiæ obfirmata adhæreret, & à semetipso passim diffidet. Ex quo fit vulgato textui, ac translationi Septuaginta non dissimilem subesse sententiam. Itaq; nostri interpretis verba hunc sensum reddūt. *Labia sapientum disseminabunt scientiam:* quia dum omnes in eadem dogmata, & doctrinam eandem conspirant, facile eadem spargunt, & vulgo recipi, & celebrari faciunt. Quod si verbum illud *disseminabunt*, striete accipias, non inepte dicemus similitudinem duci nõ ab agricola: sed potius à bobus, vel aliis animatibus sociatis, iugo videlicet alligatis, & astrictis, quæ terram vomere profcundunt, & sementem faciunt. Atque ei expositioni adaptare licet verba illa Septuaginta. *Labia sapientum alligata sunt sensu*, id est, sociata, & coniugata ad dogmata disseminanda. Ex

Tom. 1.

A aduerso autem. *Cor stultorum dissimile erit*, id est, stultitia se inuicem dissidebunt, & nulla ratione conuenient. Vel vt habent Septuaginta. *Corda autem stultorum non firma, id est, nec dum domita, & mansueta ad a rationem, sumpta similitudine ab eisdem bobus: ita enim vulgo dicimus de quolibet animante nec dum domito, & cicurato. Queno es seguro.*

VIII. *Victima impiorum abominabiles Domino: vota iustorum placabilia.*

V *ictime impiorum, &c.* Hebraicè: *Sacrificium impiorum abominatio Domini, & oratio rectorum voluntas eius.* Chald. *Et in oratione iustorum placabitur.* Septuaginta: *Vota autem recte ambulantium accepta apud Deum.* Aquila, Symmach. & Theodotion. *Vota rectorum.* Scholiast. *Vota rectorum stabiliuntur.*

35

Vota in hoc loco non significant oblationes, aut libamenta aliqua, (vt passim alibi) sed orationes, & animi desideria: atque adeo sensus est facilis. Paræmia enim hæc significat, Deum optimum maximū, non tam ad opera externa, quam ad interna vota, & animorum intentiones inspicere, hisque magis placari, & conciliari, quam illis. Itaque ait: *Victime impiorum abominabiles Domino*, nimirum impiorum hominum Hecatombæ, aut si quæ aliæ hostiæ, aut victimæ magis numerosæ libantur, Deo omnino ingrata, & inuisa sunt, si absit recta intentio, & animus ad Deum conuersus, & intētus. *Vota vero iustorum placabilia*, hoc est desideria tantummodo, & preces piorum hominum ex animo ad Deum fusæ gratissimæ illi sunt. Quid certius? Sane Deus corda appendit, non opera, intentiones recipit, non officia. Hinc est illud August. ser. 19. de verbis Domini *Deus cor interrogat, non manum*: quapropter etsi plenas manus offeras corde vacuo, Deus minime placatur: vbi cor manumq; duas eiusdem stateræ lances esse putat, quæ vel omnino in æquilibrio futuræ sunt, ita vt cor per omnia manibus respondeat: aut quod satius est, cordis pondus manus eleuare debet, ita vt opera superet omnino desiderium, & intentio. Eiusdem sententiæ passim occurrunt alia loca in scriptura.

E IX. *Abominatio est Domino via impij: qui sequitur iustitiam, diligitur ab eo.*

A *bominatio est Domino, &c.* Hebræa non dissonant. Chaldæus item non dissentit. Septuaginta paulo aliter, *Abominatio Domini via impij: sequentes autem iustitiam diligit.*

34

Sensus est. Ratio viuendi impiorum Deo valde ingrata est: ex aduerso autem eos, qui colunt iustitiam, & pietatem, impense diligit. Nil certius. Extrema illa verba, *qui sequuntur iustitiam*, vel vt habent Hebræa ad verbum *persequentes iustitiam*: Rodolphus, & Ianfen. sic expendunt: iustitiam utiq; fugientem velocius insequentes. Iustitia enim inquirunt, ac pietas propter nostræ conditionis proclives in vitia propensiones nos quodammodo fugiūt, atque adeo illas auidius insequi oportet, etiā si nonnumquam assequi non liceat, iuxta illud Psal. 33. *Inquire pacem, & persequere eam.* Concordia enim labilis, & fugax est, atque adeo persequenda est. Cōcinit ergo locus iste cū superiori. Nam ne langueat omnino sententia, ita mihi accipienda videtur. Per viam impiorum, quæ ad terminum pergit, nec dum tamē attingit, eorum praua desideria intelligo. Item nomine sequentium iustitiam eos notari existimo,

Psal. 33. num. 15.

Y y

qui votis, ac desiderijs eam sectantur: nec dum vero illam operibus assequuti sunt. Cum igitur pramississet Salomon Deum ad desiderium potius, quã ad opera hominum intendere solitum. addit, vias impiorum, hoc est, illorum tantummodo desideria, & studia Deo cum primis inuisa esse. Ex quo fit, vt quaedam etiam præstantissima opera, quæ pia, & religiosa videbantur: scilicet victimas, hostias, & libamina, & alia eiusmodi, prauis eorũ studiis vitata Deus omnino exosa habeat: nec dum illa, quæ per se mala sunt. *At vero frequentes iustitiam Deus diligit*, id est, nõ modo illi, qui ipsam iustitiam jam-jam operibus honestis, & exercitatione pietatis tenent: sed etiam hi exercendõrum operum copiam, & facultatem fortasse non habentes, tamen votis, & desiderijs ad illam contendunt, & illam consecantur, ipsi magnopere placent.

35

Matth. 7.  
num. 1.

Potest etiam aliter locus exponi. Habent sane impij motus quosdam, & impetus ad pietatem: sed valde ignauos, ac desides, quos, quia nunquam ad opera, & actiones, perueniunt, Christus Dominus refutat Matth. 7. *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, &c.* Verba sunt optantis, & gestientis, sed nihil serio perficientis. Ideo subdit, *Sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui in caelis est.* Ergo si per viam, vel iter impiorum: (ita enim aliqui conuertunt) eiusmodi socordes, & pigros ad virtutem, & iustitiam eorundem motus intelligamus, sensus erit. *Abominatio Domini via impij.* Quasi dicat, tædio sunt Deo viæ impiorum & motus illorum ad iustitiam socordes & ignauos plurimum odit: quia in desiderijs semper degunt, nec boni quidquam serio exercent. *Persequentes autem iustitiam diligit.* Verbum illud *persequentes* summam cõtentionem significat, qua iusti pietatem, & honestatem tam diu votis affectantur, quoad opere, & executione eandem assequuntur.

X. Doctrina mala deserenti viam vitæ: qui increpationes odit, morietur.

36

**D**octrina mala deserenti, &c. Hebr. *Correptio mala relinquit semitam.* Reliqua concinunt. Ex vulgatis codicibus antiquis aliqui sic absolutè enunciant. *Doctrina mala deserentium viam:* adiungunt autem illud *vite.* Chaldæus. *Disciplina mali hominis errare facit viam suam.* Septuaginta. *Disciplina innocens cognoscitur à prætereuntibus: qui autem oderunt correptiones, moriuntur turpiter.* Scholasticus. *Malum derelinquenti viam.* Sanctus Cyprianus extrema verba sic extulit libro primo Epistol. 11. *Qui autem oderunt correptiones, consumuntur.* Ex Rabinis aliqui sic legunt. *Morietur ante tempus suum.*

Cyprian.

Huius loci alias, atque alias interpretationes commententi sunt Doctores. Hugo Cardinalis his accommodat, qui docent, & non faciunt adhuc modum. *Doctrina mala deserenti viam vitæ.* Nimirum doctrina, qua quis alios informat ad iustitiam, cum ipsemet Doctor eam non exequitur opere, mala quidem, & perniciosa est, non ex capite. Primo, ipsemet docenti. Quia vt ait Diuus Prosper. *Male viuere, & bene docere nihil est aliud, quam semetipsum propria lingua damnare.* Et Chrysofostom. homilia 17. in Matthæum. *Docere (inquit) absque operibus condemnat docentem. Qui enim cum seipsum docere nequiverit, alios emendare conatur, irrisioni est expositus plurimorum. Imo nec docere quidem talis valebit, cum clarius magnis vocibus ipsa facta reclamant.* Sed accommodatius ad illa verba, *Deserenti viam vitæ,* Pseudo Chrysofost-

Prosper.

Chrysofost.

Pseudo  
Chrysofost.

mus homilia 9. in Matthæum. *Qui docet, verborum suorum ipse sit exemplum, vt magis opere doceat, quam sermone: qui autem ambulat per conualitas, vita terrena obscuras semitas calcans, & loquitur altos sermones, non alterum instruit: sed se ipsum castigat, Nemo enim potest in valle stare, & de monte loqui: sed aut vbi stas, inde loquere; aut vnde loquaris, ibi sta. Si in terra animus tuus, vt quid de caelo loqueris? &c.* Pende illa verba, non alterum instruit: sed seipsum castigat. Quia siuimet verbis seipsum quodammodo percellit, & fauciat: nam cum doctrinã ad instar gladij obtineat, doctorena ipsum, si quidem obuius sit, primum perfodit, quia vicinior est. Sed ne quid desit præfatæ sententiæ, libet subnectere elegantem exhortationem, quia post monitum doctorem, auditorem etiam commonefacit. Postquam enim illum ex bonæ vitæ altitudine eloqui debere dixit, hunc ad melius audiendum eandem altitudinem conscendere oportere, luculentis verbis suadet. *Sic & tu si facere iustitiam omnino non vis, vt quid Doctorem illum appellas, cuius non vis esse discipulus? intellige ergo: dico enim tibi rem naturalem, si tu es super montem, & prædicator in valle, tu sursum constitutus audis vocem illius, quia vox melius sursum ascendit: si autem tu steteris in valle, & doctor tuus super montem loquatur, nihil tibi proficiat loquela ipsius: vox enim aures præteruolat.* Hæc ille. Secundo doctrina illius, qui docet, non tamen facit, non modo ipsimet damnum non leue, sed etiam auditori perniciem affert. Præmissus author in homilia 10. in Matthæum. *Melius est facere, & non docere, quam docere, & non facere, quia qui facit, aliquos corrigit suo exemplo. Qui autem docet, & non facit, non solum neminem corrigit: sed adhuc multos scandalizat. Quis enim non moneatur ad peccandum, cum viderit ipsos doctores iustitia peccantes?* Ad hæc hic homo docens, ea tamen quæ docet, factis nequaquam exequens, fidem doctrinæ apud auditorem adimit. Et licet alias eum perdoceat, tamen ad transgrediendum ea, quæ nouit exemplo suo inducit: atque adeo eius conditionem deteriorè reddit: nam prius ignoratio eius culpas non parum eleuabat, quas iam tunc postea cognitio per doctrinam parit eadem grauiores reddit. Tertio ille, qui docet, & non facit, non semetipsum solum auditoremque, sed diuinam etiam lædit iniurius maiestatem. Imperfectus in ea homilia 10. *Per illos (inquit) doctores, qui docent, & faciunt, magnificatur Deus: per eos autem qui docent, & non faciunt, blasphematur. Vt puta, si bene doceant, & melius viuant, gentiles, qui audiunt, dicunt: Benedictus Dominus, qui tales habet seruos, vere quidem eorum Deus est verus Deus. Nisi enim ipse bonus esset, ac iustus, nunquam populum suum circa iustitiam sic teneret. Nam disciplina Domini ex moribus familie demonstratur: nec potest homo bonam opinionem habere, qui malam familiam habet. Vnde dictum est ad populum Dei: Nomen enim Dei per vos blasphematur, &c.* Mala ergo est doctrina eius, qui docet, & non facit: mala inquam ipsi, mala item auditori, & mala etiam quodammodo Deo.

37

Imperf.

F

Secunda interpretatio est Rodolphi, qui hunc locum de filiorum mala educatione exponit ad hunc modum. *Doctrina mala deserentium viam vitæ.* Id est, quicumque virtutè deserentes sese libidinis, ac vitijs mancipant, ex his sunt, quos parentes à pueris haud sedulo instituunt, nec seueris correptionibus cõpescunt. Non tamen impune hoc faciunt filii. Nã qui odit increpationes, morietur, id est, qui paternis monitis, & correptionibus nõ acquiescit, præcoci interitu multabitur. Nam vt vita lógior, & diuturnior

38



his promittitur, qui parentibus obsecundant: ita vicissim mors maturior filiis peruiacibus intentatur.

Sed tamen huius rei rationem optimam alibi dedi.

Tertiam interpretationem addit præfatus Rodolphus, cui hærent Iansenius, & Caietan. qui nomine doctrinæ castigationem, atque correptionem notari existimant. Est enim Hebraicè מוּשַׁר de cuius vocis vi, ac significatione iam inde supra non semel dixi. Ergo sensum ad hunc modum conformant. *Doctrina mala deserentium viam vitæ*, id est, eos, qui à semita virtutis ad vitiorum propatulam viam deflectunt, seu erior, ac durior Dei correptio, & animaduersionis manet. Secundam vero partem ad eundem ferme sensum alliciunt hoc modo. *Qui odit increpationem, morietur*, id est, quicumque in hac vita labores, molestias, tærationes, & alias Dei ereptiones detrectat, morti addicetur æternæ. Nam cum temporales isthæc ærumnæ iustis immittantur à Deo: quicumque ad tempus affligi, & cruciari nolunt, æternorum suppliciorum se reos sponte faciunt.

39

Sed licet præfata expositiones non omnino displiceant, tamen alia mihi succurrit accommodatior, & cum nostra lectione cohærentior ad hunc modum.

*Doctrina mala deserentium viam vitæ, &c.* id est, deserentibus viâ vitæ (genitiuus pro datiuo, quod alias vsu venire animaduerti.) Quasi dicat; illis sane qui arctam viam vitæ, id est, honestatem & virtutem omnino deseruerunt, vt latæ, atque spatiosæ se committerent, *mala*, id est, ingrata, & molesta est doctrina, aut correptio præceptoris: qui autem eo deuenit nequitia, vt increpationes, & hortaméta doctorum odio habeat, is quidem miserimè interibit. Eleganter quidem Plutarchus in Moralibus, tria distinguit hominum genera. Primum eorum, qui vt ab his corripiantur, præceptores suos adeunt.

Plutarch.

Secundum eorum, qui non querunt quidem eos, qui monent, & corripunt, tamen cum forte inciderint, eorum obiurgationes non ægre ferunt. Tertium denique illorum, qui nec querunt, nec sustinent. Itaque sic ait. *Qui denibus laborant, Medicum ipsi adeunt, malum exponunt: qui febre tenentur, accersunt. At phreneticus nec accersit, nec admittit ad morbi sui vehementiam. Ita qui vitia sua celant, & admonitiones recusant, de his nulla salutis spes est.* Sed quid causæ est, quod his, qui increpationes repudiant, interitus proxime impendat? Rationem quidem obtulit Plutarchus, *Vt difficillimè (inquit) sanantur, qui sui sensu carent in morbo, velut lethargici, ac phrenetici: ita difficillimè reuocantur ad bonam mentem, qui non agnoscunt sua vitia.* Ac rursus. *Vt initium sanitatis est sensus morbi: ita correctionis initium, agnoscere culpam.*

August.

Illi autem, qui increpationes, animaduersionesque recusant, suorum scelerum grauitatem se ignorare satis produnt. Diuus Augustinus sermone 59. de verbis Domini sub hac lethargici hominis similitudine in eos, qui corripientes auersantur, inuectus sic ait: *Prorsus tales sunt homines lethargicis similes, qui in lucem oculos intendere pigrescunt, & his, qui eos excitare volunt, molesti sunt. Recedite à me, ait lethargicus. Quare? dormire volo. Sed ille: Morieris. Inde ille amore somni mori volo respondet. Sed charitas desuper: nolo.* Quid mirum ergo, si mors vicinior illi impendat, qui mori se mauult, quam curari?

40

De lectione Septuaginta aliud iudicium ferendum est. *Disciplina innocentis cognoscitur à prætereuntibus: qui autem oderunt correptionem, moriuntur turpiter.* Sensus est. Iustum quidem, atque innocentem disciplinæ, atque correptioni subiectum esse, non modo parentibus, & amicis, ad quos spectat familiares suos officij admonere, & delicta eo-

Tom. 1.

rum carpere, quorum etiam admonitiones, & hortamenta iucundius excipiuntur: sed etiam prætereuntibus, id est, peregrinis, & alienis hominibus exploratum est: ab his enim se corripere, & coerceri non ægre fert. Qui autem non aliorum tantum, sed amicorum animaduersionibus non acquiescunt, *turpiter occiduntur*, aut *moriuntur*. Nimirum, quia propter sua delicta, turpem & indecoram mortem mastratum arbitrio subibunt in crucem acti, laqueo strangulati, aut igni traditi, vel si quid turpius est. Et quidem apposite admodum Salomon his, qui increpationes recusant, turpem & indecoram mortem minatur. Quia ne iucunde corripientes audiant pudor plerumque in causa est, quapropter ne deinceps animaduersiones audire pudeat, degenerem, ac turpem valde mortem illis intentat. quæ præ cæteris rebus pudorem maximum adducere consuevit.

Vel aliter à *prætereuntibus*. Græcè ἀπὸ τῶν παριόντων hoc est, ab ambientibus. Dicebantur autem παριόντες, Græce, qui in certaminibus pugiles, aut in bello milites circumibant eos incitantes, & acuentes ad pugnam. Lege Polucem. Ergo sensus erit, virum innocentem, atque pium correptioni, ac disciplinæ obnoxium esse satis norunt παριόντες: hi scilicet, qui ad eum excitandum, & acuendum illum assidui ambiunt & circumstant. (Quid enim magis admonitoribus, & exhortatoribus ad simile, quam hi militum, seu pugilum incitatores?) Et quidem ab his satis vtile documentum ad correptiones iucunde excipiendas etiam ab illis, qui pietate, atque virtute inferiores sunt depromit Chrysost. in quadam Epist. ad Iulian. vbi sic addit. *Athleta suis mercatoribus fortiores sunt: & tamen monet debilior, ut pugnet ille, qui fortior est, & pugil infirmioris voce acciuitur: sic etiam eum, qui moribus firmior, ac robustior est, alium infirmiore audire monentem opus est, atque eius vocibus incitari.* Adde etiam hanc Chrysostomi sententiam emphasim non paruam translationi Septuaginta interpretum addere. Licet enim sic explicare. *Disciplina innocentis cognoscitur à circumueuntibus*, vel *pugilum incitatoribus*, quasi dicat: in fontem virum disciplinæ, & correptioni sponte acquiescere norunt incitatores eius, quos etiam si virtute, ac pietate impares sint, ille libenter monentes, atque increpantes obaudit. *Qui autem oderunt correptiones, moriuntur turpiter.* Vrgeo eandem similitudinem. Sicut Athleta, ac pugiles, qui incitatores suos non audiunt, sæpius aduersariorum ictibus turpiter in certamine cadunt: sic etiam illi, qui præceptoribus, ac monitoribus non acquiescunt, turpissimè occumbunt, & in gloriam per indecoras admodum culpas mortem oppetunt. Quid certius, quam eos, qui corripientes minime auscultant, in turpissima crimina labi, ac relabi solitos? Pergo ad alia, &c.

*Qui autem oderunt correptiones, moriuntur turpiter.* Vrgeo eandem similitudinem. Sicut Athleta, ac pugiles, qui incitatores suos non audiunt, sæpius aduersariorum ictibus turpiter in certamine cadunt: sic etiam illi, qui præceptoribus, ac monitoribus non acquiescunt, turpissimè occumbunt, & in gloriam per indecoras admodum culpas mortem oppetunt. Quid certius, quam eos, qui corripientes minime auscultant, in turpissima crimina labi, ac relabi solitos? Pergo ad alia, &c.

*Qui autem oderunt correptiones, moriuntur turpiter.* Vrgeo eandem similitudinem. Sicut Athleta, ac pugiles, qui incitatores suos non audiunt, sæpius aduersariorum ictibus turpiter in certamine cadunt: sic etiam illi, qui præceptoribus, ac monitoribus non acquiescunt, turpissimè occumbunt, & in gloriam per indecoras admodum culpas mortem oppetunt. Quid certius, quam eos, qui corripientes minime auscultant, in turpissima crimina labi, ac relabi solitos? Pergo ad alia, &c.

**F** XI. *Infernus, & perditio coram domino: quanto magis corda filiorum hominum?*

**I**nfernus, &c. Hebraicè. *Etiam quia corda filiorum hominum.* Chald. concinit cum nostra vulgata. Septuaginta sic habent. *Infernus, & perditio manifesta apud Dominum, quomodo non & corda omnium?* Symmach. legit, ἐνώπιον. Theodotion ἐναντίον, id est, coram, vel in oculis Domini, sicut vulgata.

In incipiti est apud interpretes, quid inferni, ac perditionis nominibus proprie significetur. Lira, Hugo, Arboreus, & alij non pauci gehemâ, & baratrum, & damnatorum locum notari existimant; atq;

Y y ij

adeo vtriusque nominis eandem esse significationē. Ex Hebræis Bengerson, & alij nomine inferni sepulchrum: perditionis autem vocabulo orcum, & baratrum accipi volunt. Ianſenius vero ſtatum, & cōditionem mortuorum in vniuerſum capiendam eſſe dicit, quam fide tantummodo aſſequimur: ab oculis vero, & cognitione noſtra prorfum remota eſt, cum tamen Dei oculis peruia ſit. Cæterum huius diſſidij, aut concertationis definitio ad verum loci ſenſum attingendum mea quidem ſententia parum facit. Nam ſiue gehennam, ſiue mortuorum in vniuerſum ſtatum accipias: vtrumque æque ignotum nobis, vtrumque ſimiliter Deo cognitum æquè, & oculis eius peruium eſt. Difficultas vero in eo vertitur, quam vim habeat argumentum illud à minori ductum ad maius. *Infernus, & perditio coram Domino: quanto magis corda filiorum hominum?* Quia ſi naturam, & latebras humani cordis inſpiciamus, ex cōditione ſua arcana magis & occulte ſunt, quam infernus ipſe, & mortuorum ſtatus quilibet. Hæc enim Angelorum, & dæmonū obtutibus patent: illæ vero eorundem acies omnino fugiunt.

43 Profecto ſi quis hæreat lectioni originali, facile expediet nodum iſtum. Nam primitiua ad verbum ſic habent. *Infernus, & perditio coram Domino, etiam & corda filiorum hominum.* Quæ verba hunc ſenſum reddere videtur. Non modo infernus, & perditio perſpicua, & aperta ſunt oculis Dei: ſed etiam ea, quæ arcana magis, & occulta ſunt: ſcilicet corda filiorum hominum, quorum motus, & cogitationes penitus videt. Sed tamen cum expoſitio iſthæc abſit longius à vulgata lectione, omnino reiicienda eſt.

44 Ergo Hugo Cardinalis initium à minori ad maius argumentum eludit intelligens quidem per *infernum, & perditionem*, omnia, quæ ad damnatos ſpectant hoc modo. Si Deus omnia, quæ apud inferos geruntur prorfus nouit, & ſingulorum cruciatus intentis oculis ita videt vt omnium pœnas iuxta ſcelerum magnitudinem ſua prouidentia moderetur, & taxet. *Quanto magis corda filiorum hominum?* id eſt, bonorum (ſupple) qui coram eo ſunt. Quasi dicat, ſi Deus respicit mala, vt puniat, quanto magis bona, vt remuneret: quia non ita ad damnandum, & puniendum, quam ad condonandum, & miſereſcendum procliuius eſt. Hæc ille, neſcio an accōmodate.

Ego quidem, ſi de pœnis damnatorum agatur, hunc verſum ſic exponendum crediderim. In conſpectu quidē Dei ſunt infernus, atque perditio: ſcilicet gehenna, & orcus, quæ ad delicta punienda ipſe condidit. Ex quo ſit, quasi à fortiori, vt corda hominum penitus inſpiciat. Nam vt ſingulis promeritis pœnas taxet ſingulorum delicta, & eorum grauitas illi comperta eſſe debent: hæc autem illi nequaquã explorata forent, niſi corda, & cogitationes hominū penitus calleret. An vero hæc expoſitio reliquis præferenda ſit, tu videris.

45 Ianſenius, & Caietanus cum inferni, atque perditionis nomine ea, quæ ad mortuos in vniuerſū ſpectant, accipiant, ſubiungunt, *Infernus & perditio coram Domino.* Id eſt, ſi ea omnia, quæ ad mortuos attinent, quæ prorfus nobis arcana, & ab oculis noſtris remota ſunt, ita vt ſublata fide nihil eorum etiã diuinando attingere poſſimus, Dei luminibus peruia ſunt: quanto magis ea, quæ ad viuos ſpectant, etiam ipſa hominum corda, quorum cognitiones, & motus ipſimet homines nonnūquam coniectando, ac diuinando conſequi ſolent? Itaque argumentationem conſicit Salomon ex his, quæ nobis vel clariora, vel obſcuriora apparent: non ex ipſa rerum natura, & conditione. Nobis enim longe facilius videtur humani cordis latebras coniecturis aut documentis

A aliquibus rimati, quam aliquid aſſequi eorum, quæ apud inferos geruntur, vel quæ ad mortuorum ſtatum pertinent. Ad hunc modum à probatione humana ducto argumento Matth. 11. Scribas, & Phariſeos ſic eſt aſſatus. *Quid eſt facilius dicere: dimittentur tibi peccata tua: An dicere: surge, & ambula? ut autem ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico. Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuã.* Cuius argumenti vis tota ad humanam probationem referenda eſt. Nam peccata dimittere non modo difficilius eſt, quam paralyſi laborantem ſanitati reſtituere: ſed longe etiam, quam celos creare, & terram, (vt docet Auguſtinus tract. 72. in Ioannem. Ergo Chriſtus Dominus, cum ait difficilius eſſe dicere Paralytico, *Surge & ambula*, quam peccatori alicui, *Dimittentur tibi peccata tua*: difficilius quidem illud eſſe affirmat, quia dicentis auctoritas periclitatur. Nam qui ita diceret, *Surge, & ambula*, niſi id, quod dicit, factis exhiberet, ab omnibus mendacijs euidenter coargui poſſet. Alterum vero qui diceret, non ita reuinci poſſet qui cum peccatorum remiſſio oculis ſubiecta non ſit, qui dixiſſet ſe peccata dimittere, nullo forti argumento redargui poſſet. Quapropter Chriſtus Dominus non dixit: *Difficilius eſt paralyticum ſanare, quam peccata dimittere*: ſed difficilius eſt illud dicere, quam hoc. Itaque huius argumentationis robur totum in humanam probationem conferendum eſt. Nec aliter de hoc Salomonis loco decernendum eſſe docent Ianſenius, & Caietanus.

Denique alium ad ſenſum præmiſſum locum vocare licet: nam aliquid eſſe coram aliquo nō modo illi compertum eſſe ſignificat in ſacris litteris: ſed etiam ſub illius poteſtate, ac ditione poſitum. *Genef. 12. Ecce vniuerſa terra coram te eſt. Iſa. 40. Opus illius coram illo.* Cantic. 8. *Vinea mea coram me eſt,* & paſſim alia. Ergo ſecundum eam acceptionem, ſic locus ediſſerendus eſt. *Infernus & perditio coram Domino, &c.* Quasi dicat, in poteſtate, atque ditione Domini eſt gehenna, & orcus ſed & dæmones, qui ibi cruciantur, quantumuis obſiſtentes, & luctantes, poteſtas Dei coërcet. *Quanto magis corda filiorum hominum?* nimirum in poteſtate eiufdem Dei ſita ſunt. Si enim ea, quæ tā validiora, & firmiora ſunt ditionem illius non effugiunt, quanto magis hæc infirmiora eiufdem nutui ſubiacebūt? Ad hæc, ſi qui Deo tantopere aduerſantur & poteſtati eius quam maxime poſſunt, obſiſtunt, ſcilicet damnati, ac dæmones: nihilominus ditioni illius ſubiecti ſunt. Ergo corda hominum, id eſt, ipſimet homines quantumuis Deo reſiſtentur, & libertate ſua freti poteſtatem illius declinare, & vitare contendunt, fruſtra contendunt.

Obſerua demum hæc duo, infernum, ac perditionem ſapius in ſcriptura copulari, *Iob 27. Nudus Iob 27. eſt infernus coram illo, & nullum eſt operimentum num. 9. perditionis.* *Pſalm. 87. Nunquid narrabit aliquis Pſalm. 87. in ſepulchro miſericordiam tuam, aut veritatem tuam in perditione? Hebr. 27. In inferno miſericordiam tuam.* Et infra c. 27. *Infernus & perditio num. 20. quam implentur.* Ibi rurfus de his vocibus incidet ſermo. Conſule eum locum.

XII. *Non amat peſtilens eum, qui ſe corripit: nec ad ſapientes graditur.*

Non amat peſtilens, &c. Hebraicè: *לֹא יֵאֱמָר לְיֵשׁוּעַ לְיֵשׁוּעַ* à radice *lurs* illuſorem ſonat, & nugacem hominem. Septuaginta in Pſalmi primo verſic. ſic habent, & in *Cathedra no muv*, id eſt, pe-

Matth. 11. num. 5.

Auguſt.

46

Genef. 12. Iſa. 40. Opus illius coram illo. Cantic. 8. num. 10. Cant. 8. num. 12.

47

*pestilentiarum non sedit*, id est, pestilentium. Hebraicè *דבר לרסם*, id est, *illuforum*, aut *deridentium*. Hinc vulgatus noster cum saepe aliàs hanc vocem derisorem, vel illuforem conuertant, hic *pestilentem* reddit. Et infra capite 17. *Flagellato pestilente stultus sapientior erit*: nescio an etiam alibi. Ergo ad verbum sic habent Hebraica. *Non amabit illufor increpari se, ad sapientes non ibit*. Chaldaeus non abludit. Septuaginta. *Non diliget indisciplinatus castigantem se, cum sapientibus autem non conuersabitur*. Symmachus *λοιμὸς*, id est, *pestilens* sicut nostra. Aliqui etiam ex Hebraizantibus sic legunt. *Non diliget interpres castigantem se*. Nam radix illa *luts* significat deridere, & interpretari, vt alibi admonui.

Sententia huius carminis est illustris. *Non amat pestilens eum, qui se corripit*. Nimirum homo ille, qui vitiorum, aut doctrinæ suæ contagio alios inficit, odit valde eos, qui publicè illum increpant, & coarguunt. *Nec ad sapientes graditur*, id est, fugit sapientum consortium, ne ipsius labes, ac pestem detegant, & in apertum adducant. Et sane pestis, & cuiuscumque alterius contagij natura ita fert (vt author est Hypocrates) vt quamdiu deintus latet, nec foras erumpit virus, vehementius alios inficiat. Cum enim, verbi gratia, punctularis morbus è visceribus ad cutem pungendam exiit, cum pestilens liuor cauterio abruptum est: cum lepra tota in extimam cutem transit, multo debilioris contagij sunt, quam antea. Ad eundem modum vitia, & scelera dum altius premuntur, dum tecta, & celata sunt, plures contagio suo corrumpunt: postquam vero publicæ correptionis, & animaduersionis cauterio recisa sunt, vel qualibet alia ratione detecta, & in palam data, vix paucos rabe sua inficere possunt. Ergo ob eam causam Salomon ait. *Non amat pestilens eum, qui se corripit*: quia cum alios peste sua corrumpere studeat (hæc autè eo latius serpat, quo occultior est) odio habet corripientem, qui publicis suis increpationibus liuorem abrumpens, & vitia (si licet dicere) ad aurem euocans contagij vim grassantem hebetat.

Quomodo autem pestilens homo contagio suo alios inficiens curandus sit, habes quidem apud Clementem Romanum lib. 1. constitutionum Apostolicarum cap. 45. *Si sordes* (inquit) *collegerit nouacula, per purgato: id est, sermone ad incidendum idoneo. Si intumuerit, id acri collyrio complanato: hoc est, iudicij minis. Si serpat, cauterio cohibeto, tabemque excindito teiunij acrimonia. Quod si hæc feceris, videris que nihilominus à pedibus vsque ad caput non prodesse fomenta, non oleum, non facias: sed serpere tabem, super areque omnia medicamenta, canceri adinstar omnia membra exedentis: tunc rem multum considerata, ac deliberata, adhibitisque aliis peritis medicis tabidum membrum excindito, ne totum Ecclesie corpus contabescat*. Hæc ille. Cum igitur tam acerba, ac molesta sit pestilentis, ac tabidi hominis curatio, propterea corripientes se odio iminiti prosequitur, & sapientes omnes declinat. Illos enim tanquam feueros medicos, aut crudeles chirurgos cogitat, qui vitiones, sectiones, aut si quid acerbius est, semper meditantur. *Nec ad sapientes graditur*. Succedat memoriæ illa sententia Plutarchi, quam nuper dedi vers. 10. qui eos, qui correptiones oderunt, cum his comparat, qui medicum non adeunt ipsi, nec accersunt: imo venientem respuunt.

Alias vero lectiones non valde curo. Septuaginta habent. *Non diliget animus d' d' s*, id est, *indisciplinatus*. Propriissime autem eum significat, qui nequam à puero bene institutus est, *increpantem se*.

Tom. 1.

Itaque sensus est. Ille, qui à puero disciplina & documentis coercitus non est, iam tunc cum adoleuit, & callos obduxit, odio habet, repellit, atque longius arceat corripientes se. Quid certius? Alii, legunt. *Non amat derisor corripientem se*. Derisorem appellat nugacem hominem iocis videlicet, ac naniis deditum, cum quo serio agere nemo potest. Hic ergo odio habet corripientem, quia omnis increpatio serio, & seure adhiberi solet: ipse vero nugas amat & seueritatem omnem detrectat: atque aded sapientum consortia fugit, in quibus nihil non serium aut agitur, aut dicitur. Illa vero translatio. *Non amat interpres corripientem se*, inepta est.

XIII. *Cor gaudens exhilarat faciem: in maiore animi deicitur spiritus.*

**C**or gaudens &c. Hebraicè: *Cor letum bonificabit faciem: & in dolore cordis spiritus confractus*. Chaldaeus concinit cum nostra. Septuaginta: *Cordis lati facies floret: in tristitiis autem positi mæsta est* Complut. *Cordis lati facies vires*. Interpret. Origen. ho. 4. in Cant. *Cordis lati facies floridae*.

Vim tristitiæ, atque mæroris pulcre describit Salomon: *Cor gaudens exhilarat faciem*: id est, cum lætitia animus perfectus est, inde quidem quasi ex redundantia faciei, ac vultus decor augetur, & colore, risu, ac gestibus internum animi gaudium foras erumpit. Ea enim est vis omnium affectionum animi, vt statim vnaquæque sua signa, & argumenta facie prodat. Et quidam venuste de hac re scripsit Philo. *Affectus varij in animo pugnant: ex his autè, qui victoriam adeptus est, vexillum in facie, tanquam in arce eleuat: tristitia, & invidia pallidum, iracundum, verecundia purpureum, letitia, candore, ac purpura dilutum, &c.* Hanc interpretationem amplexi sunt, Origen. hom. 2. in Cant, Chrysostomus hom. 2. in Genes. & Anonimus apud Antonium in Melissa, sermone de puro corde. Sed expendamus singulas lectiones. Vulgatus quidem habet, *exhilarat faciem*, communissimo verbo vsus, vt omnes aliorum translationes complecteretur.

Septuaginta. *Cordis lati vires*, aut *floret facies*. Mens Salomonis est suadere mærorem quidem omnistudio ab animo pellendum, quia non modo animum: sed etiam corpus lædit: etiam lætitiæ studiose quærendam, quia non animum solum delinit: sed corpus etiam mirabiliter recreat. Itaque ait. *Corde gaudente floret facies*, pulchra similitudo ab arbore ducta. Sicut enim virens radix in terra defossa, & contecta vno tempore folijs, ac floribus arborem conuectit, ac decorat: Sic etiã cor & animus etiam si tectus quodammodo, & defossus sit, cum lætitiæ concepit, velut radix quædam virens in vultum flores emittit suos, faciem ipsam floridam reddens. Cassiodor. l. 2. Epistol. *Arborem* (inquit) *quam florere vides, quam summa conspicis viriditate letari, subterraneo succo viriditatis, & fecunditatis animatur, reddens in superficie, quod continet in radice. Hominum quoque vultus magna alacritate florescit: si visceribus sanis grauem nullius sentiat lesionis*. Anonimi autem supra citati verba apud Antonium hæc sunt, *Nihil est, quod nos delectare ita soleat, vt conscientia pura: conscientia enim pura, & exultans, vultum hilarem reddit, ac genas rigat animi bona valetudo. Nec sine causa dictum est a Sapiente. Cordis lati os efflorescit*. Et quidem eiusmodi flores fructum denique maturum, & decoctum pollicentur. Accipe verba Chrysostomi in homilia. *Quod non datur pariter secundum*

Origenes.  
Chrysof.  
Anonim.

Cassiodor.

Anonim.

Chrysof.

Deum & secundum mundum gaudere. Iustorum (inquit) *lætitia vera est anima pariter, ac corporis recreatio & sempiterna fructuosa præsentium, & flos.* Itaque eam lætitiā, qua iustorum animi & vultus affluunt in hac vita, florem quendam esse dicit, qui sempiterni gaudij fructum denique allaturus sit.

51

Rursus idem Chrysostomus homil. 1. in Epistolā ad Romanos, & homil. 59. in Matth. cum verba illa Pauli ad Galat. 5. recitasset. *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, &c.* de lætitiā, tanquam de fructu quodam dulcissimo differit: cum vero fructum ex iustitiā, velut ex arbore quadam nasci docet. *Orat* (inquit) *ut iustitiā in cordibus plantetur eorum, ut inde fructus iste pullulet.* Et Anselmus in eum locum Apostoli. *Fructus quidem appellatur, quoniam ex bona arbore (scilicet ex iustitiā) velut optimi fructus prodeunt.* Sed quæres, vtrum arbor ista ante fructum illum lætitiæ prædulcem, ac decoctum, florem aliquē præmittit: Subdit Chrysostomus. *Sicut fructum flos antecellit: sic pœnitentiā, & dolor lætitiā præit, & dolori lætitiā succedit.* Loquitur enim de vera, & spiritali lætitiā, quam bona conscientia parit: bonam autem conscientiam pœnitentiā, & conceptus de culpis dolor adducit. Merito autem dolor iste eius lætitiæ flos appellatur: non solum quia initium, & velut parturitiō quædam illius est, sed etiam quia flos acerbos, & immites adhuc fructus cohibet. Ad hunc igitur sensum integrum est allicere verba illa, *Cordis læti flores facies,* nimirum prius quam cor lætitiā, quasi maturum fructum proferat, floret quidem facies, pœnitentiæ signa, scilicet lacrymas, gemitus, & alia doloris documenta veluti flores parturiens.

Anselm.

August.

Multi legunt, *Cordis læti viret facies.* Sed vnde viror iste, ac fertilitas? Sane non aliunde, nisi ex conscientia bonæ gaudij. Et sane iustorum lætitiā in hac vita viret quodammodo, & veluti in herbis est: tamen eò spectat, ut postmodum in æterni gaudij maturam, & decoctam messem tandem aliquando transeat. Obserua tamen venustatem illius metaphoræ *Viret facies:* nam vicissim à facie ad agros, & ab agris ad faciem transferuntur vocabula. Agrum enim virentem ridere: faciem vero lætam *virere*, ac *florere* dicimus, Subdit Salomon.

52

*In mœrore animi deicitur Spiritus.* Hebraicè, *frangitur.* Ergo ex Hebræis aliquid de ipsomet anhelitu, & respiratione ad verbum capiendum esse dicunt: quia scilicet mœstis, ac querulis spiritus quodammodo intercipitur, & infringitur: ex quo fit vt mœstifraçtam, & quasi interrupto spiritu tremulam voecm, gemitusque, & singultus intermissos emittat: cum ex aduerso læti, & hilares effulam, laxam & minime interruptam vocem reddant. Reliqui nomine spiritus cor, ac mentem capiendā putat, quæ tristitia, & mœrore quodammodo soluitur, eliditur, frangitur. Augustinus Epistola 20. ad Honoratum c. 4. sic habet. *Nam & tristitia quasi soluit cor. Vnde dicitur etiam Grace romi quod hinc appellata sit x. m.* Hanc mœrore vim ad mentem, animumque elidendum elegantissime descripsit Chrysostomus in Epistola 3. ad Olympiadem. *Mœror* (inquit) *grauem animorum tormentum est, dolor omnem sermonis vim excedens, ac supplicium omni supplicio acerbius: si quidem pestiferum vermem imitatur, non carnem dumtaxat: sed etiam animā perstringens. Tinea est, non ossium tantum, verum etiam mentis & perpetuus carnifex non latius fodiens, verū animi vires labefactans, & perpetua nox, & terra tenebra & tempestas, ac procella, & obscura febris quauis febre vehementius exurēs, & bellum induciarum expers, & morbus rerum earum, quæ oculis cernuntur,*

August.

Chrysoft.

*prospectum magna ex parte impediēs. Nam & sol, & liquidum huius aeris natura hū, qui ita affecti sunt, molestiam exhibere videntur, atq; in meridiana luce profundam noctem imitari.* Ac breui interstitio verborum idem Chrysostomus ad illa verba Genesis, quibus mulieri pœna interminata est. *Multiplicās multiplicabo mœrores tuos,* (sic enim habet Septuaginta,) ita subiungit, *Mœstiam, & gemitum & hinc nascentem cruciatum sexcentos labores, ac sexcentas mortes adequantem imposuit.* Excepisti auribus flumen Chrysostomi: iam nunc lenius fluentem Diui Antiochi orationem ausculta: qui homilia 25.

53

Antioch.

de tristitia sic addit. *Tristitia anima est mœrore deiectio* (quæ verba petita videntur ab hoc Salomonis versu) *Attegit.* *Tristitia os leonis est, quod nullo negotio, mœrore confectum absorbet.* Qualiter vero mœror animum obsessum exterat, appositissimo exemplo edocet. *Quemadmodum* (inquit) *conflatoria ars ex plumbi materia detrahit iugi conflatione, & immittit: ita & tristitia mundi istius, mentem atterit.* Adhæc Sanctus Nilus in oratione 5. de tristitia eadem similitudine vsus est. *Ignis* (inquit) *assiduus plumbum immittit, & mundi tristitia mentem atterit.* Ac postea subdit alias luculentas similitudines. *Oculorum aciem hebetat fumus, & contemplatiuam animi vim obtundit tristitia. Aque profunditas non admittit solis splendorem, & cor triste non exhilarat lucis contemplatiō. Ut gustus vim admittit febris, sic animi sensus aufert tristitia.* Et iterum. *Doloribus* (inquit) *afficitur mater, dum filium parit: sed postea quam peperit, non dolet amplius. Tristitia vero, & in ipso partu dolorem affert, & postea quam nata est, vehementer excruciat.* Denique ad præmissam illam leonis similitudinem redit. *Tristitia leonis os, quod hominem mœstum facile deuorat.* Os quidem leonis, vt docent historiæ naturalis authores, quidquid attingit, pœdore suo inficit, adeo vt cibi ab ipso admorfi reliquias ob graueolentiam nullum aliud animal gustare possit. Ergo tristitia vel totum cor deuorat, vel si quid illius fecit reliqui, id quidem nulla alia bona vtilisque affectio, aut honesta exercitatio sibi sumere, aut gustare potest. Nam vt ait Nilus ibi: *Omniū rebus bonis tristitia impedimento est.*

S. Nilus.

54

Secundò alij, in quibus est Hugo Cardinalis, verba illa, *deicit spiritum*, de Spiritu Sancto accipi posse docent, quasi dicat. Tristitia animi Spiritum Sanctum contristat, & mirum in modum affligit, vel afficitum, contristatumque ex animo pellit. Audi beatum Antiochum in homilia illa 25. de tristitia. *Auerte* (inquit) *a te tristitiā hanc, & ne contristes Spiritum Sanctum, qui in te habitat: ne forte interpellet Deum, & recedat a te. Spiritus enim Dei, qui in hanc etiam carnem se effudit, tristitiā non fert, neque animi angustiam.* Et iterum. *Tristitia Spiritum Sanctum mœstificat, qui homini datus est hilaris.* Vt enim acetum vino si immisceatur, nihil affert iucundi gustus: sic etiam tristitia Spiritu Sancto immixta paraclesim eius reddit inamenam. Extrema quidem verba satis exponunt modum, quo Spiritum Sanctum mœror contristat: non quidem eum tristitia aliqua afficiens (hoc enim impossibile est) sed paraclysim illius, id est, consolationem, quia nihil est suauius, veluti aceto inmixto acerbam, & amarā reddens. Sententiā istam desumpsit Antiochus ex Pastoralis Hermæ Beati Pauli discipuli libro secundo mandato 10. vbi sic ait. *Tristitia* (inquit) *omniū spirituum nequissimus est, & pessima seruis Dei, & omniū spiritus exterminat, & cruciat Spiritum Sanctum.* Ac paulo post subdit. *Aufer ergo tristitiā a te, & noli offendere*

55

Hermæ.

*Spiritum Sanctum, qui in te habitat, ne roget Dominum, & recedat à te. Spiritus enim Domini, qui datus est in carnem, tristitiam non sustinere. Et tandem, Cum ergo mixta fuerit oratio cum tristitia, non patietur orationem mundam ascendere ad altare Dei. Sicut enim vinum aceto mixtum eandem suavitatem non habet: sic etiam tristitia Spiritu sancto mixta eandem orationem mundam non habet. Quibus verbis Hermas propterea Spiritum sanctum in amore, & augore animi contristari dicit, quia oratio, quæ Spiritu sancti afflatu suscipitur, & in qua potissimum eiusdem spiritus consolatio dulces sapit (& idem iudicium est de aliis Spiritu sancti donis) tristitia quasi aceto in acorem conuersa desipere, ac displicere incipit. Aliter etiam Spiritus sanctus contristari dicitur ex Anselmo, & Chrysostomo ad illa verba Pauli ad Ephes. 4. *Et nolite contristari Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis, &c.* nimirum sanctos contristando, qui enim virum iustum, in quo Spiritus sanctus habitat, vexat, & tristitia afficit, ipsum Spiritum sanctum quodammodo angit, sicut ille, qui filium, aut seruum male habet, parenti, aut Domino iniurius est. Hæc autem sententia non modo locum obtinet in eo, qui alteri pio homini mœrorem affert, sed etiam in eo, qui iustus est, atque adeo spiritum in se morantem habet, cum ex culpa per desidiam, & inertiam tristitiæ in semetipso locum fecit, vere enim, tunc Spiritum Dei sanctum etiam in semetipso contristat, & omnia illius dona corrumpit.*

Ad extremum Septuaginta, vt hæc posterior pars per omnia ex aduerso priori respondeat, cum priorem ita extulisset, *Cordulati floret facies*, posteriorem sic expresseunt, *In tristitia autem positi mæsti est, supple faciens*, sicut enim læticia, ita etiam mœror ex corde in faciem vultumque redundat. Nam tristitia afflicti hominis pallent vultus, subsident genæ, oculi hebescunt, & labia turpiter tumescunt. Itaque sicut hominis læti facies floret, sic mæsti hominis vultus marcescit, ac tabescit.

XIV. *Cor sapientis querit doctrinam, os stultorum pascitur imperitia.*

56 **C**OR sapiens, &c. Hebræa non dissonant. Chaldæus, *Cor intelligens querit scientiam, & os stultorum stultitiam.* Septuaginta, *Correctum querit sensum, os autem disciplinatorum cognoscat mala.* Symmachus *μικρὸν ἀνομιῶν*, id est, *pascit iniquitatem*, sic etiam aliqui ex Hebræo conuertunt, *Alij stultitiam.*

Sane prioris hemistichij sententia luculenta est, *Cor sapientis querit doctrinam*, id est qui sapere cœpit, semel cognitione rerum insecutus amplius edoceri, & in sapientia proficere avidissime desiderat. Subdit.

*Os stultorum pascitur imperitia.* Prima expositio sic habet, stulti ore suo semper ineptias, nugæque profantur. Displicet merito hæc interpretatio Iansenio, & Caietano, quia sic explicata posterior pars cum priori parum bene cohæret. Itaque sic exponunt, stultus ore hians, ac patulo ineptias, & nugæ audire delectatur. Vulgo dicimus *est afo abier-ta la boça oyende necedados*. Quasi dicat, qui sapientia semel imbui cœpit, intentissime ea excipit, ex quibus in doctrina profecturus est, qui autem stultus est, pari aviditate ineptias, & vanissimas fabulas captat. Obseruandum est illud, *pascitur imperitia*, nam verbum originale, quod hic occurrat *ירגה* *Iirgheh*, à radice *Raghah*, pecorum, ac brutorum proprium est. Itaque significat stultos perinde ad

Tom. I.

**A** fatietatem nugis, ac vanissimis ineptiis pasci, sicut bruta animantia pabula carpunt sua, tunc etiam eiusmodi ineptias, quas stulti tam auide deuorant, brutorum omnino pabula, & escas esse. Diuus Gregorius Nazianz. in oratione de Laudibus Basilij de illo tempore verba faciens, quo Athenis humanas, & profanas litteras vterque didicerat, sic ait, *Tunc cum bruti pascui participes essemus* (sic multi codices habent.) Si ergo humaniores disciplinas, quatum haud inutile studium est, brutorum pascuum appellat Gregorius, quid de nugis, de vanissimis fabulis? Quid de impudentissimis scenis, & aliis eiusmodi ineptissimis rebus pronuncian-dum erit? Nonne isthæc bruta omnino, & belluina pascua sunt? Ita prorsus. Hugo Cardinalis hunc locum sic expedit, *Os stultorum pascitur imperitia*, id est, vanitate, & falsitate. Quatuor autem sunt animalia, quæ totidem elementis victitant, Salamandra igne, Cameleon aère, Halec aqua, Talpa terra, sic etiam quatuor occurrunt stultorum genera, qui eiusmodi rebus pascuntur, & viuunt. Inuidi, & iracundi igne furoris pascuntur, superbi, & ambitiosi aère vanæ laudis, luxuriosi aqua voluptatis, cupidi, & auari terra caduca prosperitatis. Hæc ille.

Septuaginta habent, *Os autem indisciplinatorum cognoscat mala*, id est, proferet, aut ab alio prolata excipiet. Symmachus, *pascit iniustitiam*, vel *stultitiam*, id est, alit, ac nutrit. Hanc lectionem Iansen. sic exponit Præferens quidem, laudans, & suspiciens iniustitiam, vel stultitiam, eam alit, fouet, & auhoritatem illi apud vulgus conciliat. Tamen aliam sententiam esse reor, *pascit stultitiam*, nimirum inepta, atque stulta auribus assiduo captans, suam ipsius alit, atque enutrit stultitiam, hoc est, auget, & cumulat. Vel *pascit stultitiam*, nimirum suam ipsius improbitatem. In idem recidit. Nisi velis illud *μικρὸν ἀνομιῶν* perinde esse, ac si dicat, ac pascor est suæ imperitiæ, tanquam brutæ cuiusdam pecudis, & quam necare, ac mactare deberet, alit, ac nutrit.

XV. *Omnes dies pauperis mali: securamens, quasi iuge conuiuium.*

58 **O**MNES dies pauperis mali, &c. Hebræicè: *Omnes dies afflicti mali, & bonus corde iuge conuiuium.* Chaldæus: *Et cuius hilaris animus est, conuiuium est continuum.* Septuaginta. *Omni tempore oculi malorum suscipiunt mala: boni autem quiescunt semper.* Symmachus à nostra non oblitit.

Non vna huius loci interpretatio est. Caietanus, Iansenius eandem, aut parum diuersam expositionem amplectuntur: *Omnes dies pauperis mali*, id est, laboriosi, molesti, & calamitosi. Nam rerum, quæ ad vitam tuendam opportunæ sunt, indigentia humanarum miseriarum caput existit. Tamen *securamens iuge conuiuium* (ait Salomon) ac si dicat, Magna quidē paupertatis miseria, si tamen ad paupertatem accedat *mens securamens*, id est, bona conscientia: hæc sane omnem illius molestiam discutit: & qui ea fruitur, iucundiores vitam agit, quam si iugi cuidam, & nunquam intermisso conuiuium assideat, ambrosia pascus, & necare. Sed enim paupertatem, & omnem aliam afflictionem secundum scientiæ dissimilem affectionem, aut grauem, aut voluptem reddi docet Chrysostomus homilia 28. in epistolam ad Corinthios. *Neque igitur (inquit) diuitiæ voluptatis, neque paupertas est animi agri-tudinis: sed mens nostra. Et quomodo salubria quidem corpora, etiam si pane solo alantur, firma quidem*

Xy iiii

sunt, & luxuriant, morbida autem etiam si lauta, & varia fruuntur mensa, ea sunt imbecilliora, ita etiam solet euenire in anima. Qui agro sunt animo, ne in diademate quidem, & honoribus, qui verbis non possunt explicari, possunt bono, & tranquillo corde esse. Philosophi autem & in vinculis, & in catena, & in paupertate pura fruuntur voluptate. Adde etiam firmis, ac sanis corporibus solum panem non modo virium, sed etiam voluptatis plus afferre solitum, quam affectis, & ægris lautiores, ad splendidiore epulas. Itaque (liceat sic dicere) apud illos panis aridus pro lauto conuiuio, apud hos autem epulum splendidum pro tenui mensa est. Merito ergo Salomon paupertatem, & omnem aliam afflictionem, cui secura, & nullius criminis conscientia mens hæret, iucundissimi ad instar conuiuij obtinere dixit. Nam licet hæc ægris acerbæ sint, & amara, homini tamen sano, & robusto dulcia, & salubria sunt. Vnde homil. 2. in epistol. ad Roman. sic ait, *Qui conscientiam puram habet, quamuis pannosus sit, & cum fame assidua luctetur, tamen beator & tranquillior est illis, qui inter delictis magnopere degunt.*

59

Secundam expositionem alij sic instituunt, *Omnes dies pauperis mali, &c.* Hoc ex sententia vulgi pronunciari existimant, Quasi dicat, vulgò quidem homines pauperum dies omnes malos & calamitosos rentur, ego autem (inquit Salomon) aliter decerno, *Secura mens iuge conuiuium.* Paupertas (inquit Chrysof. homil. 30. in Matth. *Semper securus est, & omni metu vacat, summa autem potestas sine timore periculi nunquam est.* Hæc inquit securitas mentis, atque timoris expers tranquillitas, qua pauperes gaudent, iugis conuiuij delectationem superat. Adest nobis testis ipse Chrysof. qui hom. de recipiendo Seueriano, *Paupertas est tutum asylum, perpetua securitas, portus tranquillus, delicta periculorum expertes, voluptas sincera.* Posterius quidem à priori fluit, ideo enim paupertas in delictis ponenda est, quia securitatem, & tranquillitatem affert. Vnde homil. 38. in Epistolam ad Corinthios sic scribit, *In paupertate autem non consideres solam mendicitatem, sed etiam, quæ inde capitur, voluptatem. Nam diuitiæ quidem lætam habent personam, interna autem plena sunt fuligine. Paupertas autem contra, etsi vniuscuiusque interrogari conscientiam, in animo quidem pauperis multam videbit securitatem, & libertatem, & voluptatem, & delicias plurimas. Hæc ille. Quid illustrius?*

Chrysof.

60

Reliqui interpretes nomen paupertatis non capiunt quidem, vt sonat, sed in vniuersum huic nomini afflictum, & laborantem hominem subiici volunt. Nituntur autem in voce originali גְּחֵנִי, à radice *Ghanah*, quæ significat affligere, & angere. Itaque totam sententiam ad conscientia angores, & eiusdem solatia referendam esse putant, hoc modo, *Omnes dies pauperis, seu afflicti mali, eius scilicet, cuius animum sceleris conscientia demorsum, contristat, angitque, cuncti dies molesti, & calamitosi sunt. Quid certius? Frustra hinc multa de conscientia angoribus. Accipe solum verba Chrysof. homil. 1. de Lazaro, Neque enim illum mihi dixeris mensa sumptuosa frui, vestibus circumdari sericis, mancipiorum greges circumferre, sed explica mihi istius conscientiam, videbis intus grauem peccatorum tumultum, iugem metum, tempestatem, turbinem. Nonne dies malos, & infaultos tempestas, & turbo reddit? Conscientia igitur mala ex mente Chrysof. homil. 1. affidas tempestates, & interruptos turbines ciet. Subdit, *Videbis velut in curia mensam ad thronum velut conscendisse regalem, & tanquam iudicem quempiam sedentem, & cogitationes**

Chrysof.

61

*laco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, lateraque conscientia radentem unguis. O infelicissimos dies, in quibus tam diram animus lanienam experitur, dies nimirum iudicij, atque litis. Ad hæc non solum malos dies conscientia sceleris mens adducit, quinimo dies omnes aufert, & pro diebus noctes densissimas offusas tenebris immittit. Gregorius Magnus in Septem Psalmos de poenitentia, *Conscientia mala semper in tenebris, atque umbra mortis est, noctem habet, cui nulla succedit dies, &c.**

Gr. Mag.

*Secura mens iuge conuiuium.* Bona scilicet atque tranquilla conscientia ad instar luculentissimi conuiuij obtinet. Libet hic immorari, & istius tam salubris epuli partes commemorare. Chrysof. homil. 15. in Matth. conscientiam tranquillam conuiuio lautissimo prætulit, *Cum nullis stimulis conscientia animus pungitur, magno semper fruitur gaudio, adeo ut nemo id oratione possit exponere. Quid enim tibi videtur in presenti vita iucundum, atque suauis? Mensa ne delitiosa? Sed hæc illi voluptati quæ virtutem consequitur, collata, amara, & tristitia plena videtur.* Ambrosius in Psalm. 35. *Quis enim puritate pectoris dulcior fructus? Quis cibus suauior, quam is, quem animus bene sibi conscy, & mens innocentis epulatur? Sed tamen accuratissime totum huius conuiuij apparatus, & splendorem descripsit Petrus Abbas Cellensis in libello de conscientia, *Pone itaque mensam varietate, atque plenitudine diuersorum ferculorum refertam, constitue Regem in diademate suo coronatum, cui manus assistentium, & ministrantum tam ad cibum, quam ad potum sedulissima sit, sint vasa aurea, & argentea in omnem usum, sint & pocula melle condita, sint ad nutum obedientia, palato, & gutturi quacumque fuerint apposita. Cythara, & lra, & psalterium auditus conuiuantium suis reficiant modulationibus, vestes ibi regia, incessus inuenum, & in tota familia summa aequitatis censura, ad unguem componat omnia usque ad minimum motum, hinc inde tapetia, siue pallia opere plumario, & polymito contexta, lectulus floridus, laquearia cypressina. Quid plura? Dispositissima ordinatione ornata omnia sint, ita ut nihil desit ad cultum, aut super sit ad tadium, vacet tamen interim locus præ aliis spatiofus & speciosus Regina & matri familias, conscientia scilicet specialiter preparatus. Hactenus ille. Sed tamen huius conuiuij iucundissimas delicias mirum in modum commendauit pauld ante, cum dixit in illo quidem lautissimi illius epuli dulcedinem prægustari, cuius Christus meminit Luc 22. *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater regnū, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Habes quidem ex Diuo Petro animum nostrū veluti Regem quendam, & conscientiam, quasi Reginam conuiuio quasi affidere. Hugo Cardinalis addit alios conuiuias, *Conuiuiæ* (inquit) *huius conuiuij sunt virtutes, quæ omnes propriis ferculis reficiuntur.* Hæc sane in hoc symposio lautissime epulantur, & suis quæque ferculis innutritæ vires, roburquesuscipiunt. Sicut ex aduerso nisi his bonæ conscientia iucundissimis epulis excipiantur, velut famæ eneclæ ocyus deficiunt, ac pereunt. Quid plura? Huius conuiuij alias partes discutiamus. Petrus Cellensis in eo libro sic ait, *Conscientia bona est scyphus ioseph, in quo augurari, & inebriari solet animus.* Et quidem aptissime, nam eo scypho Ioseph suos amicos, & eorum fidem explorabat, vt tradit Diuus Ephrem Syrus. At conscientia scyphus, & calix aureus, vel ex eo magni habendus est, quia animus noster in eo auguratur, ipsius enim Dei erga se beneuolentiam, & amicitiam, si non cognoscit omnino, saltem diuinat. Et quia in po-**

Chrysof.

Ambros.

Petr. Ab.

62

Luc 22.  
num. 29.

Petr. Cell.

culum incidimus, audiendus quidem est Plutarchus in Moralibus, ubi sic habet, *Vt Nephentes herba ab Homero predicata addita peculis omnem conuiuij tristitiam discutit: ita bona mens indita nobis omnem vitæ sollicitudinem abolet.* Huius oleris vires ad hilaritatem inducendam, & tristitiam delendam, lege apud Plinium lib. 25. cap. 2. Macrobius lib. 7. Satur. cap. 1. & alios.

Plin.

Macro.

63

Pet. Celen.

Accedat Græcus Isidorus, qui in quadam Epistola bonæ conscientiae delicias ambrosiam, & nectar superare affirmat. Redeat tamen præfatus Celenus, exponatque nobis, qua ratione conuiuium istud iuge sit, *Vile* (inquit) *opinionem bonam, & onerosam est, siue de manu, siue de mensa alterius pendere. Quapropter supputari anni, & familia sua alimenta optimi est, atque prudentis viri. Rimatis igitur internorum penetralibus, & mentis recessibus exploratis, qua in conscientia apothecis expense sustentationibus animæ nostræ in generationem & generationem perpenditur, exemplo non dissimili, nec minori sollicitudine instare debemus.* Mens quidem sanctissimi Abbatis est vilissimum perinde, atque turpissimum esse gaudia, & solatia aliunde ab externis rebus petere, sicut de aliena manu, & de aliena mensa victitare. Quapropter enitendum esse cuique, ut gaudij, & solatij expensas in animi sui penetralibus, & apothecis affatim condar, quæ nunquam, aut deficere, aut exhauriri possint. Hanc verò tantam lætitiæ, & gaudij vim non aliam esse dicit, quam securitatem, & tranquillitatem conscientiae, quæ qui gaudet, *Vniuersaliter* (inquit) *omnium rerum abundantia intra semetipsum redundans, excludit angustiam mensæ, & mensis, ut sit mensis ex mense continuatione frugalitatis, & Sabatum ex Sabato, & conuiuium ex conuiuium conterminacione gaudij, & orij.* Itaque bonæ conscientiae tam copiosum, & abundantem pœnum esse dicit, ut iuges inde epulas in exhaustis promptuariis producere inde semper liceat.

64

Cæterum licet præmissæ expositiones accommodatæ sint, tamen nescio an alia subsit appositior, tota ad paupertatem pertinens ad hunc modum, *Omnes dies pauperis mali.* Pauper scilicet, qui paupertatem odit, & angustias rei familiaris ægrè fert, vitam agit miseris, atque molestis obrutam, nullamque diem iucunde transigit, *At securæ mens.* Hebraicè, *Bonus corde iuge conuiuium.* (Pauperem etiam hic intelligo bonum corde, aut bona mente præditum, eum scilicet, qui paupertate sua, & tenui censu contentus, nihil ultra desiderat.) Huic ergo, qui nihil amplius concupiscit, nihil deest, atque iucundam, & delitiosam vitam agit. Itaque Salomon pauperis sua conditione contenti, & eius, qui paupertatem ægrè fert, discrimen assignat, huic miseris, & calamitosos dies adscribit, illi verò fœlices, iucundos, & delitiosos tradit Seneca libro de Consolat. ad Albinam, *Paupertas* (ait) *quam nemo grauem sensit, nisi qui putat.* Et lib. 1. de Remediis Fort. *Paupertas ait mihi grauis est, imò tu grauior paupertati. Non in paupertate vitium est? sed in paupertate, illa expedita est, hilaris, tuta, tu illam opinione grauem reddis.* Et item in Epist. 2. *Cui cum paupertate bene conuenit, diues est.* Ac rursus, *Non est in paupertate vitium, sed in animo, illud, quod paupertatem nobis grauem facit, diuitias quoque graues facere potest. Quemadmodum enim nihil differt, virum agrum in lecto ligneo, an in aureo colloces, quocumque illum transtuleris, morbum suum secum transfert, sic nihil refert, utrum agri animus in diuitiis, an in paupertate ponatur, malum enim suum sequitur.* Accedat Chrysof. homil. 65. ad Populum, *Nec paupertas* (inquit) *neque diuitia bonum, sed voluntas*

Seneca.

65

Chrysof.

*A* nostra, si enim hæc bene disposita fuerit, neque diuitia nos a regno pellent, neque paupertas, ut minus habeamus faciet. Item homil. 38. in Epistolam ad Corinthios, sic habet, *Neque enim animi aegritudinem paupertas, neque voluptatem pariunt diuitia, sed hoc, & illud solet nobis indere cogitatio, & opinio.* Hanc interpretationem idèd aliis præferendam censeo, quia cum sequenti versu concinit, *Melius est parum, &c.*

Non abit ab hac expositione longius translatio Septuaginta, quæ sic habet, *Omni tempore oculi malorum suscipiunt, aut suspiciunt mala.* Dissimilitudinem hanc peperit vox illa *ἔϑη*, pro qua Septuaginta legerunt, *ἔϑη*, in regimine plurali ab *ἔϑη*, id est, oculus. Pertinet autem ad auaritiam, hæc enim oculorum concupiscentia dicitur. Itaque ait, auarus omni tempore ea omnia auidissime desiderat, quibus oculos iniicit suos, atque adèd sua illum concupiscentia tot perturbationibus, & angoribus implet, *Boni autem quiescunt semper*, id est, qui suis contenti sunt, nec inhiant alienis, animi tranquillitate, & quiete iucundissima perfruuntur.

XVI. *Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni, & insatiabiles.*

*M*elius est parum, &c. Hebraicè ad verbum, *Melius est parum cum timore Domini, præ thesauro multo, & tumultus in eo.* Chaldaus, *Quam thesauri multiplicationis, in quibus est turbatio.* Septuaginta, *Melior parua pars cum timore Domini, quam thesauri magni sine timore.*

66

*D* Sententia huius carminis est perillustis, & cum superiori cohæret, *Melius est parum cum timore Domini.* Huc spectat illud Vatis, *Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.* Ratio quidem est in promptu. Quia ingentes diuitiæ, si timor Dei absit, augent sui concupiscentiam, hæc autem innumerabiles perturbationes parit. At tenuis census, cum timor Dei adest, adinstar omnium diuitiarum obtinet, quia timor iste concupiscentiam, quasi fræno quodam constringit, ac moderatur, qua sublata omnes paupertatis molestiæ de medio tolluntur. Itaque versus iste cum superiore sic consuendus est. Non modo pauper sua sorte contentus eum superat, qui paupertatem ægrè fert, sed etiam diuiti longe præstat, qui necdum cupiditatibus suis imperat. Lege Chrysof. in hom. 38. in Epistolam ad Corinthios, ubi hæc de re latissime disputat. Virum enim pauperem, quem Dei timor non concutit, ab stercoreario per gradus suos promotum ad totius mundi clauum atciscit, & vicissim alium Deum timentem à summo rerum omnium imperio deiectum ad stercorearium per suos itidem gradus demittit: illum verò inter tot fortunæ accessiones propter effrænatas cupiditates miserum esse docet, hunc autem inter tot detrimenta, & iacturas fœlicem, atque beatum, quia timore Dei suas cupiditates compressit. Vim autem huius timoris ad compescendas cupiditates tradit idem Chrysof. hom. 26. in Epistolam ad Hebræos, *Adsit* (inquit) *timor Dei, & nihil erit molestum, siue duxeris paupertatem, siue morbum, siue captiuitatem, siue seruitutem, siue quiduis aliud molestum, sed & ipsa nobis opem afferent ad contraria. Scilicet paupertas diuitiis honestior, morbus sanitate firmior, captiuitas denique, & seruitus libertate gloriosior, ac potior erit.* Vnde tanta timoris Dei vis ad commutandas malorum vices? Paulò post addit, *Timor Dei concupiscentias extirpat.* Sanè cupiditas malotū

Chrysof.

67

Chrysof.

omnium radix est, hanc verò radicem timor Dei stirpitus eruit, qua eruta, mala omnia in bonum permulantur, paupertas in diuitias abit, morbi in valetudinem, captiuitas in libertatem. Timor autem Dei concupiscentiam ideo radicitus excindit, atque omnes illius fibras carpit, quia sicut concupiscentia malorum omnium, ita vicissim timor Dei bonorum omnium radix est, ex August. in serm. 23. de tempore, & Ecclesiast. cap. 1. ait, *Radix sapientiae timere Deum.* Quapropter cum primum hæc posterior radix cordi innascitur, quasi effurato humore, ac succo, prior illa extenuatur, & tabescit. Sicut euenire solet in agris, cum aliquod gramen fortius adoleuit, & tellurem late impleuit, reliquæ infirmiores herbæ tabescunt, & deficiunt.

August.  
Eccel. cap.  
1. nu. 25.

68

Itaque parum cum timore Dei, nihil aliud est, quam tenuis census sublata amplioris concupiscentia, hic autem præstat diuitiis insatiabilibus. At quantum præstat? Alij quidem legunt, *Beatius est parum cum timore Dei,* nec immetitò: nam si quis in hoc mundo verè beatus dici debet, quia futuræ beatitudinis solatia iam delibat, certe non alius est, quam pauper sua conditione contentus. Audi Chrysostomum in homilia prima ad illa verba, *Salutate Priscam, & Aquilam, &c. Pauper* (inquit) *numis parum valens, & Deum timens, atque his omnibus curis carens, leo est, ignem spirat, generoso, ac forsi animo aduersus omnes insurgit, facile omnia agit, quoniam qui semel vitam despexit præsentem, magna cum facilitate conficit omnia, cæli municeps est, & ad futuram festinat vitam.* Apud Romanos quidem municipes appellabantur hi, qui cum Roma abessent, tamen munera ciuitatis capiebant, & iisdem priuilegiis gaudebant, quibus alij Romanæ vrbs incolæ. Ergo pauper sua sorte contentus, cæli municeps iure nuncupatur, qui extra cælum in terris agens iam inde præclara quædam munera, priuilegia, & dotes capit, ex his, quibus cælestis Hierosolymæ ciues fruuntur. Percurre singula, ego enim parco compendij studiosus.

Chrysof.

XVII. *Melius est vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio.*

69

**M**elius est vocari ad olera. Hebraicè, *Bonum vitaticum oleris, & dilectio ibi præ bene saginato, & odium in eo.* Chaldæus, *Melius est prandium oleris, ubi est charitas, quam boues pingues, ubi est odium.* Septuaginta, *Melior hospitalitas cum oleribus ad amicitiam, & gratiam, quam appositio vitulorum cum inimicitia.*

Mitto quasdam allegoricas interpretationes, qualis est illa. Melius longe est ad olera, & communissimum quemque cibum sumendum accedere beneuolo in proximum animo, quàm ad pinguisimum Eucharistiæ Sacramentum cum odio. Nihil enim est, quod magis hominem ab augustissimo illo conuiuio deterere debeat, quam odium, & discordia, utpote quod ad conciliandos fidelium animos inuentum est. Nec non illam, quæ nomine oleris (quod iuxta Paulum ad Romanos 14. infirmorum cibus est, *Qui infirmus, inquit, est, olus manducet*) imperfectiores virtutum actiones capit, nomine autem saginati vituli perfectissima earundem opera. Itaque ait, satius est virtutum imperfectissimas actiones, quasi olera in charitate, ac Dei gratia sumere, aut peragere, quam earundem nobilissima opera in odio præstare. Illis enim æternæ vitæ meritum paritur, his autem non ita.

Paul. ad  
Rom. 14.  
num. 2.

Omissis autem his quadruplex occurrit huius loci interpretatio. Rodolphus existimat finem

**A** præscribi, ad quem conuiuia, & comotationes instituendæ, & celebrandæ sint, scilicet ut discordiæ excindantur, & charitas, beneuolentiaque obfirmetur, hoc sensu, *Melius est vocari ad olera cum charitate, &c.* Longe præstabilius est conuiuium oleribus instructum, id est, tenuissimum, ac fragillissimum, quo amor, charitasque sancitur, quàm lauta opiparaque mensa, qua odia, atque dissidia non sedantur. Itaque Salomon conuiuia splendidiore esse dicit, non quæ lautioribus ferculis abundant, sed quæ ad ineundam alicuius gratiam, & abolendam discordiam comparata sunt. Hic enim est præstantissimus conuiuiorum finis. Libet hic subnectere Æmilij proloquium apud Plutarchum in Apoph. Rom. *Eiusdem* (inquit) *artis est, & aciem bene instruere, & conuiuium exhibere, illud quidem, ut hostibus sit quam maxime formidabile, hoc autem, ut amici comparentur, & vincantur.*

Plutarch.

80

Iansenius existimat modum tradi, quo quis domi suæ cum familia agere debet in mensa instruenda, & cibus parandis. Non enim, inquit, paterfamilias studij tantum in parandis multis, splendidisque cibus ponere debet, quantum, ut beneuole, & iucunde cum suis degat: nam parcissimi cibi beneuolos animos suauiter reficiunt, quàm copiosissime epulæ dissidentes, ac discordes. Vel aliter, inquit, docetur conuiuia ad quos potissimum diuertere debeat ad epulas sumendas. Itaque ait: Præstat in domum amici ad olera, vel tenuissimum alium cibum sumendum diuertere, quam domum hostis & odio habentis adire, & in opiparo, lautissimoque conuiuio discumbere. Quamuis autem præfatæ interpretationes non omnino displiceant, tamen (ut dicam, quod sentio) alia, atque alia occurrit expositio, quæ mihi accommodatior, & cum superiori textu cohærentior videretur.

**D**

Ergo per charitatem, aut odium, non quidem beneuolentiam, aut discordiam intelligo, quæ homini cum homine intercedit, sed amorem, aut odium Dei erga homines. Nam cum præmississet Salomon, *Melius esse parum cum timore Dei, quàm immensus, & insatiabiles opes,* iam nunc addit, *Melius est vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum, &c.* Quasi dicat, satius est ad eam paupertatem deuenire, ut oleribus pasci opus sit (Deo id ex beneuolentia disponente, ac dispensante) quam diuitias ingentes obtinere, si tamen Deus illas ex odio in perniciem ipsius hominis dispensat. Itaque cum pauperi quasdam alias adamandæ paupertatis rationes supra proposuisset Salomon, iam nunc potissimam ex omnibus proponit, nimirum paupertatem à Deo Opt. Max. plerumque ex beneuolentia amicis immitti, diuitias verò, & fortunas ex ira, & odio hostibus erogari. Vtrumque verò æquè exploratum, & compertum est. Lege August. ad illa verba Psalm. 72. *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias,* & serm. 15. de diuersis ad illa verba, *Meum est aurum, & meum est argentum,* ubi late docet diuitias à Deo impiis ex ira donari, quia hæc illis copiosissimam ingentium peccatorum segetem administrant. Paupertatem autem à Deo ex beneuolentia iustis immitti suadet idem Augustinus in sermone octauo de Tempore, *Non vobis* (inquit) *sit ingratum, quod mendicatis, nec idè in corde vestro aliquid contra Deum dicatis, quia ille iustus, & pius est in omnibus operibus suis, & re idè pauperem feci, ut sufferendo breuem inopiam, æternam vitam acquireret, & ut sublatis opibus, peccandi quoque occasiones auferret.*

81

August.

Quod si hæc interpretatio parum aridet, subnecto denique aliam magis accommodatam, quam nobis offert Chrysost. hom. 1. in Epist. ad Coloss.

82

Chrysof.



Subiicio verba, *Ponantur ( inquit ) dua mensa, altera quidem his repleatur, habeat pauperes, debiles, nudis pedibus absque calceis, una tunica indutos, ea- que detrita. Altera autem habeat potentes, exercituum ductores, Toparchas, &c. Rursus in mensa pauperum nec sit argentum, nec vini multum, sed quod satis est, ac possit ex hilarare, pocula autem, & vasa reliqua confecta sint ex vitro solo: illic autem in mensa diuitem vasa quidem omnia sint ex argento, & auro. Et sint quidem huius cibi lauti, & opipari. Illi autem quantum ad satiandum appetitum, & serereandum ( pleraque intercipio. ) Age igitur, videamus in quamam ex his mensis accumbemus? Ego quidem vado ad mensam pauperum, quia melior, ac purior repleta est voluptate, & honore. Honestior quidem est, quoniam Christum habet accumbentem, illa autem homines, hæc Dominum, illa seruos. Sed videamus vtra maiorem habeat voluptatem in presentia? Longe inferiorem voluptatem ex mensa illa splendida, & lauta diuitem hauriri, quam ex tenui, & frugali pauperum mensa multis euincit Chrysofost. Honore n præterea & gloriam in illo diuitem conuiuio lædi, paulò post sic probat, *Humile quidem quando fuerit prope sublime, tunc apparet humilior, & addito humile reddit humilior, non altius. Ita nos quoque humiliores reddit, & abiectiores, cum illis accumbere ( scilicet cum diuitibus. )* Addit verò non solum voluptate, & honore, sed etiam libertate pauperum mensam diuitem epulis antecellere. *Quid certius? Ibi enim discumbentes non audent aut manum in ferulorum mittere, aut verbum aliquod eloqui, hic omnia libera sunt.* Hæc, & alia pleraque conflat Chrysofostomus, quibus ostendit pauperum frugalem, & tenuem mensam honore, voluptate, libertate, & gratia diuitem triclinia superare, ac demum Salomonis verba sic inferit, *In tribus illos superamus, scilicet voluptate, honore, libertate, & gratia. Nam ego malim quidem solum panem sumere cum gratia, quam innumerabiles cibos cum seruitute, & melius reor esse vocari ad olera cum charitate, quam ad vitulum sanguinatum cum odio.* Hactenus ille. Itaque doctor iste existimat his verbis simpliciter pauperum mensam tenuem lautissimis diuitem mensis præferri ob gratiam, & charitatem. Quia nimirum in illa amice, & beneuole agitatur conuiuium, atque aded iucundè, libere, & honeste, in hac verò quasi ex odio, iniucundè, feruenter, & humiliter geritur. Nullus autem est ait Chrysofost. qui non malit olera, vel si quis alius est vilior cibus, iucundè, liberè, & honestè cum paupere sumere, quam pretiosissimas epulas, iniucundè, feruenter, ac turpiter cum diuitibus agitare. Ex omnibus interpretationibus, hæc mihi videtur accommodatior.*

*XVIII. Vir iracundus suscitatur rixas: qui autem patiens est, mitigat suscitatas.*

**V**IR iracundus, &c. Hebræa ad verbum sic habent, *Vir exandescens suscitabit contentionem, & longus naribus quiescere facit litem.* Chaldaus, *Vir iracundie prouocat rixam, & longanimitas extinguit litem.* Septuaginta, *Vir animosus parat rixas, longanimitas autem & eam, qua futura erat, mitigat.* Addunt verò aliam omninò similem sententiam, *Longanimitas vir extinguit iudicia, impius autem suscitatur magus.* Quæ verba non respondent originibus, & ni fallor non est alia, sed eadem eiusdem loci translatio diuersis verbis concepta. Quis longus naribus, quis item breuis supra docui cap. 14. vers. 17. & 29. Ex quibus locis, atque aliis, in quibus de mansuetudine egimus, plures senten-

as petere licet ad hanc illustrandam.

Sensus autem perspicuus est, *Vir iracundus prouocat, &c.* id est vir ille, qui facili, ac leui de causa corripitur, & furore exandescit, lites plures excitat; ac vir mansuetus, & lenis exsuscitatas iam extinguit, silentio videlicet, aut molli responso, aut etiam tempus peruertens iam iam excitandas prohibet, ne erumpant. Sic enim Septuaginta, *Longanimitas autem, & eam, qua futura erat, mitigat.* Chaldaus quidem transtulit, *extinguit litem.* Et Septuaginta in posteriori sententia, *extinguit iudicia.* Ducitur autem similitudo ab igne. Audi Chrysofostom. mansuetudinis ad lites extinguendas vim deferribentem in acta Apostolorum hom. 6. *Neque ferrum ignitum aqua intinctum statim calore amittit, sicut si incidat in animam longanimitas vir iracundus.* Eandem sententiã tradit Chrysofostomus hom. 21. in Epistolam ad Hebræos, sed nouo schemate, *sicut ferrum ( inquit ) ignitum in aquam iniectum amittit ignem, sic iracundus in longanimitatem incurrens nihil eum lædit, imò eum inuat. Nihil enim longanimitati simile, nunquam iniuriatur eiusmodi homo, sed sicut adamantina corpora non vulnerantur, sic etiam animi tales, &c.* Aliter de extinguenda iracundia, atque litibus ratiocinatus est Diuus Hieronymus contra Rufinum, qui iracundiam ex eorū ignium genere esse dicit, qui aqua iniecta excitantur, vt apparet in calce, quæ aqua insperfa incalescit, & inflammatur, hæc autem, quæ aqua inardescit, oleo sopitur, atque restinguitur. Ad eundem modum iracundiam ( inquit Hieronymus ) frigida verba, velut aqua calcem, inflammant. Verba autem frigida appellat conuitia, probra, & maledicta ( quæ charitate refrigerante promuntur, quibus etiam adnectit meum, & tuum frigidum illud verbum, ex Iacobo. ) Licet ergo sic partiri. Maledictis quidem, probris, & eiusmodi aliis frigidis verbis iracundia ignescit, & frigido illo verbo meum, & tuum, lites inflammantur, veluti calx aqua infusa inardescit, vtrumque verò extinguit mansuetudo; & qui ex mansuetudine olei ad instar molles, ac blandi sermones fluunt.

*XIX. Iter pigrorum quasi sapes spinarum: via iustorum absque offendiculo.*

**I**TER pigrorum, &c. Hebræicè, *Via pigri, velut sapes spina, & semita rectorum strata, vel trita.* Chaldaus, *Via pigrorum tribuli, & spina, & via rectorum trita est.* Septuaginta, *Via otiosorum strata spinis, fortium verò trita.* Symmachus concinit cum nostra. Pro fortibus verò Aquila, Symmach. & Theodot. rectorum reddunt.

Primam expositionem, in quam reliqui interpretes conspirant, tradit Diuus Gregorius in lib. 30. Moral. cap. 13. his verbis, *Multos saepe videmus vitam quidem sanctæ conuersationis appetere, sed ne hanc assequi valeant, modo irruentes casus, modo futura aduersa formidare, qui incerta mala dum quasi cauti prospiciunt, in peccatorum suorum vinculis detinentur. Multa enim ante oculos ponunt, qua si eis conuersatione eneniant, subsistere se non posse formidant, de quibus bene Salomon ait, iter pigrorum quasi sapes spinarum. Nam cum viam Dei appetunt, eos velut spina obstancium sapium, sic formidinum suarum opposita suspiciones, pungunt, quod quia electos præpedire non solet, bene illic securus adiungit, via iustorum absque offendiculo.* Eandem sententiã tradunt Beda, Hugo, Iansenius, Caietanus, Rodolphus, Arboreus, & alij, & mihi etiam accommodata videtur, *Iter pigrorum quasi sapes spinarum.*

Similitudo ducta videtur ab agricolis, qui vias, aut semitas in sua prœdia obiectis vepribus, ac rhamnibus aculeatis obstruere solent ad viatores arcendos. Addit, *Via iustorum absque offendiculo*. Hebraicè, *Via iustorum strata lapidibus*. Lapidibus quidem offendicula significant, seu scandala. Liceat ergo sic dicere. His scandalis via iustorum constrata, & cõplanata est, nam difficultates, labores, & molestiæ, quæ in via virtutis obueniunt, & aliis scandalo esse solent, iustis non ita. Quinimò eiusmodi molestias & difficultates calcantes, & obterentes eas sibi substernunt, ne impingant, & veluti lapidibus constratam viam agunt. Chaldæus, *Via iustorum trita*, atque adedò facilis. Non enim iubemur viam aliquam nouam ingredi, sed tritam multorum pedibus, qui ante nos illam emensi sunt, & suo exemplo facilem reddiderunt.

87

Rabi. Abē.  
Hezra.

Ceterum duas alias offeram interpretationes. Prior quidem consuit hæc verba cum superiori versu, in quo de viro iracundo, & miti sermo est. Præmittenda autem est obseruatio Rabi Aben-Hezra, qui hic pigrorum nomine improbos in vniuersum notari vult, quia iustis, ac rectis ex aduerso opponuntur. Ergo cum Salomon dixisset rixas, liresque plurimas ab iracundo excitari, addit, *Iter*, seu *via pigrorum, quasi sæpes spinarum*, id est, conuersatio impiorum hominum spinosa est, & acerba, atque adedò multos pungit, ac lacerat. Hinc dissidia, & rixæ, *Via autem iustorum absque offendiculo*. Nemo enim ad illorum conuersationem illidit, nemo impingit. Et quidem viri immitis, & ad iram velocis omnem conuersandi rationem senticosam esse, & quasi spinis multishortidam exploratum est his, qui eius aculeos assiduo experiuntur, quorum puncturis nunquam non dolent. Ad hunc modum acerbos homines, & ad iram procliuēs, spinosos vocat Seneca in lib. de Consolatio. ad Alb. cuius verba alibi dedimus.

Seneca.

88

Tertia interpretatio, quæ mihi apposita magis videtur, tota ad pigritiam, & socordiam spectat. Salomon ergo illos pungit his verbis, qui ex incuria, & inertia prœdia sua, & fundos, nec visunt, nec excolunt. Itaque ait, *Iter pigrorum, quasi sæpes spinarum*, id est, via eorum in prœdia, & in fundos spinis, ac tribulis horret, perinde ac sæpes hirsutis vepribus implicata, nimirum quia inertia domi iacentes illam non exerunt, non calcant, nam quæ non calcantur viæ, enatis vepribus citius syluescunt, horridæ, atque immeabiles sunt, *Via iustorum absque offendiculo*. Chaldæus, *Via iustorum trita*. Nomine iustorum impigros, & strenuos intelligo, quia pigris opponuntur. Quod quidem ita placuit Septuaginta, qui simili etiam ratione conuerterunt, *Via fortium, seu strenuorum trita*, viæ nimirum ad prœdia, & fundos eorum tritissimæ, quia dum ad illa inuisenda, & excolenda eunt, redeuntque, semitam proterunt, atque calcant. Neque aliud sibi volunt verba vulgari, *Via iustorum absque offendiculo*, id est, semita eorum expedita est, ac perpurgata, quia cum sæpius per illam pergant, omnia impedimenta, atque obices inde pellunt. Hac autem paraphrasi Salomon significat pigrorum, & inertium agros, ac prœdia inculta syluescere, ac sollicitorum fundos accuratissimè coli, & tractari. Tu autem ex tribus expositionibus eam præfero, quæ magis placuerit. Ego quidem huic extremæ plus defero.

XX. *Filius sapiens latificat patrem: & stultus homo despicit matrem suam.*

**F**ilius sapiens, &c. Hebræa non dissonant. Septuaginta, *Filius autem imprudens subsannat matrem suam*. Symmachus, *vilipendit*.

89

Eandem sententiam supra adscripsit Salomon *Prou. cap. 10. vers. 1.* nisi quod ibi stultum filium mœstiam genitrici suæ afferre dicit, hic verò illam ab eodem despici, & vilipendi affirmat. Vide quæ ibi diximus, nam pleraque in hunc etiam locum conuicere licet. Extrema verò isthæc verba, *Despicit matrem suam*, duplicem ad sensum vocare integrum est. Aut enim significant matrem à filio stulto, & vecordi ludibrio aliorum exponi, quæ interpretatio iisdem scholiis illustrari potest, quæ in eum locum contulimus. Vel aliter, *Filius stultus suam ipsius despicit*, ac pro nihilo ducit matrem, ac parentem, scilicet ob infirmitatem sexus. Ita enim euenire solet, vt procaces filij matres suas, vt potè infirmiores, & debiliores, prorsus contemnant, &

Prou. cap. 10. vers. 1.

earum monitis, ac præceptis minimè acquiescant. Hoc verò stultitiæ meritò tribuit Salomon, quia filij de matre colenda arctissima obligatio est, quam qui violat, vecordix iustissime cõuincitur. Hanc obligationem attigit Tobias cap. 4. qui extrema filio suo cognomini mandata tradens, sic eum affatus est, *Cum acceperit Deus animam meam, corpus meum sepeli, & honorem habebis matri tuæ omnibus diebus eius. Memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit pro te in utero suo*. Quæ verò ratione mater colenda, & obseruanda sit, tradit Plato in dialogo

Tob. cap. 4. num. 3.

Plato.

de legibus, *Cuius (inquit) mater confecta senio quasi thesaurus quidam domi iacet, is putat nunquam aliud sibi tale simulacrum magis efficax domi suæ affuturum, si recte, vt decet, ab eo colitur*: quibus verbis honores quodammodo diuinos matri ab homine tribuendos esse docet. Ac rursus ab utroque parète sic scribit, *Existimandum est nullum apud Deos magis venerandū simulacrum nos habere debere, quam patres senio confectos, matresque simul, quibus honor à deo Deus gaudet*. Hæc sanè verba alibi à me enucleatius expendenda sunt, tantummodo hîc obserua illa verba extrema, *quibus honorandus Deus gaudet*.

**E**nim præmississet honores diuinos matribus tribuendos esse, ne id Deo iniuriū esse putares, addit Deum ipsum, qui sui honoris, ac cultus nullum alium confortem vult, libenter ac sine inuidia matres in sui honoris cõfortium admittere, nimirum quia quidquid honoris, & obsequij parentibus defertur, ad Deum ipsum, à quo omnis paternitas fluit, redire putandum est. Cum ergo filius obsequij tantum, & obseruantix matri suæ debeat, qui per summam impietatem illam despicit, & vilipendit, meritò quidem stultitiæ, & vecordix extremæ cõuincitur.

**E** Ad hæc matrum suarum despectores impij, vulgè ab hominibus despici, & pro nihilo haberi solent. Ita enim decet filios honoris aliquid, aut æstimationis apud homines minimè consequi, nisi matribus suis deferant. Hæc enim tria, opes, vitam, & honorem filiorum ex parentum precibus propterea pendere voluit Deus (vt docuit idem Plato) vt filij se honorem, longam vitam, & opes adepturos omninò diffiderent, nisi honorem parentibus deferrent, & vitam eorum opibus suis sustentarent. Et quidem illa tria ex decreto Dei à parentibus in filios proficisci apertissimè scriptura pronunciat. De vita quidem Deuter. 5. Eccles. 3. & alibi. Illud ad opes spectat, *Honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio à Deo*. Et illud, *Benedictio matri firmat*

90

Deuter. 5. num. 16. Eccles. 3. num. 9. demos

domos filiorum, & maledictio matris, &c. Illud item ad honorem pertinet, Gloria enim hominis ex honore patris est, &c. Quamuis autem ab utroque tum patre, tum matre, hæc tria in filios fluant, sed tamen filiorum honorem, vitam, & opes à matris obsequio imprimis pendere contendo. Sicut enim naturalis dependentia filij ex matre maior est, quam ex patre, (Mater enim filium concipit, gestat, nutrit, atque alit) ad eundem modum moralem dependentiam, quæ naturalem consequitur, longe maiorem esse filiorum ex matre, quam ex patre existimo, ac censeo, atque ad eam matræ despectores his omnibus bonis iustius priuari, quæ eos, qui patribus suis non deferunt. Et quidem ita decuit, ut filiorum æstimatio, & honor ex matrum prece magis penderet, ut filij matres, quæ infirmiores sunt, ac propterea magis contemptui patent, sibi suspiciendas, atque summo in honore habendas esse discerent. Lege tamen hac de re plura infra cap. 23. vers. 22.

Prov. cap.  
23. vers. 22.

D. Basil.

XXI. Stultitia gaudium stulto: & vir prudens dirigit gressus suos.

Stultitia gaudium, &c. Hebraicè, stultitia gaudij carenti corde, aut excordi, & vir intelligentia dirigit seipsum ambulando. Chaldaeus, Et vir prudens rectè graditur. Septuaginta, Dementi semita indigentes corde, vir autem prudens recta tendens vadit. Symmachus concinit cum nostra.

91

Rodolphus (mea quidem sententia locum istum perperam nescit cum superiori. Iansenius autem existimat hic tantummodo innui diversa admodum esse prudentium, atque stultorum studia, hi enim stultis rebus, aut agendis, aut pronuntiandis ouant, & gestiunt, illi autem caute librant, ac dirigunt gressus suos, & tunc demum latantur, cum aliquid prudentius, & rectius ab illis gestum est. Non displicet, tamen nescio qua ratione mihi friget hæc interpretatio; ita ut credam hæc Salomonis verba illustriorum aliam sententiam cohibere.

Obserua igitur vocem stultitia, in primitiuis esse in regimine, ad eam ut ad verbum sic reddenda sit hæc sententia, Stultitia gaudij carenti corde: sic transtulit Caietan. exposuit autem ad hunc modum, Gaudium nimium, & effusum, stultitiam, & recordiam testatur. Ergo eiusmodi gaudium in stultum cadere dicit, qui cor suum moderari nescit, & inordinatos illius motus temperare. Ego verò aliter sic expono, Stultitia gaudij carenti corde, nimirum lætia effusior, & intemperans hominem, qui cor suum moderari nescit, ad pleraque stulta, fatuaque facienda compellit: nam vecors animus lætia laxatus inordinatissimè se gerit, Vir autem prudens dirigit gressus suos, videlicet in lætia, & gaudio non desipit, & immoderatè agit, sed actiones suas prudenter, cauteque disponit. Itaque verba illa vulgatæ nostræ lectionis, Stultitia gaudium stulto, non ita capiendæ sunt, quasi dicant, fatuum ex stultitia gaudere, sed potius stultum ex gaudio prorsus desipere, & stultius agere. Ut sensus sit, gaudium stultitia est stulto, non vicissim stultitia gaudium, vel gaudio est stulto. Ad hunc modum explicata venustior, ac concinnior euadit sententia. Atqui ob lætiam effusam, & laxam stultos multa inordinate, & insipienter agere, certò certius est. Nam gaudio elatus animus soluitur intemperanter, ac diffiuit. Unde Pseudo August. in libello de confictu vitiorum; ac virtutum sic ait, Inepta lætia sic dicit, Ut quid animi gaudium intus abscondis? Ingrederi in publicum latius; dic aliquid foris, unde vel tu, vel proximi rideant, fac eos lætos tua lætia,

92

Pseudo  
August.

Tom. 1.

&c. Gaudium utique lenitas motum sequitur, nisi acriter compefcatur, læticiam autem moderari summæ prudentiæ est.

XXII. Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium: ubi vero sunt plures consilij confirmantur.

Dissipantur cogitationes, &c. Hebraicè ad verbum, Infringuntur cogitationes in non secreto, & in multitudine consiliorum stabit. Vox enim una sonat, utrumque sonat, secretum & consilium. Caietan. Et multitudo consiliorum confirmabitur. Licet etiam referre hæc sententiam ad libui hoc modo, Frange cogitationes quando non est consilium, & in multitudine consiliorum stabit. Chaldaeus, Franguntur cogitationes ubi non est secretum, & multitudine consiliorum consilium confirmatur. Septuaginta, Differunt cogitationes, qui non honorant concessu, in cordibus autem consultantium manet consilium. Aquila, Symmachus, & Theodotion extrema verba sic efferunt, Et in multitudine consiliorum firmabitur, supple consilium.

Hæc lectionum dissimilitudo diuersas parit interpretationes. Quædam ex his ad secretum pertinent: Paraphrasis Chaldaica sic habet, Franguntur, aut dissipantur cogitationes, ubi non est secretum, & in multitudine consiliorum consilium confirmatur. Quam sententiam duplicem ad sensum vocare licet. Prior est eiusmodi. Prudentiæ ingentis est duo inter se conferre, & optimum eligere, hæc scilicet. Si quis animi sui sensa, & cogitationes aliis aperiat, secretum soluitur, & facile admodum res in vulgus spargitur, sed tamen dum quia multos adhibet consiliarios, certius, atque firmius de rebus decernit. Ergo ad prudentem virum spectat constituere quando secreto opus est, quando item consiliarios adhibere oporteat, nam utrumque assequi non licet. Vel aliter præcipit Salomon, ne quis cogitationes suas, & animi sensa aliis prodar, quam consiliariis. Itaque sensus est, Franguntur cogitationes, ubi non est secretum, id est, cogitationes, & consilia prodita, & in vulgus sparsa eliduntur, infirmantur, ad eam ut sapius vrgeri, ac perfici non possint. Cum verò his tantummodo aperiuntur, qui consilio suo eadem promouere possint, magis, ac magis confirmantur, & roborantur. Hanc sequitur Caietan. Mihi autem prior interpretatio perplacet.

Reliquæ lectiones de consilio, atque consultatione loquuntur. Sed tamen non eadem sententia est omnium. Quædam ergo per imperandi tempus extulerunt, ad hunc modum, Frange, aut dissipa cogitationes, quando non est consilium, & in multitudine consiliorum confirmaberis, id est, tuas ipsius cogitationes, & animi decreta infringe, hoc est, noli sectari, quando aliorum consilio vsus non es, si tamen plures tibi suppetant consilij; multorum arbitrio quilibet tuto suscipere, & aggredi poteris. Obserua illud, Frange, propria enim decreta, & sententiæ quodammodo rigent, atque ad eam ut opus est maxima ad ea flectenda, ne dicam infringenda. Unde ingenia quædam in suis obfirmata sententiis rigida, & flecti nescia, appellauit Seneca Epistol. 32. Quod si adhibeamus verbum illud, dissipa, &c. quo vsus est vulgatus, & nihilominus ad imperandi tempus referamus alia, nescio, an aptior euadet sententia, dissipa, inquam, id est, cogitationes sparge, & in vulgus ede tuas cogitationes, & decreta, quando non suppetit aliquis vir

94

Seneca

Z z

prudens, cuius consilio omnino fidendum sit. Et in multitudine consiliatorum confirmaberis, id est, plures habebis consiliarios, totam scilicet multitudinem, cuius vox rebus agendis solet plerumque potiora, & saniora sequi. Et quidem prudentissimi quidam viri, antequam de rebus agendis sermo statuatur, illos in vulgus dare solent, & multitudinis decreta, & iudicia expectant, nam quod vulgo probari sciunt, id semper præferendum putant, quod prudentiæ consilium Reges, ac Principes imprimis decet, vt docet Aristotel. libro tertio Politicorum.

Aristot.

95

Translatio Septuaginta locum alteri interpretationi facit, *Differunt cogitationes, qui non honorant confessus, aut consilia, in cordibus autem consultantium manet consilium.* Alloquitur (ni fallor) Salomon Reges ac Principes ex mente Septuaginta. Hi enim viuuntur synedriis, atque conciliis consiliatorum ad res deliberandas. Itaque ait, Principes, qui suorum consiliatorum confessus non satis honorant, nec ab his rerum agendarum rationem exquirunt, nihil opportune, & tempestiue faciunt. Hoc sibi vult illud, *Differunt suæ cogitationes*, id est, ea, quæ gerere decreuerunt, differre, ac non satis opportune perficere coguntur. Græcè *καθ' ἑαυτοῖς*, id est, tardantes, cunctantes, ab *καθηκόντων*. Quod si deducas ab *καθηκόντων*, licebit vertere, *superponunt*, aut præponunt suas cogitationes, &c. eritque sensus, Principes quotquot suas cogitationes, & iudicia aliorum iudiciis anteponunt, non satis deferunt conciliis, & confessibus suorum consiliatorum, nec eorum exquirunt arbitria. Hoc verò suam remeritatis est, ac delicti, *In cordibus autem consultantium manet consilium*, id est, Principes illi consulti agunt, qui alios consulunt, & de illorum consiliis res administrant. Vel aliter, *In cordibus autem consulti manet consilium*, id est, cum Principes suis consiliariis non satis deferunt, suas præponentes sententias, atque iudicia, efficiunt profus, ne consiliarij liberè satis loquantur, atque ad eò sententias suas animo celebant, id sibi vult illud, *In cordibus manet consilium*, id est, non proditur, non manifestatur, &c.

96

Ad extremum vulgaratam lectionem Rodolph. & Iansen. sic exponunt, *Disipantur cogitationes, vbi non est consilium*, id est, conatus hominum, qui non præmissis consilio, & deliberatione prudentium, res magnas suscipere volunt, sapius irriti euadunt, & frustra fiunt, *Vbi verò sunt plures consiliarij, confirmantur*, id est, constabulantur, ac robur capiunt. Liceat tamen aliter etiam exponere, *Disipantur cogitationes, &c.* Sententiæ illæ, aut arbitria, quæ suo quis iudicio, inconsultis alijs, decreuit, aut desinitur, facile mutantur. Hoc sibi vult illud, *Disipantur*, id est, illis refutatis alia succedunt, quæ verò adhibitis consiliariis decernuntur, hæc firma, & constantia sunt, itaque Salomon (mea quidem sententia) in hoc loco animi inconstantiam, & mobilitatem in deliberationibus (quæ à prudenti viro longe abesse debet) inculcat, & qua ratione vitanda, ac declinanda sit, docet, nimirum si nihil homo serio constituat, antequam eos consulat, quorum prudentiam exploratam habet.

XXIII. *Latatur homo in sententia oris sui: & sermo opportunus est optimus.*

97

**L**atatur homo, &c. Hebraicè, *Latitia viro in responsione oris sui, & verbum in tempore suo, quam bonum.* Chaldaus, *Gaudium est viro in verbo oris sui, & verbum in suo tempore dictum, quam*

**A** bonum. Septuaginta longe aliter, *Non obediet mælus illi, neque dicet opportunum quid, & bonum commune.*

Quidam nesciunt hæc verba cum superiori clausula, ita vt hic sermo sit de illo, qui requisitus, optimum querenti profert consilium, ne quis enim deterreretur à petendo consilio putans consiliarios parum libenter ad consulendum venire, sic addit, *Latatur homo in sententia oris sui.* Hebraicè, *in responsione*, id est, omnis homo, qui rogatus accommodate pro re nata respondet, gaudet quidem, ac gestit. Nec mirum, nam sermo opportune enunciatus est optimus, id est, magni pretij est. At nescit quis vnquam à consilijs exquirendis propterea abstinuit, quia putaret consiliarium parum libenter consilium dare, cum exploratum sit, nihil spontaneè magis, ac libenter ab homine in hominem proficisci, quam consilium? Totà quidem difficultas in eo vertitur, vt qui alium consilij rogandi gratia adit, ille se per animi sui deiectionem submittat, atque prudentia superiorem quodammodo fateatur. Omittitur igitur hæc interpretatio.

**C** Iansen. existimat his verbis commendari in vniuersum, vel responsum ad interrogata opportune oblatum, vel sermonem proponentis, vt cuique tempestiue enunciatum. Nimirum quia ex his ad dicentem, vel respondentem gaudium, & lætitiæ maxima redeat. Non displicet, sed vt dicam etiam, quod sentio, non admodum placet. Est enim sensus cum primis obuius, & frigidus.

Ergo si verbum istum cum superiori consuere velis, sic habeto, *Latatur homo in sententia oris sui.* Rationem offert, propter quam consiliarij ad eundem sunt, quia nimirum cuique homini sua ipsius sententia perplacet, optimum autem consilium non est, quod magis placet, sed quod magis opportunum, & ad rem, de qua agitur, accommodatum est. Quapropter inter veterum sapientum prologia refertur illud Solon. apud Stob. *Consule non quæ incundissima, sed quæ sunt optima*, sic ille ad consiliarium. Salomon vicissim ad eum, qui consilio opus habet, consilia non quæ tibi iucundissima visa fuerint, quia tua, sed quæ optima, etiam si aliorum sint, præfero, ac sequitor. Ergo sermo opportunus in hoc loco secundum hanc interpretationem, non est sermo opportunè, & tempestiue dictus, sed qui opportuna, & accommodata enunciat, & consulit.

Stobæus

Et quidem hanc esse præcipuam rationem, propter quam aliorum consilia exquirenda sunt, quia nimirum sua cuique sententia, quamuis deterior sit, plurimum arridet, nemo ambigit. Ita docuit Aristot. Ethic. lib. 3. cap. 3. *Cum de magnis* (inquit) *rebus deliberare volumus, assumimus & alijs ad consilium, diffidentes nobismetipsis tanquam non sufficientibus ad id discernendum.* Polit. lib. 3. cap. 12. rationem huius diffidentiae tradit perspicuis verbis, *Atqui egrotantes medici (inquit) alios ad se medicos vocant, & magistri palestra alios magistros, quasi nequeant discernere, qui de proprijs iudicant, & in affectu constituti sunt.* Ob eandem rationem aliquid magnū agere volentem plures alios in consiliū vocare iubet, quia suas quisque opiniones, et si turpes, & absōnas, adamat, & deosculatur.

Aristot.

Quod si hæc verba in vniuersum de opportuna responsione, & apto pronunciato capiantur, ad hunc modum mihi expendenda videntur, ne frigidum sensum reddant, *Latatur homo in sententia oris sui.* Non parum difficile est animi sensa verbis exprimere, ita vt, quod quis penitus sentit, id quidem accommodatis, & appositis verbis enunciet. Ergo Salomon ait, hominem delectat magis opere sententia oris sui, nimirum ore suo animi sensum, &

99

ecogitationem aptis & perspicuis verbis exponere, & sermo opportunus est optimus. Hebraicè, & verbum in tempore suo quam bonum, id est, cum verbum aliquod ad rem declarandam tempestiue occurrit, maximi habendum est. Vnde D. August. lib. 2. de doctrina Christiana sic scribit, *Sententiam animi verbis assequi mire delectat oratorem, at cum propria verba fugiunt dicentem, & aliena occurrunt, sic cruciatur, quasi legato sapienti, & erudito malus eueniat interpres. Quid plura?*

August.

100

Translatio Septuaginta hunc versum cum superiori etiam consuit, sed singulari modo. Cum enim sic præfati fuissent, *In cordibus consultantium manet consilium*, attextunt, *Non obediet malus illi, neque dicet opportunum quid, & bonum commune*, id est, huic bono consilio nequaquam malus homo acquiescit. Quod quidem non ita intelligo, quasi dicat malum hominem sapienti consilio non obtemperare, sed non consentire, aut annuere, vt sensus sit. Malus homo non annuit bono, & sapienti consilio, neque aliquid vnquam consentaneum rationi, & tempori, neque communitati conueniens consulit. Itaque cum in superiori versu ex mente Septuaginta Salomon Principibus suafisset rebus agendis consiliarios plures asciscere, iam nunc addit, iuxta eorundem translationem, nullum vnquam improbum hominem in consilium vocandum. Improbi enim nec bonis aliorum consiliis assensum præbent, nec ipsi vtilia, & communi bono congruentia consilia tradunt. Lege Aristot. lib. 7. Ethicorum cap. 10. vbi hominem incontinentem ab officio publici consiliarij ex eo arcet, quia nequit bona, & iusta consulere, quem ibidem cum eo, qui dormit, ac cum vinolento componit. Atque rursus, *Similis est (inquit) ciuitati, quæ decernit quidem omnia, quæ sunt agenda, & leges habet bonas, sed non vititur, vt Anaxandrites facete dixit.*

Aristot.

*Vrbs consultabat leges, quæ negligit almas.* Itaque hunc propterea à consultationibus arcendum esse dicit, quia similis est ciuitati, quæ leges quidem optimas habet, sed tamen propter ciuium incontinentiam nihil secundum leges decernit. Nam vir iste improbus, & intemperans, etiam si rationem, tanquam optimam rerum omnium agendam legem, & regulam habeat, nihil tamen secundum rectam rationem statuit, sed affectui obsequitur, & cupiditatis impetu abripitur.

XXIV. *Semita vitæ super eruditum: vt declinet de inferno nouissimo.*

101

*Semita vitæ, &c.* Hebraicè, *Via vitæ supra intelligentem, vt declinet ab inferno imo.* Priorem autem partem aliqui sic efferendam esse volunt, *Via vitæ supra intelligentem*, id est, sursum versus, vel ad superna. Hanc sequitur Chaldaus cuius paraphrasis sic habet, *Via vitæ sursum est intelligenti, vt declinet, &c.* Septuaginta, *Via vitæ excogitationes intelligentis, vt declinans ex inferno saluetur.*

Prima interpretatio est Rabinorum, qui loci istius sententiam ad superna spectantem, ad infima ipsi, atque terrena demittunt hoc modo, *Semita vitæ sursum intelligenti, &c.* id est virtus, & honestas (ipsa enim est vitæ semita) hominem sapiens ex humili conditione ad suprema dignitatum fastigia, atque ad honores perducit, & ad magistratus sublimiores capeffendos euehit, ac rursus illum, ab inferno inferiori declinat & facit, id est, sepulchro eripit, ac neci maturæ, vitam illius in senectam multam produdens. Obserua vero ex horum interpretum sententia infernum imum, aut inferius appel-

Tom. I.

lari sepulchrum eius, qui maturius obiit, vel illius, qui priuatus semper vixit, hic enim quodammodo altius, atque profundius inhumatur, quia cum nihil memorabile gesserit, altissima obliuione sepelitur, & ex hominum tollitur memoria.

Ad hæc posset aliquis sic exponere, *Semita vitæ super eruditum*, id est, lex ipsa (hæc enim quasi semita ad vitam ducit) super hominem iustum est, nimirum quia illi sese iustus sponte subdit, atque illam super se excipit, vt ea ratione nouissimum infernum, id est, gehennam euadat. Lex enim sibi subiectum hominem à gehennalibus vindicat flammis. In hanc expositionem discedere videntur Arboreus, Dionys. & alij plures, quæ non est penitus absurda.

Iansenio, & Caietano placet illa facilis, & cum sono verborum cohærens expositio, *Semita vitæ sursum est intelligenti*, id est, vir intelligens probus scilicet, ac pius, semitam vitæ sectatur, scilicet virtutem, & honestatem, quæ illum ad superna ducit, & ad cœlestia euehit, atque ab inferni, & gehennæ præcipitiis vindicat. Et quidem Caietanus infernū inferius appellari existimat orcum, & baratrum, quia cum nomine inferni gaudeat, etiam sepulchrum, & lymbus baratrum quidem infra verumque subternitur D. August. in Psal. 85 ad illa verba, *Eruiisti animam meam ex inferno inferiori*, docet hanc mortalem vitam, & terrenam conuersationem si cum cœlesti conferatur, propter assiduos labores, & ærumnas merito infernum appellari: gehennam verd cum eo compositam inferni inferioris nomen ferre. Ac rursus addit, *Aliam etiam opinionem dicam, fortassis enim apud ipsos inferos est aliqua pars inferior, quo trahuntur impij, qui plurimum peccauerunt.*

102

Quamuis autem hæc, & alia eiusmodi satis accommodatè dicantur, literaliter tamen sensui fit satis si inferius, aut nouissimum infernum imum, atque profundum in vniuersum accipi dicamus, nam in scripturis passim comparatiuum, & superlatiuum accipiuntur pro positiuo. Conatur quidem Iansen. ad hanc expositionem vulgarem lectionem allicere hoc modo, *Semita vitæ super eruditum*, id est, superne eleuata, & ad superiora tendens. Sed hæc omnia aliena sunt.

Præ cæteris autem mihi arridet interpretatio Bedæ, quæ sic habet, *Semita vitæ super eruditum, &c.* id est, via ad vitæ, & beatitudinem desuper illi aperitur, id est, cœlitus à Deo insinuatur, vt per illam gressus suos regens, infernū & orcum infra positum sublimi gradu fugiat, ac despiciat. Sed licet istam expositionem alijs præferendā esse censeā, non tamen adeo exhaustus est locus iste, vt aliam etiam non recipiat fortasse accommodatorem, ad hunc modū, *Semita vitæ sursum intelligenti est.* Hoc est via virtutis, & honestatis, per quā iustum gradi oportet, ardua est, & accliuus, ita tamen opus est ad declinandū, & vitandū infernum, & gehennam, quæ deorsum iacet, quo omnes illi recta feruntur, qui facilem, & decliuem viā vitiorū sectantur. Et quidem in hanc sententiam incidit etiā lectio vulgata, *Semita vitæ super eruditum*, id est, supra illum erecta est, & accliuus. De clivo autem honestatis, & virtutis alibi plura diximus, atque adeo hic supersedendum esse puto.

103

Reliquum est, vt de lectione Septuaginta iudicium feram, *Via vitæ excogitationes intelligentis, vt declinans inferno saluetur*, quæ verba duplici sensu donari possunt. Aut enim significant, virū intelligentem, ac probū vias, & rationes æternæ vitæ capeffendæ sēper excogitare, & apud se moliri, vt ab inferno deorsū iacenti sese vēdicet, vel innuit potius viri probi excogitationes, & meditationes ipsissimas esse vitæ, & salutis vias, per quas iustus baratrum effus-

104

Z z ij

git, & cælo tandem pedem infert. Vtrūque autem verissimum est. Prius quidem liquet, nam cum tot sint præcipitia, & ruinarum occasiones, ad eas vitandas omnem cogitationem, & consilium aduocare opus est. Posterius etiam æquè certum est, nam meditatio assidua, cogitatioque cœlestium, & supernorum ad eadem tandem aliquando capessenda viam sternit.

XXV. Domum superbiorum demolitur Dominus: & firmos faciet terminos viduæ.

105

**D**omum superbiorum, &c. Hebraicè, Et stabiliet terminum viduæ, hæret Chaldaus. Septuaginta, Domos contumeliosorum diruit Dominus, firmabit autem terminum viduæ, licet etiã conuertere, Domum superbiorum extirpabit, aut stirpitus eruet. Nam verbum נד' *Isath*, quod hic reperitur, vtrumque significat, demolietur, & eradicabit.

Sententia huius loci est luculenta. Per viduam omnes in vniuersam afflictos, & humiles intelligit, sumpto singulari pro vniuersali, aut certe solam viduam, cuius patrociniũ Deus libentius suscipit,

Ambros.

tum quia ab omnibus derelicta calumniæ, atque iniuriis valde obnoxia est, tum etiam (ita docet Ambros. in lib. de Viduitate) vt femina primis nuptiis contentæ secundas non ambiant, scientes se post viri obitum in Dei tutelam, & patrociniũ speciali iure venisse. Ob eam causam viduæ causam apud Deũ cæteris præferri docet idem Ambr. lib. 2. cap. 29. *Fides* (inquit) *exhibenda omnibus, sed maior est causa viduarum apud Deum.* Sed tamen erudite id probat in eodem libro de Viduitate, *In diuinis* (inquit) *iudiciis nullo peccato Iudei Dominum læsisse produntur, quam quod viduæ gratiam, minorumque iura violauerunt, hæc prophetica causa vocibus conclamatur, hæc sola causa delicti inuidiam mitigatura memoratur, si honoretur vidua in honoribus, eique iustitia deferatur, sic enim habes* (Isa. 1.)

Isa. 1. 17. *Iudicate pupillo, & iustificate viduam, & venite disputemus, dicit Dominus.* Et alibi Psal. 145. *Pupillum, & viduam suscipiet.* Et alibi Psal. 131. *Viduam eius benedicens benedicam, in quo Ecclesia figura prætextitur.* Et quidem inde Ambros. eius curæ præcipuam causam deducit, quia vidua Ecclesiæ viduitatem adumbrat. Nec immerito, nam sicut nuptiis Deus propterea deferrit plurimũ voluit, quia Christi, & Ecclesiæ, arctissimam coniunctionem ad viuũ exprimunt (dicente Paulo, *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*) ita etiam viduas idèd tantopere curare se dicit, *Quia Ecclesia referunt viduitatem, quæ Christum virum suum amisit.* (Ambros. verba sunt) *secundum corporis passionem, de qua dictum est illud apud Isaiam: Quoniam multi filij deserta magis, quam eius, quæ habet virum.* Ergo cum viduæ causam tanti apud Deum esse sciret Salomon, propterea subdit.

Psal. 145. *Pupillum, & viduam suscipiet.* Et alibi Psal. 131. *Viduam eius benedicens benedicam, in quo Ecclesia figura prætextitur.* Et quidem inde Ambros. eius curæ præcipuam causam deducit, quia vidua Ecclesiæ viduitatem adumbrat. Nec immerito, nam sicut nuptiis Deus propterea deferrit plurimũ voluit, quia Christi, & Ecclesiæ, arctissimam coniunctionem ad viuũ exprimunt (dicente Paulo, *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*) ita etiam viduas idèd tantopere curare se dicit, *Quia Ecclesia referunt viduitatem, quæ Christum virum suum amisit.* (Ambros. verba sunt) *secundum corporis passionem, de qua dictum est illud apud Isaiam: Quoniam multi filij deserta magis, quam eius, quæ habet virum.* Ergo cum viduæ causam tanti apud Deum esse sciret Salomon, propterea subdit.

106 *Domum superbiorum demolietur Deus.* Eorum videlicet, qui viduis iniuriam irrogant, & superbe illorum fortunis, vel honori insultant, domos, id est, familias, & facultates omnes euertit Dominus. Hebraicè, *extirpat*, id est, radicitus eruit, ita vt neque fortunarum aliquid, bonis omnibus exhaustis, reliquum sit, nec posteritatem aliquam, prole sublata, numerent, *Et firmos faciet terminos viduæ, nimirum extremas præditrum, & fundorum illius lineas constabiliet, & obfirmabit, ne quis aut per vim irrumpat, aut per iniuriam minimam, eorum partem occupet.* Vel aliter *firmos faciet*, nouis incrementis, & accessione facultatum. Beda allegorice, sed eleganter, per domos superbiorum Hære-

ticorum concilia, & exedras intelligit, quas Dominus tandem aliquando demolitur, per viduam Ecclesiam, cuius terminos, ac limites in dies amplificat, & dilatat.

XXVI. Abominatio Domini cogitationes malæ: & purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo.

107

**A**bominatio Domini, &c. Hebraicè, Et munda eloquia incunditatis. Alij autem conturbant, Et puri sunt sermones decoris, aut pulchritudinis. Chaldaus, Et puri sermones suaves sunt. Septuag. Abominatio Domini cogitatio iniusta, purorum (alias castorum) autem eloquia honesta. Symm. & γυναι, id est, casta. Theod. & ἰσχυρ, id est, munda eloquia. Itaque extrema illa verba, *firmabitur ab eo*, abluunt ab originibus, imò in quibusdam etiam latinis codicibus desiderantur, sed retinet ea codex correctus, & sententiam non parum exornat, vt statim patebit.

Varias expositiones in locum istum diuersa acceptio illius verbi Hebraici טהורים *Tehorim*, parit, constat enim dissimili ratione ab interpretibus cum reliquis verbis conformatum fuisse. Et si quidem ad origines propius accedamus, sententia perspicua est ad hunc modum, *Abominatio Domini cogitationes malæ*, id est, sola cogitatio, qua quis apud se decernit aliquid mali admittere, Deo inuisa est, Et *munda eloquia incunditatis*, aut *pulchritudinis*, scilicet munda apud Deum, hoc est, acceptabilia, & grata. Opponitur enim hæc vox *munda* illi alteri, *abominatio*. Sic exponunt Caietanus, Iansenius, & reliqua Rabinorum turba. Conatur insuper Iansenius ad hunc sensum molliter allicere verba vulgata, *Et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo*, vt sensus sit, & purus apud eum est sermo pulcherrimus, proptereaque ab ipso firmitate donatur, ne excidat. Cæterum mihi hæc obscura, & parum accommodata videntur.

Ergo alij per malas cogitationes impudicas, & obscenas intelligunt, ac per purum, castumque sermonem, ab omni turpitudine aliena, casta, mundaque colloquia, sensum autem sic instituunt, *Abominatio Domini cogitationes malæ*, id est, impudicas, atque obscenas cogitationes Deus vehementer odit, nam secundum verissimum Christi Domini effatum, *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam hic mæchatus est in corde suo.* Et Iob oculos suos ab omni lasciuia contemplatione se prohibuisse dicit, *Vt ne cogitarem quidem de virgine*, sola enim cogitatio impudens reos facit. Ad iungit, *Et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo*, id est, sermo castus, & ab omni turpitudinis labè perpurgatus ab eodem comprobatur. Duo quidem sunt, quæ prima luxuriæ, & libidinis tentamenta, seu irritamenta cient, scilicet *cogitatio turpis, morosa, & consabulatio obscena*, idèd vnum alteri opposuit Salomon, nimirum impuræ cogitationi sermonem pudicum, atque purum.

Hæc sanè interpretatio postulat, vt explicemus rationem, ob quam inter cæteras virtutes temperantia non castas cogitationes imprimis interdicit. Nam etsi omnis virtus in culpa ponat eam cogitationem, in qua vel efficax voluntas, vel delectatio de oppositi vitij formali obiecto, & sine oritur, castitas tamen vterius progreditur, atque eam cogitationem etiam in vitio ponit, ex qua quæcūque lasciuia delectatio in vniuersũ proficiscitur, quocūque ex fine suscepta sit. Lege P. Vasq. 1. 2. to. 1. disp. 111. & Pet. Vasq.

108 *sequ.* Hinc fit etiam, vt maiorem verborum, & colloquiorũ rationem habeat, ex quibus istæ delectationes facile suboriuntur. Occurrit huic dubitati pui

108

108

106

109 **D. Thom.** Diuus Thomas affirmans castitatem internas qualibet delectationes venereas, ex quolibet sine susceptas idem taxare, & vitio vertere, quia in periculum adducunt animam formalis consensus (sic appellat consensum illum, qui de formali obiecto intemperantiae concipitur) tanta enim est libidinis vis, ut animum delinitum, & illiquefactum facile ad sui consensionem aliis obiectis, refutatique finibus statim pertrahat. Huic doctrinae adstipulatur

**D. Greg.** Diuus Gregorius lib. 21. Moral. cap. 2. *Per Moysen* (inquit) *luxuria perpetrata, per autorem vero munditia luxuria cogitata damnatur. Hinc enim est, quod Discipulus primis Ecclesia pastor dicit. Propter quod succinētis lumbos mentis vestrae sobrii, perfecti. &c. Lumbos enim carnis succingere est luxuriam ab effectu refrenare, lumbos vero mentis succingere est hanc etiam a cogitatione restringere. Callidus namque aduersarius noster est, & dum exterius ab effectu operis expellitur, secreto pollueret cogitationem molitur. Unde serpenti a Domino dicitur, pectore, ac ventre repes. Serpens nimirum ventre repit, quando hostis lubricus per humana membra sibi subacta, usque ad expletionem operis peruenit. Serpens autem repit pectore, quando eos, quos in opere luxuria non valuit, polluit cogitatione. Sed quia per cogitationem ad explenda opera peruenitur, recte serpens prius pectore, & deinde serpente ventre describitur.* Gregorius Nisenus homilia 4. in Ecclesiast. cum libidinem per serpentem adumbrari dixisset, addit serpentem, cum caput in foramen immisit, difficillime ab eodem extrahi: sic etiam voluptatem cum animum per cogitationem obtinuit, *Sed quomodo* (inquit) *non potest serpens atrahi ab extrema parte spinæ dorset, nempe a cauda, cum squamma naturaliter contra resistit. Ita non licet ab ultimo incipere pelleret ex animo id, quod serpentinum est voluptatis, & libidinis, nisi a malo primum ingressum intercluserit. Quamobrem caput eius obseruare iubet preceptor virtutis initium vitij scilicet cogitationem caput nominans, quo non admissio id quod restat, est irritum, & inefficax.* Huc etiam accersendus est Chrysostomus, cuius verba (ni fallor) alibi dedi, qui optimam rationem propter quam Deus cogitationes obscenas interdixit, subiicit in hunc modum, hom. 8. de Pœnit. *Non modo morbum, sed & morbi radicem euellit. Radix enim adulterij est cogitatio impudica. sic & medici faciunt, non ad morbum tantum instant, sed ad causas etiam tollendas, quamuis agrotantem oculum videant, præ autem rheuma desuper a temporibus compeſcunt. Sic & Christus facit, &c. temporibus, id est, cogitationi medelam præbet, & adhibet, ne inde delectationis rheuma defluens in opus desinat. Subiicio tandem D. Ephremum in opusculo de temperantia, *Deus* (inquit) *impuras cogitationes interdicit: quia sicut barbaros quosdam fama est vitreis imagunculis omni auro pretiosiores animas commutant. Quod quidem idem dicit, quia rei impudicæ species vitrea certe, & fragilis animo per cogitationem obuersata eos ad consensum turpitudinis allicit, quod quidem barbarum plane, & stultissimū est. Ergo quia tanta est cogitationis vis ad ruinam, propterea Salomon malā, & obscenā cogitationem Deo admodū inuisum esse affirmat. Parum autem, & illibatū sermonē ab ipso probari dicit, quia pulcherrimus est.**

*Purus autem sermo pulcherrimus firmatur ab eo. Mundi quidem, & ab omni libidinis sorde deputari sermonis eximia pulchritudo est. Vox originalis תהור תהור auro præsertim tribuitur, & argento, cum defæcatum est, ac detersum. Et quidem sermonis pudici, & auri, ac splendidissimi eadem pulchritudo est, & eadem æstimatio. Qui autem sermonibus, & colloquiis familiaribus impudicas*

Tom. 1.

**A** narrationes interferunt, auro quidem plumbum immiscunt, quapropter igne opus habent, &c. Tribuitur etiam nomen illud massæ, & consersioni, quæ caret fermento. Audi Paulum, *Corrumpunt* (inquit) *bonos mores colloquia praua* Nimirum licet fermentum massam, cui immittitur corrumpit, & in acorem vertit. Licet huc asciscere verba illa Psalmi 72. *Quoniam inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt,* quæ de libidinis ardore, & moribus accipiunt August. Basil. Chrysoſt. & alij. In Originibus verò ad verbum habetur, *Quoniam fermentatum est cor meum.* Merito ergo praua, & impura colloquia cum fermento conferuntur. Hæc enim cor, animumque fermentant, & libidinis ardorem, corruptionemque illi inspirant. Item sermones illibatos, ac puros consensu, id est, azymos appellare integrum est. Denique vox illa animalibus mundis accommodatur, quæ sacrificari, & mactari Deo poterant secundum legis præscriptum. Puri ergo sermones eo sensu dicuntur pudici, & casti, quia cum ex verbis nobile Deo sacrificium offeratur (iuxta illud Osee 14. *Reddamus vitulos labiorum nostrorum, &c.*) hoc sacrificium ex mundis, & nulla impudicitia labe pollutis libandum est. Et sane isthæc verba hostiæ, mactatiq; sacrificij nomen iure optimo sibi asciscere possunt. Ea sunt colloquia pura, & pudica, in quibus quidquid est animale, & carnale, cæditur, ac iugulatur. Sed pergo ad alia.

Etsi præfatæ expositiones non displiceant, tamen subiicio aliā quæ mihi aliis præferenda videtur. Existimo autem hæc contra eos pronunciata fuisse, qui dolos aliis instruunt, & insidias moluntur. Itaque ait Salomon, *Abominatio Domini cogitationes malæ,* id est, Deus vehementi odio prosequitur dolos, & insidias, quas impij ad proximorū perniciem assumunt, *Purus autem sermo pulcherrimus firmatur ab eo.* Sermo videlicet sincerus, & doli expers ab ipso pulcherrimus asseritur, & existimatur, hic scilicet illi probatur, & arridet. Homines enim ea verba pulchra magis, lepida, & falsa esse existimant, quæ thecnas aliquas, aut dolos, aut simulationes continent. Deo autem nullus, vel pulchrior, vel lepidus magis, ac falsus videtur sermo (inquit Solomon) quam sincerus, & candidus, cui nihil doli, aut deceptionis subest, nihil falsitatis, aut simulationis. Itaque illud, *Pulcherrimus firmatur ab eo,* vno impetu proferendum est, ac si dicat, pulcherrimus habetur, seu affirmatur ab eo. Opponitur autem dolosis cogitationibus sermo sincerus, & doli expers, quia dolosas cogitationes simulatis verbis tegere solemus, ac solus ille candide, & sincere loquitur, qui fraude, ac dolo caret. Ad hæc duplex illa acceptio vocis תהור, quam nuper præmissi, accommodatissime cadit in sermonem sincerū, & fraudis expertem. Nam dolosa, & fraudulenta verba argēto, vel auro, plūbo, aut deteriori alicui metallo permixtis, vel adulterinæ monetæ ab his confecta ad similia esse alibi docuimus ex Clemente Alexand. Cl. Alex. & Nazianzen. Ergo ex aduerso sermo candidus, & sincerus cum eisdem metallis puris, ac defæcatis optime conferetur, hunc ad sensum referūt non pauci illa verba Psalmis, *Eloquia Domini, eloquia casta, argenti igne examinatum, purgatum terra, probatum septuplū.* Eloquia Domini vera sunt, & germana, & nulla falsitate, vel fictione adulterantur. Rursus iidem sinceri, & simplices sermones merito azymi dicuntur. Nam fermenti nomine simulationem intellexit Christus, cum dixit, *Cauete a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Et Paul. 1. Corinth. Paul. 1. sic ait, *Non in fermento veteri, aut in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis,*

112  
Psalm. 72.  
num. 2.  
August.  
Basil.  
Chrysoſt.  
Origen.

113

Cl. Alex.  
Nazianz.

114

**E** vno impetu proferendum est, ac si dicat, pulcherrimus habetur, seu affirmatur ab eo. Opponitur autem dolosis cogitationibus sermo sincerus, & doli expers, quia dolosas cogitationes simulatis verbis tegere solemus, ac solus ille candide, & sincere loquitur, qui fraude, ac dolo caret. Ad hæc duplex illa acceptio vocis תהור, quam nuper præmissi, accommodatissime cadit in sermonem sincerū, & fraudis expertem. Nam dolosa, & fraudulenta verba argēto, vel auro, plūbo, aut deteriori alicui metallo permixtis, vel adulterinæ monetæ ab his confecta ad similia esse alibi docuimus ex Clemente Alexand. Cl. Alex. & Nazianzen. Ergo ex aduerso sermo candidus, & sincerus cum eisdem metallis puris, ac defæcatis optime conferetur, hunc ad sensum referūt non pauci illa verba Psalmis, *Eloquia Domini, eloquia casta, argenti igne examinatum, purgatum terra, probatum septuplū.* Eloquia Domini vera sunt, & germana, & nulla falsitate, vel fictione adulterantur. Rursus iidem sinceri, & simplices sermones merito azymi dicuntur. Nam fermenti nomine simulationem intellexit Christus, cum dixit, *Cauete a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Et Paul. 1. Corinth. Paul. 1. sic ait, *Non in fermento veteri, aut in fermento malitiæ, sed in azymis sinceritatis, & veritatis,*

Chrysof.  
Anselm.

Sermones ergo azyymi sunt sermones veri, germani, & sinceri. At inquires, cur simulatio, & falsitas fermento comparatur? Lege Chrysofomum, & Anselmum in premissum Pauli locum.

XXVII. Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam: qui autem odit munera, viuet.

115

**C**onturbat domum suam, &c. Hebraicè, *Turbans domum suam appetens concupiscentiam, & odio habens dona viuet.* Chaldaus, *Perdit domum suam, qui congregat mammonam iniquitatis, & qui odit munus gratis, viuet.* Septuaginta, ut utraque pars sibi per antithesin respondeat, sic transferunt, *Differdit seipsum acceptor munerum, qui autem odit munerum acceptiones, saluatur.* Scholiast. *Conturbat domum suam*, sicut nostra.

De sententia huius loci leuissimum inter expositores diffidium est. Omnes enim hæc verba distribuunt, & priorem partem auaris tribuunt, posteriorem autem peculiariter iudici auaro accommodant, qui augendi census studio donis, ac muneribus corruptus iustitiæ amissim detorquet. Ego vero vel utramque partem de iudice capiendam esse censeo, vel utramque similiter ad auarum referendam. Ut iudici utraque tribuatur, suadet translatio Septuaginta, quæ sic habet, *Differdit seipsum acceptor munerum, qui odit munerum acceptiones, saluatur.* Nimirum iudex, qui muneribus inductus iuris regulam flectit, non solum illos quorum violat ius, sed etiam semetipsum lædit, scilicet animum suum, & facultates suas, qui autem nullis corrumpitur muneribus, hic semetipsum, atque fortunas suas factas rectasque custodit, **Q**ui

116

Bernard.

(inquam) *odit munerum acceptiones, saluatur.* Sed à quibus malus saluus fit? Diuus Bernardus aduersus illos iudices, qui muneribus acceptis iura detorquent, sic declamat in Epist. 24. *Veniet iudex, apud quem plus valebunt pura corda, quam astuta verba, & conscientia bona, quam marsupia plena, & qui donis acceptis personas respiciebat, in manus veniet illius iudicis, qui nec donis flectitur, nec verbis fallitur, nec personas acceptat.* Item Diuus Anselmus in similitudinibus, eos, qui donis corrupti iniuste decernunt, ac iudicant, seuerius esse à Deo iudicandos, his verbis scribit, *A dextris aderunt peccata occurrentia, à sinistris infinita demonia, subter horrendum chaos inferni, de super iudex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens.* Quis ergo è tantis malis, & tam seверо iudicio eripere queat? *Qui odit munerum acceptiones, saluatur* (inquit Salomon.) Igitur ad vulgaram lectionem devenientes, qui posteriorem partem de iudice accipiunt, priorem etiam idem tribuere debet, ita ut sensus sit, *Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam.* Iudex scilicet, qui auaritiæ, & cupiditati locum faciens fortunas suas augere, & cumulare mauult, quam iuste decernere domui suæ turbationem, dissidia, & lites adducit. Equum enim esse videretur, ut aduersus illum, qui aliorum lites iniuste transegit, iniustas quoque lites alij intendant, quibus domum illius, atque familiam exturbent, & accepta iniuste dona ipsi auferant. E contra vero, *Qui odit munera, viuet*, vel *saluus erit*, id est, tranquillam vitam deget.

117

Cæterum licet hæc interpretatio, quæ utramque partem iudicibus, & magistratibus accommodat, non displiceat, tamen ea videtur accommodatior, quæ vnâ etiam, & alteram partem de auaris in vniuersum quæstus iniustos facientibus intelligit. Præmittere autem oportet dona, aut mu-

**A**nera accipere in Scripturis, non semel idem esse, quod vsuras capere, aut ex fœnore ditescere. Psalm. *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit.* Hebraicè, *Et munera gratis non accipit.* Isaia 1. *Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Et cap. 33. *Qui prouicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere.* His ergo, atque aliis in locis existimo acceptationem munerum vsuras, aut fœnora notare, & quidem apte. Nam quidquid supra sortem retribuitur, id quidem gratis datur, & expetitur à debitore. Ergo locum istum sic interpretor, *Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam*, id est, ille quisquis per auaritiâ iniustos quæstus facit, domum, id est, fortunas, & facultates suas euertit. (Hæc enim nomine domus significari alias non semel docui.) *Qui autem odit munera, viuet.* Quod duplicem ad sensum vocare licet. Alter est, qui vsuras, & fœnora exofus pecunias suas fœnori dare nullam modo vult, hic sane *viuet*, id est, feliciter, & fortunatè ager. Nam ut ait Ambros. in lib. de bono mortis, *Si quis vsuram accipit, & rapinam facit, vita non viuet*, & habetur 14. dist. quæst. 4. cap. *Si quis vsuram.* Vel aliter ille munerum ofor dicitur, qui pecunias fœnori datas ipse accipere nequaquam vult. (Hic autem sensus mihi præferendus videtur.) Ait ergo Salomon, *Qui autem odit munera, viuet.* Qui videlicet nummos ad vsuram datos capere non vult, hic sane viuet feliciter. Audi eundem Ambros. in libro de Tobia cap. 10. *Nihil interest inter fœnus, & funus, nihil inter mortem distat, & sortem. Personat lugubrem ululatum fœnoris vsura, & capite minutus est, quem conuenit.* &c. Itaque mortem quodammodo fœnerator infert, sed quam degenerem. Vtique laqueo ignobili strangulat creditorem. Ambros. ad illa verba Exodi 22. *Quod si pecuniam fœneraberis pupillo, orphano, pauperi, apud te non suffocabis eum.* (Sic ipse legit, ac subdit,) *Ostendit quid sit suffocare id est, vsuram imponere. Strangulat enim, & quod peius est, animam laqueat creditoris, quo sermone, & fœneratoris violentiam, ac deformis nodum mortis expressit.* Ad hæc aliqua etiam est ciuiliis mors, quam fœnerator suo creditori afferre solet, scilicet seruitutem, & omnis libertatis expertem vitam. Subest idem doctor expendens illa verba Psalm. *Ex vsuris, & iniquitate redimit animas eorum*, ubi sic atrox, *Et proprie* (ait) *ex vsuris liberabit eos, quia vsura inferunt seruitutem, quasi diceret, ex seruitutis vinculo ereptos reddidit libertati, graue vocabulum debitorum, &c.* Et rursus cap. 8. pereleganter librat illa verba Isaia 50. *Cui vendidi vos? fœneratori.* (Sic legunt Septuaginta) *Venditur* (inquit) *qui obligatus fœneratori fuerit, & venditur non uno pretio, sed quotidiano. Venditur non cum definitione, sed cum acceptione diuina, noua vsurarum actio per menses singulos noua est sub quotidiana licitatione venditio. Semper venalis adducitur, nunquam quasi venditus aestimatur. Magna igitur vis cælestis sententia, non satis iudicauit Dominus dicere, Cui vendidi vos? Sed addidit, fœneratori. Offensus nihil potuit grauius inuenire, quo vindicaret in perfidos. Ergo qui se fœneratori obligat, ipse se vendit, & quod peius est, vendit se non ære, sed culpa, & in seruitutem addixit.* Quid grauius in stultos vsurarum acceptores statuere potuit, quo illos ab acceptione deterreret, quam venditionem, seruitutem, & laqueum? De vsuris autem, & fœnore infra cap. 19. plura dicemus.

Psalm. num. 5.

Isai. 1. n. 23

Ambros.

118

Ambros.



*XXVII. Per misericordiam, & fidem purgantur peccata: per timorem autem Domini declinat omnis a malo.*

119

**P**er misericordiam, &c. His verbis nihil respondet in originibus Hebraicis: referentur tamen cap. sequenti vers. 6. ubi iterum vsurpantur à vulgato. In textu vero Septuaginta occurrunt hoc loco, *Eleemosynis, & fide purgantur peccata, &c.* inde autem absunt.

Sententia quidem satis obuia est: & de eleemosyna quidem multa alibi diximus ad eam attinentia. Cyprianum vero lege in sermone de opere, & eleemosynis, ubi peculiariter isthæc verba longa oratione discutit. Adi Chrysostrum, & Ambrosium, Bedam, & alios interpretes ad illa verba Lucæ 11. *Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Adde etiam multa alia, quæ de eleemosyna passim diximus hæctenus in plerisque versibus, ubi sæpe admodum eius vim ad delenda, & expianda peccata expendimus, quatenus impetrat nobis auxilia gratiæ, quibus ad respicientiam inducti peccata expurgamus, & ad Deum ex animo conuertimur: aliam enim vim ad iustificandum eleemosynæ dare nefas est. Item de timore Domini satis multa attulimus in cap. 1. vers. 7. & in cap. 4. vers. 7. & alibi, ex quibus pleraque huic sententiæ accommodare licet. Quapropter ab his ad alia gradum facio.

*Prou. c. 1. vers. 5. Prou. c. 4. vers. 7.*

*XXVIII. Mens iusti meditatatur obedientiam: os impiorum redundat malis.*

120

**M**ens iusti meditatatur obedientiam, &c. Hebraicè. *Cor iusti meditabitur ad respondendum, & os impiorum eructabit mala.* Chaldaus, *Cor iusti meditantur in fide, & os impiorum eructat mala.* Alij, *euomit mala.* Septuaginta, *Corda iustorum meditantur fidem, & os impiorum respondet mala.* Varia significatio verbi *גחנח* Ghanah dissimilibus lectionibus locum d. dit. Est enim respondere, humiliari, & negotiari. Inde etiam Kimchi sic transtulit. *Cor iusti meditabitur negocium, aut negotiari.*

Hæc lectionum dissimilitudo dissimiles etiã interpretationes peperit. Prima est præfati Dauid Kimchi, qui ad significationem illam negotiandi præscriptum verbum Ghanah referens, sic exponit. *Cor iusti meditabitur ad negotiandum, id est, iusti mens post multam, & accuratam meditationem ea tantummodo loquetur, quæ ad negotium aliquod spectabunt: hoc est, nihil otiose dicet, nihil non opportune, & ad rem. Os autem impiorum redundat malis.* Hoc est, effudit, aut effundit verba sine delectu non modo otiosa, & superuacanea, sed etiam mala, & nociua. Itaque dissimilitudinem tradit, quæ iustum inter, atque impium intercedit. Hic enim quidquid in buccam venit, sine delectu profundit: ille autem mediata semper, & ad rem dicit. Obserua autem verbum illud *redundat*, quod quidem additum hic videtur (vt adnotant interpretes) ducta similitudine à fluuio, qui ex alluione excrescens, & aluci fines superans agros late inundat. Sic Iansenius, & alij: & quidem apte. Nã sicut fluuius exundans rura trahit, agrorum pinguedinem effurat, ac secum voluit, & interim his, quæ aliunde corripuit, ipse sordescit, ac mirum in modum inficitur. Sic lingua maledica, dum per quamdam verborum affluentiam, & redundantiam aliorum famam, &

*Dauid Kimchi.*

**A** bonum nomen decurrendo exteric, & secum affert, ipsa quidem fordes, ac lutum contrahit. Hanc similitudinem attigit Diuus Ambrosius lib. de officiis ubi sic ait. *Qui multiloquio peccat, sibi colligat, sit restrictior, & raris coërceatur: cito lutum colligit annis exundans.* Ex quo constat linguam intra rationis alueum continendam esse, ne redundet, aut effluat: nam in multiloquio tanquam in exundanti quadam alluione peccatorum multæ fordes haud deesse possunt.

*Ambros.*

Alij rursus hæc extrema verba sic conuertunt. *Os impiorum euomit mala.* Præfatus Chrysostrum in homilia 43. in Matthæum, similitudinem vomentis detractori accommodatissime tradidit, his verbis. *Quemadmodum vomitu laborantes in principio quidem detinere intus humores egredientes nituntur: cum vero fastidio videri succubuerint magnis singultibus è profundo omnia eructant: sic qui praua consilia in proximos intus versant, cum maligna temeritate ferre nequeant, obreccationis saniem tandem lingua euomunt.* Aliam etiam similitudinem vomentis loquaci in vniuersum accommodauit, apud quem nullum secretum tutum est. Diuus Ephrem in tract. de temperantia: *Vomens (ait) non modo nociturus est: sed cum his etiam salubres, quas maxime retinere oporteret, stomachabundus extrudit: sic etiam loquax illa, que maxime premere, & intus claudere debet, simul cum aliis inutilibus profundit, & vomit.* Quod si legas, *Os impiorum eructat mala*, adest eius similitudinis optimus expensor D. Hieronymus in Epistol. ad Principiam virginem. *Quomodo (inquit) iuxta qualitatem ciborum de stomacho ructus erumpit, & boni, vel mali odoris statim indicium est. Ita interiores hominis cogitationes verba proferunt, & ex abundantia cordis os loquitur.*

121

*Ephrem.*

**C** Secundam expositionem offert illa alia translatio. *Cor iusti meditabitur ad respondendum, id est, iustus non nisi quæ sitis loquitur, cum respõsum reddere opus est, apud se prius cogitat, vt nihil temere, & inconsiderate dicat. Ex aduerso, Os impiorum quidquid in buccam venerit, temere effundit. Itaque Salomon secundum eam lectionem suadet verba expendere, ac præmeditari, antequam promantur, iuxta illud Bernardi, *Bu ad imam, & semel ad linguam.**

*Hierony.*

**D** Vulgatus noster verbum illud Ghanah, ad extremam humiliandi significationem retulit. Itaque sic ait. *Mens iusti meditabitur obedientiam: nimirum tacendo ac silendo per sui deiectionem humilem obtemperat, ac se submittit sine contradictione. Os autem impiorum redundat malis.* Verbis inquam affluit immoderatis, quibus monentibus obfistit, obreccat, & immurmurat. Verbum autem illud, *redundat*, vel *exundat*, quod (vt nuper animaduerti) similitudine à fluminibus ducta, cum pleno alueo exundant, hic additum est: sententiam fistam illustrat. Nam obreccatoris immodica obfistitia, quæ præceptis, atque monitionibus obnititur, haud dissidet à flumine exundante, & præcipiti quod obuia cuncta euertit, ac fluctibus suis inuoluit: cuius impetum retardare, & exundantia verba in alueum cogere nemo possit. Aut si hic placiterit verbum *vomendi*, ita vt legas *Impius euomit mala*, accommodatum satis est ad significanda conuitia, & fordes, quæ impij aduersus admonitores suos (si licet dicere) eructant, atque euomunt.

122

*Bernard.*

**E** F

**XXIX. Longe est Dominus ab impiis: & orationes iustorum exaudiet.**

123

**L**onge est Dominus ab impiis, &c. Hebraea non dissonant, Chaldaeus, & Septuaginta. Sed tamē apud Septuaginta praemittuntur pauca verba, quae infra habentur in Originibus, & in vulgatis paulo aliter. Haec scilicet.

*Acceptabilis apud Dominum via virorum iustorum: per eos autem, & inimici amici fiunt.*

Fortasse autem Septuaginta ad illustrandam superiorem sententiam haec verba hic adscripserunt, vt inuenerent, quantam vim habeant iustorum verba, & sermones praemeditati, & prudentes. Nam id, quod difficillimum est (scilicet discordes in gratia, & benevolentiam adducere) iusti verbis suis facile praestant. Itaque id interest discriminis inter impiorum, ac iustorum sermones, quod hi verbis suis conciliant dissidentium animos: illi beneuolos lacestant. Quod quidem ideo dictum est, quia verba confiderata, & praemeditata promere pacati, tranquilli, ac mitis animi est, quem non iracundia, aut vehemens aliquis imperus impellit. Quanta vero sit mansuetudinis vis ad inimicitias, discordiasque sedandas, paulo ante praefati sumus. Rursus sermones inconsideratos, & praecipites plerumque ira, & furor suadet, quibus inimicitiae solui, ac dissidia multa excitari solent. Ergo ait Salomon. *Acceptabiles sunt, &c.* id est: Non modo iusti morum suorum honestate, Dei amorem, & benevolentiam ineunt: sed etiam verbis suis alios sibi deuincunt, etiam discordes. Lege Chrysostomum in homilia de mansuetudine, tomo quinto, cuius verba nos alibi dedimus. Adde etiam Demosthenem apud Eboresensem, qui mitis, & placidi hominis orationem, *Ciuicis coagulum* appellat. Sicut enim lac prius solutum, & liquidum coagulo astringitur, & spissatur sic: etiam animos ciuium solutos, & dissociatos mansueti hominis oratio conciliat, ac deuincit. Sed de hac sententia iterum redibit sermo capite sequenti, versu 7.

Chrysost.

114

Sed ad vulgata verba decurramus, quae duplici quidem sensu donari solent. Alii enim sic aiunt. *Longe est Dominus ab impiis, &c.* id est, quam longissime abest eorum mentibus, & animis, quia illum nec considerant, nec cogitant: at iustorum, quibus assiduo Deus ante oculos obuersatur, orationes, & preces intentissime Deus excipit, annuens eorum votis, ac postulat. Alii rursus aliter ad hunc modum. Deus Optimus Maximus longissime distat ab impiis, ac peccatoribus: quia licet immensitate sua omnibus non modo adsit: sed etiam insit: tamen auxilio, & ope iustis tantum modo praesto est. Ab iniustis vero, & impiis, quam longissime discedit: id est, perinde cum illis se gerit, ac si ab illis longo interuallo semotus, non videat eorum calamitates, nec preces etiam contentissimas audiat. Caeterum germanum huius loci sensum eum esse puto, quo prior pars posteriori per antithesim respondeat. *Longe est Dominus ab impiis*, id est, impios, non exaudiat, sumpta causa pro effectu. Nam elongatio, & distantia in causa est, vt voces alicuius non exaudiantur, id est, perinde cum illis agit, ac si ob distantiam, & loci immensam intercapedinem voces eorum minime caperet. *Alius quidem non audit, quia surdus est, & auribus captus, alius item, quia distat.* Pari ratione Deus (inquit Bernardus) erga quosdam penitus obsecat: hi sunt auari, ad quos pertinet illud. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Rursus, alios Deus

Bernard.

**A** non exaudiat ob distantiam: hi sunt superbi, de quibus est illud. *Excelsus Dominus, & humiliare respicit, & alta a longe cognoscit.* Age igitur, quid deterius est, surditas Dei, an distantia? Vtrumque profecto satis malum, sed hoc deterius, inquit Bernardus. Nam surdum etiam si voces non accipiat, tamen gestibus manum alloqui solemus: non ita distantem, & remotam. Quorsum haec? Auarus utique ad cuius voces Deus fortasse obsecat, si expediat manum, & miseris, pauperibusque illam porrigat, his gestibus Deum affatus protinus intelligitur: superbus autem, quem fastus, & arrogantia longe arcet, nisi per humilitatem, & animi deiectionem propius ad illum accedat, nunquam exaudietur. Ergo. *Longe est Deus ab impiis* (inquit Salomon) nimirum a superbis. Hos enim superbia remouet a Deo. *Et orationes iustorum exaudiet*, id est, humilium, hi enim maxime propinqui sunt. De quibus Dauid in Psalm. 144. *Prope est Dominus omnibus innocentibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium se faciet, & orationes eorum exaudiet, & saluos faciet eos.* Pergo ad alia.

Psal. 144. vers. 18.

C

**XXX. Lux oculorum letificat animam: fama bona impinguat ossa.**

**L**ux oculorum, &c. Hebraice: *Lux oculorum letificabit cor: auditio bona impugnat ossa.* Chaldaeus non dissentit. Septuaginta. *Oculus contemplans pulchra letificat cor: fama autem bona impinguat ossa.*

125

Circa locum istum parum conditas interpretum expositiones habemus. Vt autem mysticos nonnullos intellectus missos faciam. Caietanus quidem ad hunc modum edisserit. *Lux oculorum letificat animam: fama bona impinguat ossa*, nomine fama non intelligit bonum nomen, aut estimationem: sed nuncium bonum. Nam in Hebraeo est *auditio bona*. Existimat autem haec duo inter se conferri ad hunc modum. Haec sane lux corporea oculos splendore suo illustrans animis laeticiam affert: at bonum nuncium non modo animum laetitia suffundit: sed ex animo etiam in corpus redundat, atque illud vegetat, & amandat. Caeterum in hac expositione nihil falsum.

**E** Iansenius ergo aliter, & accommodatius exponit. *Lux oculorum, &c.* Nimirum ea quae oculos illuminant, oculis quidem grata sunt, & iucunda: nec vero oculos tantum pascunt: sed animum etiam per oculos reficiunt, qui splendida quaeque contemplans recreatur. Ad eundem modum fama bona, vel bonum nuncium aures quidem oblectat, cum auditur: nec solum externas aures imbuit: sed etiam interiora peruadit, & ad ipsas ossium medullas peruenit, irrigat, & suffundit. Et quidem illa duo *letificat animam, & impinguat ossa*, haud dissimilem sententiam reddunt: vtrumque enim internam laeticiam adsignificat. Nisi malis ex hac comparatione boni nuncij exauditionem praeferi contemplationi lucis. Nam quae ex aspectu rerum pulchrarum accidit laetitia, citius abit: ea vero, quam boni nuncij auditio peperit, constantem magis voluptatem afferre solet.

Iansenius.

Denique alij non tam haec duo inter se componi, quam vtriusque vim ad animum exhilarandum notari volunt, qui omnino frigidam, & obsoletam inducunt interpretationem. Quapropter si per famam non aliud, quam bonum nuncium accipiamus, locum istum sic germanius edisserendum esse reor. *Lux oculorum letificat cor, &c.* Nimirum sicut aeger graui morbo laborans post longam noctem,

116

quam febrim inflammatus duxit in somnum, sole redeunte mirum in modum lætatur, non solum, quia lux tenebrarum mæstitiam fugat: sed etiam, quia constat cor ipsum, sole decedente, amplius morerere (nam morbi omnes communem medicorum suffragio nocte plerumque ingrauescunt, præfertim melancholici, (ac rursus constat cor sole accedente, & apparente recreari, & refici: quia humores frigidos, & melancholicos, quibus cor imprimis grauari, & affici solet, noctis frigus alit, quos item sol recurrens æstu suo temperat, ac lenit. Ergo ait Salomon quemadmodum lux auroræ appetens post longam noctem non tantum ægri oculos delinit: sed cor etiam, animumque recreat, atque morbum leuat: sic etiam nuntium bonum diu expectatum, tunc demum cum ad hominem perlatum est, incredibilem voluptatem affert, animum reficit, gaudium instaurat, & vires metu pulso recreat. Nam sicut lux solis occurrens frigidos humores, qui cordi mæstitiam immittunt calore suo compescit: sic etiam nuntium bonum infelicitioris alicuius euentus frigidum metum aufert, &c. Obserua autem impinguare ossa, aut irrigare in scriptura perinde esse, atque internam lætitiā, & solatium inspirare. Nam ut alibi admonui, Os sæpe accipitur pro *intimo*, quod hic expresse docet Iansenius. Iam vides quam apta, & apposita sit isthæc comparatio.

Iansenius.

127

Quod si per bonam famam, nomen bonum, atque bonam existimationem accipiendam esse dixeris (quod non ita probo,) aliter, atque aliter exponendus est locus iste. Prioris expositionis dux mihi est Hugo Cardinalis, quem alij non pauci sequuti sunt. *Lux oculorum lætificat cor*, id est, quemadmodum tunc, cum oculi candidissimam lucem contemplantur, animus reficitur. Vel iuxta Septuaginta. *Oculus contemplans pulchra lætificat cor*, id est: Sicut oculi in pulcherrimas res intendentes voluptatem in cor transmittunt: sic etiam qui in bonam alicuius famam intendit, inde quidem mirum in modum recreatur, & proficit. Bonam famam appellat merita, & beneficia probi hominis, quæ qui contemplantur, maiorem inde voluptatem, & usum hauriunt, quam qui lucem candidissimam intuentur, vel pulcherrimas rerum species oculis adspectant. Et quidem meritorum alienorum, atque bonorum operum contemplatio, & intuitus cum visione lucis contulit

Matt. c. 5. num. 17.

Chrysostr.

128

Christus Dominus apud Matthæum cap. 5. *Sic luceat (inquit) lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in caelis est.* Quanta vero, & quam splendida sit lux eorum, qui exemplo suo, ac moribus præfulgent, insinuat Chrysostr. in eum locum. *Nihil (inquit) est, quod hominem sic efficiat insignem, atque conspicuum, etiamsi magno ambitu optet latere, ut splendor iste virtutis sicut enim ipso sole circumdatus: ita utique homo sustinet clarius resulget, nec in terram solummodo lucis radios emittit, sed supra ipsum etiam celum proprio fulgore radiat.* Addit vero solem radiis suis oculorum lumen hebetare, ac perstringere: virtutum autem exempla non item, sed oculos potius ad se conuertere. Ait enim: *Ut videant opera vestra bona, & glorificent, &c.* Huc spectat Origenis elegans oratio libro primo in Iob. *Sicut celi luminaria, ac sydera in firmamento celi à Deo collocata cunctis indefinenter, quæ sub celo fulgent, atque omnibus, quæ super terram sunt, per tempora ac tempora, per generationes, & generationes mirabiliter lucent, alia quidem per noctem, ut*

Origen.

**A** luna & stella: alia nihilominus per diem, ut solis speciosissimi radij. Sic & Sanctorum virtutis insignia, atque beatissimi eorum agones omnibus in perpetuum singulariter lucent, omnibus in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus sub sole pietatis exemplum ostendunt. Apostolus enim ait: *Stella differat a stella in claritate, &c.* Sed & Angelus ad Danielelem: *Tunc iusti fulgebunt, ut luminaria celi, & tanquam sol, & luna, & tanquam stella in sæcula. Sic itaque effulgent, atque emicant: alius fide fulget, ut Abraham: alius castitate, ut Ioseph, &c.*

**B** Ad hæc bonorum exempla qui aspicit, oculos non secus pascit, & animum oblectat, quam is, qui pulcherrima intuetur. Sic Septuaginta: *Oculus contemplans pulchra, lætificat cor: fama autem bona, &c.* Nullus utique aspectus oculis gratior est, quam virentis agri. Author est Ecclesiasticus: *Gratiam, & pulchritudinem desiderauit oculus, & super omnia virides sationes.* Cui hæret Diuus Augustinus libro secundo de Ciuitate Dei, qui ob eam causam peculiari schemate à Latinis dici, *agros virentes videre* affirmat, quia risum aspicientibus mouent, & amoenitate sua oculos, animumque deliniunt. Atqui nullum amoenior excogitari potest, quam piorum hominum merita, & virtutes, quarum contemplatione oculi confirmantur, & animi deliniti gestiunt præ lætitiâ. Diuus Gregorius, vitas sanctorum, atque eorum exempla *viridaria* appellat, quibus ad spectandis animi reficiuntur, atque ille alius quisquis est satis pius, & grauis doctor acta Sanctorum, quæ hinc inde collecta conscripsit, *Spiritale pratum* intucupauit. Sed audiendus est Diuus Chrysostr. qui ex hoc virentis coloris intuitu venustam, & in hanc sententiam appositissimam similitudinem duxit in homilia, *Quod periculosum est adire spectacula. Et quemadmodum (ait) qui laborant ab oculis si spongas, ac vestium cyaneo colore pannos tenentes, frequenter in ea intueantur, ex eo colore magnum capiunt morbi leuamen: similiter, & si Davidis imaginem præ oculis habeas, & in hanc assidue desigas oculos; etiamsi millies oculum mentis obtundat, ita ad hoc virtutis exemplar respiciens perfectam consequeris sanitatem, puramque animi Philosophiam, & tranquillitatem.* Hæc ille.

129

Gregor. Magn.

D. Chrysostr.

**E** Atqui inquires in hoc loco non de aliena fama, & existimatione bona, sed de propria sermonem institui. Non reluctor. Existimo enim hic auditio-nem bonam passiuè accipi posse pro bona opinione, qua quis apud alios bene audit. Et iuxta hanc acceptionem sensus sic conformandus est. *Oculus contemplans pulchra lætificat cor: fama autem bona impinguat ossa.* Bona quidem existimatio, & bonum nomen in aliorum opinione situm est. Vnde Seneca Lucillum amicum affatus ait. *Talem te esse vellem, qualem te animi mei opinio expingit.* Itaque bona alicuius hominis existimatio (liceat sic dicere) pulchras, & concinnas illius in aliorum mentibus formas expingit. Ergo liceat sic comminisci. Quemadmodum oculi pulcherrimarum specierum, ac formarum aspectu recreati lætitiâ cordi inspirant: sic etiam bona fama, & existimatio animum oblectat. Nam qui ea gaudet, pulchras, & affabre expictas, ne dicam insculptas, & elaboratas sui ipsius formas, & imagines in aliorum mentibus inspectat, quo nihil iucundius, aut suauius excogitari potest. Ad hæc Græca quidem ad verbum, sic efferri possunt.

130

Seneca.

*Oculus contemplans bona.* Sic habet Regius Codex, & Complutens. Est enim *עין קאלא*. Quapropter sensum instituire sic licet. Dum quis aliorum bona, & merita contemplatur, voluptatem quidem inde capit: sed longe maiorem haurit, dum eadem sedulus facit: ex quo bona existimatio proficiscitur: qua nihil delectabilius, & ad confirmandum animum fortius existit.

*XXXI. Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientum commorabitur.*

**A** *Vris, Quæ audit, &c.* Hebraicè: *In interiori sapientum commorabitur.* Chaldaus non dissentit. Apud Septuaginta vero desiderantur verba isthæc. Quamuis in quibusdam etiam codicibus adscribi admovent Scholia Vaticanæ translationis.

**Beda.** Sententia est perspicua. Beda, quam reliqui ferè sequuntur, sic exponit, *Auris, quæ audit increpationes vitæ, &c.* Nimirum is, qui libenter audit præcepta, quibus vita instituitur, & mores boni informantur: improbi verò corripuntur, & taxantur: per breui tempore ad eam sapientiæ summam perueniet, vt inter sapientissimorum hominum censum referri queat, & ex discipulo doctor euadere possit. Hæc ille. Rodolphus aliam attexit expositionem ad hunc modum. Quisquis increpationes ad vitam instituendam spectantes libenter excipit, satis prodit se inter sapientes egisse, & cum his diu conuersatum fuisse. Ego vero libentius sensum sic conformarem. Qui animaduersiones, & obiurgationes sapientum accurate obaudit, atque illis sponte acquiescit, libenter cum sapientibus conuersabitur: sapientum quippe est alios erudire, & admonere. Quemadmodum etiam è contra, quicumque correptiones ægre fert à sapientum consortio longe fugit. Illud vero, *In medio, aut in interiori sapientum commorabitur*, emphasi non caret: significat enim hunc hominem correptionis animantem non extimum (vt ita dicam) sapientum consortium ambiturum: sed intimam illorum cõuersationem sese insinaturum esse. Item non vnum aliquem aditurum sapientem, vt ab ipso edoceatur: sed plures. Item non perfunctoriè, & ex transcurso: sed otiose per longas horas apud eos futurum.

*XXXII. Qui abiicit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.*

**131** **Q** *Vi abiicit, &c.* Hebraicè: *Negligens eruditionem spernens animam suam, & audiens increpationem possidet cor.* Chald. *Et qui audit increpationem, possidet sapientiam, aut mentem.* Septuaginta: *Qui expellit disciplinam, odit se ipsum: qui autem seruat correptiones, diligit animam suam:* Caietanus habet. *Vertens eruditionem abominatur animam suam, & audiens increpationem, acquiritor, vel emptor est cordis.*

Duas quidem huius sententiæ partes seorsim expendere libet. Prior sic habet. *Qui abiicit disciplinam, despicit animam suam.* Caietanus transtulit, *Vertens disciplinam, &c.* Addit autem, *vertens eruditionem, est conuertere illam in iocum, vel in malum.* Itaque perinde est, ac si dicat, qui

**A** correptionem, atque increpationem non boni contulit: sed illam male vertit, quia vel illam præceptoris sui odio, aut alteri cuiquam inordinatæ affectioni tribuit, vel seueritatem illius iocose eludit: hic sane despectui habet animam suam: id est, semetipsum ludibrio ducit, id est, non doctori illudit, sed sibi: nam eius ludibrii tota pernicietas ad ipsam redit. Septuaginta: *Odit seipsum,* id est, quamuis correptus in doctorem suum immitius sæuire videatur: tamen in seipsum potius, quam in illum sæuitiam exercet, & in semetipsum furit.

**B** Posterior vero pars huius sententiæ sic habet. *Qui autem acquiescit increpationibus possessor est cordis,* id est, cordatus est. Nam quemadmodum saepe alias Hebraica phrasi, is qui parum sapit, indigens corde dicitur: sic etiam in hoc loco qui plurimum sapit, cordis possessor appellatur. Sic Iansenius, producitque testimonium Hesiodi.

*Omnia enim per se quæ prouidet, optimus ille est.*

**C** *Proximus ille tamen, qui paret recta monenti, sed qui non sapit, illo nec audit recta monentem,*

*Inuida ei mentem misero natura negavit.*

Huc spectat etiam sententia Philonis, qui iuniores, & parum expertos viros cœlos imitari oportere dixit. Nam quemadmodum cœli, quia rationis, & vitæ expertes sunt, ab assidente intelligentia impelluntur, & ordinatissime mouentur: sic etiam iuniores, & inexperti, cum ipsi ad suas actiones moderandas satis consilij, ac mentis non habeant, assidente, aut assistente præceptore indigent, cuius menti, & consilio sese addicere, & permittere debent, vt ab illo impellantur, & gubernentur. Ad hunc modum, qui non sapit, paret tamen recta monenti, prudenti, atque sapienti proxime hæret.

**134** Hugo, Caietanus, & alij quam plurimi hanc posteriorem partem sic edisserunt. *Qui autem acquiescit increpationibus possessor est cordis,* id est, cordis sui domainium inuit: non enim illud libere, & ex animi sui sententia agere permittit: sed aliena consilia, & rationes sequi cogit. Satis emphatica ad hanc sententiam est illa lectio. *Acquiritor, vel emptor est cordis,* quæ significat, cor quasi mancipium coemptum teneri. Innuitur autem maxima quædam subiectio: nam hominum propriæ rationi proba, & vtilia suadenti parere magnum quidem obsequentiæ genus est: sed naturale. At vero alienæ rationi, & consilio suam ipsius rationem, & consilia submittere permagna submissio est. Quia mens, & ratio, quæ in homine potissimum sui iuris sunt, subdi, atque inservire coguntur. Apte igitur in eum, qui alienis monitis acquiescit, quadrat illud. *Possessor aut emptor est cordis:* nimirum suam ipsius mentem mancipat, & substernit. Item correptio cum primis seruos decet, & obiurgationes seueræ mancipiorum sunt. Ergo qui se correptionibus voluntariè, & sponte submittit, quodammodo semetipsum alteri mancipat, & in seruitutem redigit. Denique mancipia pecuniis coempta semper sub dominio sunt: quod si aliquando fuga se substraxerint, ab obuio quoque viro agnita, & comprehensa Domino restituntur. Haud aliter de his sentio, qui aliorum consiliis libenter obtemperant mentis quidem suæ domini omnino sunt. Quod si aliquando per insipientiam, aut impru-

dentiam mens fugerit, ab obuiio quolibet, qui A consilio suo succurrere, & auxiliari volet, è vestigio reuocatur, & in Domini potestatem redigitur, &c.

Septuaginta habent. *Qui autem seruat corrumpiones, diligit animam suam.* Quemadmodum enim ille correptionum odor, non tam præcepta, & præceptorem, quam se ipsum odit: sic etiam hic eandem obseruator, & amator, non tam monita, & admonitorem diligit, quam seipsum, cum salutis suæ tantopere prospiciat.

XXXIII. *Timor Domini disciplina sapientie: & gloriam præcedit humilitas.*

35

**T**imor Domini disciplina sapientie. Hebraicè: *Timor Domini eruditio sapientie.* Septuaginta: *Timor Domini disciplina, & sapientia.* Sensus quidem mea sententia, talis est. *Timor Domini* hominem disciplinæ, & eruditioni subiicit. Quasi dicat, nihil aliud liberam, & sui iuris humanæ mentis naturam, alienis præceptis submittere posset, nisi timor Dei: hic enim *super omnia se superponit.* (teste Ecclesiastico) atque adeo mentem ipsam substernit: hanc vero ut obtinuit, arbitrio suo regit, & impellit. Est enim timoris quoddam genus demissius, quod seruilè appellatur, propterea quod seruos reddit, atque adeo correptioni subiectos (nam ut nuper obseruaui, correptione seruorum est) aliud item nobilius, & excellentius, quod filiale nominatur, quia filios con-

stituit (disciplinæ autem acquiescere filium imprimis decet) Aptè ergo Salomon dixit timorem Dei ad disciplinam, & correptionem aditum referre, quia siue seruum, siue filium constituat hominem, hoc ipso illum, aut disciplinæ, aut correptioni submittit. Addit.

*Et gloriam præcedit humilitas.* Et ipsissima verba occurrunt infra capite 18. vers. 12. vide ibi. Hebraica ad verbum habent. *Et in facie glorie modestia aut humilitas.* Alij *mansuetudo.* In quibus est Caietanus, qui putat his verbis notari homines per mansuetudinem reipublicæ gubernacula capessere. His enim ciues libentius imperium deferunt, quos ab ira, & aliis vehementioribus animi affectionibus immunes esse constat. Hinc est illud, *Beati mites: quoniam ipsi possidebunt terram.* Vera quidem sententia est, sed non ad rem. Potius existimo Salomonem, qui sapientiam non aliter parari posse dixerat, nisi per obsequium, & obauditionem disciplinæ, & exhortationum, ita demum statuere semper ante gloriam præire humilitatem, & deiectionem, & ex hac ad illam gradum fieri: atque adeo neminem ad sapientiæ fastigium peruenire posse, nisi per animi demissionem aliorum institutioni, & documentis sese addicat. Translatio Septuaginta sic habet. *Et principium glorie respondet ei: scilicet timori, vel sapientiæ.* Græcè & ap. *Libentius conuerterem: Et principatus glorie respondebit ei,* ut sensus sit. *Timor Domini disciplina, & sapientia: id est timor quidem ad disciplinam disponit animum: disciplina vero sapientiam inducit.* Huic autem respondet gloria, decus, & splendor, quibus ad supremas qualibet dignitates iteriturus gradus.

136





## CAPVT

## DECIMVM-SEXTVM.

**H**OMINIS est animam preparare : & Domini gubernare linguam. 2. Omnes viae hominis patent oculis eius : spirituum ponderator est Dominus. 3. Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuae. 4. Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus : impium quoque ad diem malum. 5. Abominatio Domini est omnis arrogans : etiamsi manus ad manum fuerit : non est innocens. Initium viae bonae, facere iustitiam : Accepta est autem apud Deum magis, quam immolare hostias. 6. Misericordia, & veritate redimitur iniquitas : & in timore Domini declinatur à malo. 7. Cum placuerint Domino viae hominis, inimicos quoque eius conuertet ad pacem. 8. Melius est parum cum iustitia, quam multi fructus cum iniquitate. 9. Cor hominis disponit viam suam : sed Domini est dirigere gressus eius. 10. Diuinitio in labiis Regis, in iudicio non errabit os eius. 11. Pondus, & statera iudicia Domini sunt : & opera eius omnes lapides sacculi. 12. Abominabiles Regi, qui agunt impiè : quoniam iustitia firmatur solium. 13. Voluntas Regum labia iusta : qui recta loquitur, diligitur. 14. Indignatio Regis, nuntij mortis : & vir sapiens placabit eam. 15. In hilaritate vultus Regis, vita : & clementia eius quasi imber serotinus. 16. Posside sapientiam, quia auro melior est : & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. 17. Semita iustorum declinat mala : custos animae suae seruat viam suam. 18. Contritionem praecedit superbia : & ante ruinam exaltatur spiritus. 19. Melius est humiliari cum mitibus, quam diuidere spolia cum superbis. 20. Eruditus in verbo reperiet bona : & qui sperat in Domino, beatus est. 21. Qui sapiens est corde, appellabitur prudens : & qui dulcis eloquio, maiora percipiet. 22. Fons vitae eruditio possidentis : doctrina stultorum fatuitas. 23. Cor sapientis erudiet os eius : & labijs eius addet gratiam. 24. Fauus mellis composita verba : dulcedo animae, sanitas ossium. 25. Est via, quae videtur homini recta : & nouissima eius ducunt ad mortem. 26. Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum. 27. Vir impius fodit malum, & in labijs eius ignis ardescit. 28. Homo peruersus suscitatur lites : & verbosus separat Principes. 29. Vir iniquus lactat amicum suum : & ducit eum per viam non bonam. 30. Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labia sua, perficit malum. 31. Corona dignitatis senectus, quae in viis iustitiae reperitur. 32. Melior est patiens viro forti : & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. 33. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.

*I. Hominis est animam preparare, & Domini gubernare linguam.*

**H**ominis est, &c. Hebraicè: *Hominis dispositiones cordis, & à Domino responsio lingue.* Chaldaeus: *A Domino est consilium cordis & ab homine sermo lingue.* Desideratur hic versus in textu Septuaginta in plerisque codicibus. Cæterum haberi in quodam codice sub asterisco tradit Fortunatus Fanensis, sic scilicet. *Homini applicationes cordis, & à Domino responsio lingue.*

Fortunatus Fanensis.

Sententia quidem hæc moderandæ linguæ difficultatem insinuat, quæ præceptum admodum, & labilis est. *Hominis est preparare animam.* Vexat hic locus scholasticos nostros. Videtur enim Salomō animæ præparationem libero arbitrio adscribere, cum id Deo, atque gratiæ potius adscribendum foret. Verba ista producebat passim Pelagius contra Augustinum. Augustinus item passim illi occurrebat, asserens, omnia quæ fiunt à gratia Dei operante, & libero arbitrio cooperante, & respōdente gratiæ diuinæ, non inepte utriusque seorsim adaptari: atque adeo locum istum sic esse edisserendum. *Hominis est preparare animam*, scilicet ex gratia, & auxilio Dei, quemadmodum si diceret. *Domini est preparare animam*, intelligēdus quidem foret per cooperationem arbitrii. Subdit. *Et Domini est gubernare linguam*: scilicet per gratiam subsequenter, cuius est omnia impedimenta, quæ post cogitationem, & animi propositum rectam linguæ gubernationē interturbare possent, emoliri, & ceptum sermonem ad exitum feliciter perducere. Lege P. N. Gabrielem

P. Vazq. Vazquez i.p.to.i.disp.88.cap.1.

**S**ed quamuis hæc acute Scholastici excogitauerint, eorum censuram boni consulens subiicio alias expositiones. *Hominis est preparare animam.* Aliqui dicunt Salomonem hic animæ præparationem non tam per accomodationem homini tradere, quam eandem illi præscribere, & demandare. Quasi dicat, tuum est o homo antequam loquaris, apud temetipsum ea, quæ dicturus es, tacitus cogitare, & præmeditari: id si feceris, Dominus linguam gubernabit, ut præmeditatam orationem feliciter habeas. Ne ergo desis tu muneri tuo, & non deerit suo Deus. Sed tamen hanc interpretationem non valde probo.

**S**ecunda expositio est Caietani, qui lectioni originali adhærens existimat hic non de quolibet sermone in vniuersum Salomonem verba facere: sed de responso ad interrogantis mentem oblato. Nam Hebræa ad verbum habent. *Et à Domino responsio lingue.* Itaque sensum sic conformat. Ad hominem quidem spectat præmeditari ea, quæ dicturus est, cum autem respondere opus est, ita eloqui, ut responsum ad mentem interrogantis sit: atque illi satisfaciatur. Id quidē Dei beneficio obtinetur. Nam solius Dei est eam verbis vim addere, ut mentem alterius euincant. Sed tamē immerito Caietanus vniuersalem sententiam in eas angustias coniecit.

**T**ertia interpretatio docet verba ista congruere cum his, quæ Christus Dominus pronunciauit apud Matthæum. *Nolite præmeditari, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Ut sensus sit. *Hominis preparare cor*: id est, vires, ac robur aduocare, quibus cor suum confirmet, & comparet ad pugnam, nimirum ex Dei auxilio: at linguam moderari, & verba ad reuincendos aduersarios accommodata in os dare, Dei solius est.

**Q**uarta verò interpretatio mihi ante alias probatur.

Tom. 1.

**A**tur ad hunc modum, *Hominis est preparare cor*: id est, præcogitare, ac præmeditari ea, quæ dicturus est, homo prudentissimus potest. Id tamen non satis est ad bene, apteque loquendum: sed ulterius necessum est, ut Deus linguam moderetur, ac regat. *Et Domini est gubernare linguam.* Lingua sane ante alia labilis, & præceps est. D. August. ser. 28. de verbis Apostoli. *Lingua (inquit) facilitatem habet motus, in vltima posita est, facile in lubrico labitur*: ac subdit. *Quanto illa citius, & facilius mouetur, tanto tum aduersus illam fixus isto.* Hugo de sancto Victore in libro de Anima. *Lingua (inquit) labilis est, & teneri non potest, sed labitur, & fallit. Labitur autem anguilla, penetrat ut sagitta, tollit amicos, &c.* Cum ergo tanta sit linguæ labilitas, non fat est (inquit Salomon) præmeditari, ac mente voluere ea, quæ proferenda sunt: nam post multam meditationem lingua, ut est lubrica, sapissime prolabitur, & rationis imperium excutit. Quapropter necessum est, ut Deus illam coerceat, ac temperet. Diuus Iacobus in sua Canonica ca. 3. linguam cum temone, & gubernaculo ingentis nauigij erudite contulit. *Ecce naues cum magna sint, & a ventis validis minentur, cum cunferuntur a modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit: ita & lingua modicum quidem membrum est, sed magna exaltat.* Ergo cum lingua adinstar sit gubernaculi, & temonis, profecto peritissimo aliquo indiget nauclero, & gubernatore, qui illam vertat, & regat. Salomon ergo ait. *Domini est gubernare linguam.* Hic enim quasi peritus gubernator linguæ temonem tenet, & in omnem partem arbitrio suo versat. Nam tempestate iræ, aut alterius vehementioris affectionis exorta, temonem linguæ perite vertere solius Dei est.

**E**t Domini gubernare linguam. Rursus idem Iacobus sic ait: *Si quis verbo non offendit, hic perfectus est vir, potest etiam freno circumducere totum corpus. Si autem equus frana in ora mittimus ad consensendum nobis, & crine corpus illorum circumferimus, &c.* Itaque ait, non aliter hominem gubernari, & regi, quam equum aliquem exultantem: Sicut enim hunc freno ori indito moderari licet, & in omnem partem vertere, ac circumferre: sic etiam ubi homo lingua, & ore suo frantum excepit, facili negotio gubernatur, & regitur. At quis seffor inquires? Cuiam huius frani habenæ committenda sunt? Rationi fortasse? Non ita, sed Deo. *Domini est gubernare linguam.* Chry-

**E**t Domini gubernare linguam. Chry-

**E**t Domini gubernare linguam. Chry-

**E**t Domini gubernare linguam. Chry-

Hugo de sancto Victore.

Iacobus.

Chrysof.

August.

meo, &c. Cum enim rationem ipsam haud satis esse duceret ad linguam custodiendam, ianitorem, feras, & ostium a Deo flagitat (inquit Ambrosius, 1. lib. de mansionibus filiorum, Israel) Varij sunt sane vnus colloquij, aut sermonis euentus, ac nemo casus in omnes ita sese comparare valet, vt omnino tute sese linguæ permittere possit. Nauclero, tessore, domitore, ianitore, ostio, & feris, lingua opus habet, vt secura sit. Hæc autem omnia Deus tua moderatione in illa præstat. *Nam Domini est gubernare linguam.*

*II. Omnes viae hominis patent oculis eius: spirituum ponderator est Dominus.*

7 **O**Mnes viae hominis, &c. Hebraicè: *Omnes viae viri munde in oculis suis.* Hebraicè זכח. Similitudo ducta videtur à rebus diaphanis, & transparentibus, adeo vt quidem legere maluerint. *Omnes viae viri vitreae in oculis eius:* id est, diaphanae, & transparentes. Nam ab eadem radice est זכחית *Zachochith:* id est, vitrum, aut crystallum. Chald. *Omnes viae viri munde in oculis eius.* Textus Septuaginta habet hic pleraque transposita. Si quid autem huic priori parti respondet, illud sane est. *Omnia opera humilis manifesta sunt apud Deum.* Schol.

*Omnes viae viri.*

*Et spirituum ponderator est Deus.* Hebraicè. *Et ponderans spiritus Deus.* Chaldaeus: *Et Deus dirigit vias eius.* Nam verbum librandi, aut ponderandi ad vias etiam pertinet, vt nos alibi docuimus. Itaque *librare vias* apud Hebræos est cliuis ex æquatis vias per plana ducere. Septuaginta præfatis verbis sic attextunt. *Impij autem in die mala peribunt.* Cæterum in illo codice, quem nuper citavi sub asterisco, sic locus integer habetur. *Omnia opera humilis manifesta sunt apud Deum, & firmans ipsos spiritus Deus.*

8 Caietanus peculiarem amplexus est translationem: non enim legit. *Omnes viae viri munde, &c.* sed *omnes viae viri mundi in oculis eius.* Nam cum vox originalis sit in singulari, eam quidem ad virum referre maluit, quam ad vias. Ergo sic exponit. *Omnes viae viri mundi in oculis eius:* id est, vir pius, rectus, & sincerus cum sua opere examinat, ea quidem facile cognoscit, & numerat: at spiritus, vel internos motus, quibus ad opera perficienda impulsus est, non attingit: hos enim appèdere, & certo cognoscere solius Dei est. Propterea subdit. *Spirituum ponderator est Deus.* Itaque parabola suadet homini, ne sibi bona opera adscribat, quia interiorum motuum, atque impulsuum, quibus ad ea opera præstanda animus instruitur, Deus auctor, & administrator existit. Mihi vero haud probantur isthæc salubræ. Sentio ergo cum alijs interpretibus, qui vocem illam *Zach*, ad vias referunt. Nam licet sit numeri singularis: tamen adiectiuum numeri singularis cum substantiuo multitudinis passim neçti in lingua sancta nemo ignorat: exempla obtia sunt.

9 Ergo animaduertendum est illud pronomen *eius* non in nostra solum lectione, sed etiam in primitiuo anceps esse, ita vt Deo tribui possit, & homini. Deo quidem, qui proxime in superiori verlu, præcesserat, adscribunt Beda, Lyra, Dionysius, Hugo & plures alij: quorum interpretationem satis commendat nostra lectio, vt sensus sit. *Omnes viae hominis patent oculis eius:* id est, omnes rationes, & consilia hominis Deo manifesta sunt, aut (si licet dicere) vitrea, & crystallina, ita vt illa penitus inspiciat, & intentissimam illius aciem nihil fugiat. Interim tamen dum vitro perlucenti, & crystallo diaphano compa-

rantur, insinuatur quam fragiles, & inanes sunt prouidentia, & casta hominis consilia apud Deum. Nò solum enim ea acie sua peruenit, ac permeat, quæ diaphana sunt: sed etiam nullo negotio infringere, & comminuerè potest, quæ vitrea sunt. Addit, *Et spirituum ponderator est Deus.* Deus (inquit Lyra) spiritus appendit ad retribuendum secundum merita, & demerita. Reliqui ad intentiones animi referunt, ex quibus operum valor penditur. Germanus vero sensus esse videtur, Deum internas hominis cogitationes nò solum penitus inspicerè: sed etiam appendere, & librare, & leues ne sint. an graues, lance suæ æstimationis explorare. Leues cogitationes sunt ioculares, inanes, vanæ, superbæ, & aliæ id genus: graues autem, humiles, demissæ, seriæ, & quæ cum his concinunt.

**B** Alij vero pronomen *eius*, ad ipsummet hominem referri malunt. In his Iansenius & Rodolphus, qui vbi supra scriptam ex originibus lectionem hauserunt. *Omnes viae viri munde in oculis eius.* sententiæ ad hunc modum cõformant. Homines quidem plerumque sui ipsorum amore decepti omnes suas actiones probant, atque iustas, & honestas esse autumant: non tamen eorum iudicio, & examini standum est: sed Dei, qui spiritus, hoc est, studia, & intentiones libra suæ æstimationis explorat, & singularum actionum momenta cognoscit. Hæc autem sententia concinit omnino cum illa, quam Salomon infra tradit cap. 21. vers. 2. *Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda Dominus.* Hinc ad sensum vulgatam lectione allicere conatur Iansenius: ait enim sic. Nostra lectio cum sensu tradito conueniet, si quemadmodum in scripturis ea, quæ non probantur alicui, dicuntur ab illo non agnosci, aut inspicere etiam patere, aut manifesta esse idem sit, quod arridere, & approbari. Hæc autem etiam acute excogitantur: tamen coacta sunt, & verbis ipsis non minimam vim inferre videntur.

Quapropter existimo quidem pronomen *eius*, ad hominem aptius referri: locum tamen aliter interpretor. Et quidem animaduertere oportet hic de humili Salomonem verba facere. Suadet hoc lectio illa Septuaginta, qui verba omittentes, sententiam attemplexi, ita conuerterunt. *Omnia opera humilis manifesta in oculis eius.* Itaque sensus est; Humilis, ac demissi animi vir attentius explorat opera sua, & eandem penitus agnoscit. Si quid in his vitiosum, & turpe est, sibi ipsi lumit: si quid autem pium, & honestum, Deo adscribit. Humili inquam patent opera sua, ne dicam vitrea sunt, & crystallina, quæ sicut in vitro, & crystallo minuti simæ quæque maculae, ac sordes facile visuntur: sic etiam paruos etiã suorum operum defectus, & nauos humilis perspicue agnoscit. Vel aliter. *Vitrea sunt.* Audi Græcū Isteriorum libr. 2. Epistola 24. vbi discrimen humilis, ac hypocritæ diserte attingit. *Hypocritam enim vitrum veri margaritæ loco ponere dicit:* id est, vanam gloriam pro vera felicitate æstimare, & operamania & nullius valoris seu meriti apud Deum profandissimi ostentare. In quem sane quadrat illud vulgare. *Tanti vitrum, quanti verum margaritum.* Quod in superbos etiam coniecit Tertullian. libro contra Marcionem cap. 4. Ex aduerso humilem *veras margaritas sua æstimatione pro vitreis ducere dicit Isidorus,* id est, magni meriti, & valoris opera præ sui ipsius contemptu pro nihilo habere. Ergo cum ait Salomon. *Omnia opera humilis vitrea in oculis eius,* maximum sui, ac suorum operum cõtemptum innuit, per quem humilis sese tantopere demittit. Item alio etiã sensu opera humilis quantumuis magna in oculis illius vitrea sunt: nimirum quia fragilia apud se æstimat, nam humilis de semetipso demisse



fentiens; quantumuis virtute, ac pietate excellat, vitrea, id est, fragilia ducit opera sua, ac se à virtute, & pietate excidere posse aliquando, metuit semper. Denique aliter. Vitrea sunt opera humilis in eius oculis: scilicet tanquam perspicilia. Inter speculum, atque perspicilia, vulgo *Antojos*, id sane interest, quod qui in speculum intuetur, refractis, aut repercussis speciebus semetipsum in eo cōtemplatur: qui autem perspicilia ante oculos ponit, non se: sed ea, quæ è regione sunt, perspicue videt. Age igitur, opera humilis vitrea sunt in oculis eius, non speculi in morem opaca (nec enim illi suam ipsius formam reddunt) neque se in eisdem contemplatur: nihil enim eorum sibi tribuit, aut sumit: sed more perspiciliorum diaphana, & perlucida, ut per illa in Deum, cui illa accepta refert, inspiciat. Hæc omnia ad humilitatem spectant. Subdit Salomon.

12. *Et spirituum ponderator est Deus.* In sacra scriptura nomine spiritus superbiam, factumque notari nemo ignorat. Psalm. 75. *Qui aufert spiritum Principum.* Et infra. *Ante ruinam exaltabitur spiritus.* Isaïæ 25. *Spiritus enim robustorum quiescet.*

Et passim alibi. Ergo secundum hanc spiritus acceptionem triplex omnino sensus occurrit. Primus est, ut verbum *ponderandi*, & *librandi*, quod (ut nuper animaduerti) significat vias perpendiculo exæquare, & complanare, in ea significatione hoc loco sumatur. Tunc autem sensus erit. *Spirituum ponderator*, aut *librator est Deus.* Nimirum Deus superbiorum factum deponit, & erectorum spiritum in planum conuertit, excelsos, atque sublimes homines humilibus, & demissis, quasi perpendiculo quodam exæquans. Secundus sensus sic habet. Verbum originale *Thachan*: non solum significat ponderare, hoc est libra expendere: sed etiam pondere aliquo onerare, ut degrauare. Et quidem in eo sensu hæc verba accipi posse docuit Hugo: ut sententia sit. *Spirituum ponderator est Deus*, hoc est, spiritibus pondus addit Deus. Iuxta illud Iob. 28. *Qui posuit ventis pondus.* Quasi dicat, Deus spiritum, factum videlicet, & arrogantiæ sublimium addito pondere deprimit, & deponit, vel pondus addit spiritibus, ne eleuentur & vano tumore efferantur. Quò spectat illa lectio Septuaginta. *Et firmans ipsos spiritus Deus*, ne ipsos inanis gloriæ aura abripiat. Ad hunc modum apes lapillis contra ventos sese librant: & naues saburra contra tempestates affirmantur. Tertius denique intellectus sic construendus est, ut nomine *spirituum*, utriusque tum superbi, tum humilis spiritus notentur: nam & scriptura spiritus humilium etiam meminit. Psalm. 33. *Et humiles spiritu saluabit.* Et infra 29. *Et humilem spiritus suscipit.* Itaque ait. *Spirituum ponderator est Deus*: id est, Deus tum humilium, tum superbiorum spiritus appendit: & horum quidem leuitatem, illorum autem pondus, & momentum probe agnoscit.

Iob. 18.

Psalm. 33.

Vel aliter nomine *Spirituum*, internas animi cogitationes, & consilia significat Salomon. Ergo cum dixerit humilem attentius explorare omnes actiones suas, rationem huius examinis offert. *Qui a spiritu ponderator est Deus.* Quasi dicat, ideo humilis penitus inspiciat, & examinat omnia opera sua, & eorum defectus animaduertit, quia prope nouit Deum intimas etiam cogitationes estimationis suæ libra expendere solitum: atque adeo nihil illum fallere posse.

Tom. 1.

III. Reuela Domino opera tua: & dirigentur cogitationes tuæ.

**R**euela Domino, &c. Hebraicè. *Volue ad Dominum opera tua, & firmabuntur cogitationes tuæ.* Chald. cum nostra omnino concinit. Apud Septuaginta desiderantur etiam verba ista: sed in codice supra adscripto sub asterisco sic leguntur. *Deuolue super Dominum opera tua, & stabilientur cogitationes tuæ.* In Hebræo est *Gal*: quod noster interpres traxit à verbo *Galath*: quod est reuelare, & disco operire. Reliqui à verbo *Gal* duplicante secundam, quod significet dissoluere aut vertere.

Ergo Caietanus sic legit. *Verte ad Dominum opera tua*: exponit autem de intentione animi, id est, in his quæ agis, intentionem animi tui ab omnibus aliis caducis rebus auersam ad Deum conuerte. *Et dirigentur cogitationes tuæ*, nimirum non aberrabunt à suo fine, & scopo. D. Chrysostr. hom. 41. ad populum de confessione peccatorum intelligit ista verba. Beda *reuelare Deo opera sua*, perinde esse existimat, atque auxilium, opemque Dei singulis operibus flagitare. Cui hæret Hugo, Arbor. Dionysius, Lyra & alij. Mihi verò ante alias probatur interpretatio Rodolphi à quo libauit etiam Iansenius. *Volue*, aut *deuolue ad Dominum opera tua* (sic est in originibus) id est, quidquid boni feceris, id quidè in Deum conuicito, atque illi acceptum refero. *Et dirigentur cogitationes tuæ*, nimirum rectissime ferentur, nõ aberrabunt. Si enim ex his, quæ bene agis, quidquam tibi ipsi arroges, aberras proisus. Concinit hic versus cum superiori: cum enim de humilitate præfatus fuisset Salomon, iam nunc in quo summa humilitatis sita sit, ostendit: si nimirum homo quidquid recti, atque boni præstat, Deo, & gratiæ illius seruo adscribat. Hunc ad sensum allicienda est vulgata lectio. *Reuela Domino opera tua*: id est illi aperi, & expone, atque nihil eorum tibi clanculum assumes: furta enim tenebras captant.

Sed expendendum est verbum illud: *Volue ad illum, &c.* Significat enim quodammodo ex repercussione reciprocare, aut restituere. Ex pile ludò venuste hic similitudinem deriuauit Chrysostr. orat. 8. tom. 5. *Opera nostra bona, in Deum referre debemus, quemadmodum in spheræ ludo iacit vnus, alter vero refert pilam, tamdiuque eleganter ludus producitur quamdiu inter viriusque manus iacta, & reciprocata spheræ non excidit.* Ergo quidquid beneficij, Deo quasi iacente, acceperis, ne excidat (inquit Salomon) sed id continuo in illius manus reuoca, ut inde veluti repercussum iterum redeat. Seneca quidem in libro de beneficiis, de referenda gratia agens, ex eodem ludò exemplum transtulit libro secundo de Beneficiis cap. 17. & cap. 31. *Qui accepit (inquit) beneficium, licet animo benignissimo acceperit, nondum consummavit officium suum: restat enim pars reddendi, sicut in lusu est aliquid pilam scire, ac diligenter excipere: sed non dicitur bonus lusor, nisi qui apte, & expedite remisit, quam acceperat: & post pauca. Nec tamen ideo non bonum lusorem dicam, qui pilam, ut oporteat, excepit, si per ipsum morâ quominus remittere, non fuit.* Hæc autem pilæ similitudo lōge melius cadit in relationem operum, & gratiarum, quæ Deo fit, quam in relationem beneficiorum, quæ inter homines contingit. Nam qui beneficium restituit, non idem vicissim reddit, sed pro illo aliud æquale, vel maius refert. At Deo non alia, sed eadem, quæ ab ipso in nos profecta sunt beneficia, per humilitatem reuoca-

mus, dum nihil eorum nobis arrogamus, sed illi totum adscribimus. Aptius ergo huic accommodatur pila ludii: in quo non alia, sed eadem à repercutiente remittitur pila.

15

Et quidem tam apta, & apposita est in hoc loco præfata similitudo, vt existimem Salomonem illam omnino vsurpasse. Nam illud verbum *Gal. id est, volue, fuit à radice Galal, ex qua fit etiam Gilgal: quæ vox rotundam spheram, pilamque significat. Sic plerique commenti sunt ad illa verba Psal. 83. Domine pone illos vt rotam, &c. vbi quidam restitunt. Domine iacta illos, vt pilam. Ita cum ait. Volue ad illum opera tua: perinde est, ac si dicat: tamquam pilas ab ipso iactatas in illius manus reuocari, ac remitte. In eo enim optimi lusoris peritia consistit, vt docet Seneca, qui rursus in cap. illo 17. iacientis, & accipientis pilam officia sic partitur. *Urolo (inquit) Chrysippi nostri vt similitudine de pila iusu, quam cadere non est dubium, aut mittentis vitio, aut accipientis: tunc vero cursum suum seruat, cum inter manus utriusque apte ab utroque iactata, & excepta versatur. Necesse est autem, vt eadē lusor bonus aliter collusori longo, aliter breui mittat. Eadem beneficij ratio est, nisi utriusque persona dantis, & accipientis adaptetur, nec ab hoc exibat, nec ad illum perueniet, vt debet. Si cum exercitato negotium est, audacius pilam mittemus: utcumque enim venerit manu: illam expedita, & agilis repercutiet: sin cum tyrone, & indocto, non tam rigide, nec tam excusse: sed languidius, & in ipsam eius remittentis manum facile occurreremus. Idem faciendum est in beneficiis. Facinus enim plerumque ingratos, quia non bene collocamus beneficium. Hæc ille inter homines seruari iubet. Sed longe melius has leges Deus erga homines seruati, cum quibus iucundissimum quasi pilæ ludii per beneficia sua instituit. Quoties enim illi cum exercitato, atque rerum spiritualium peritō homine res est, audacter, & excusse pilam iacit, hoc est, labores nonnunquam, ægritudines, & molestias illi immittit. Sciens quod manus agilis, atque expedita utcumque beneficij pila venerit, repercutiet, & per gratiarum exhibitionem reuocabit. Sin autem cum tyrone, & inexperto res illi est, tunc quidem benignus agit, pilam quodammodo in illius dirigit manum, hoc est, felicia omnia, gratia, & iucunda illi tribuit, in quibus gratiarum relatio, aut repercussio facilis & præclius est. Ergo Salomon ait. *Volue ad Dominum opera tua: id est, quidquid boni feceris, aut mali toleraueris, id quidem Deo acceptum refer, & per gratiarum actionem reuoca. Tunc autem peritor eris, cum aduersa, & infausta ab illo in te iactata, ne dicam excussa prompte, atque expedita remiseris. Subdit.***

Seneca.

16

*Et dirigentur cogitationes tuae. Hebraicè: Ordinantur, aut stabiliuntur. Quasi dicat, hoc humili iudicio præiactō, cogitationes, id est, consilia tua, & rationes minime nutabunt. Pergo ad alia.*

*Et dirigentur cogitationes tuae. Hebraicè: Ordinantur, aut stabiliuntur. Quasi dicat, hoc humili iudicio præiactō, cogitationes, id est, consilia tua, & rationes minime nutabunt. Pergo ad alia.*

*IV. Uniuersa propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque ad diem malum.*

17

**V**niuersa propter semetipsum, &c. Hebr. non dissentiunt. Chald. longe aliter: *Omnia opera Dei sunt pro his, qui obediunt ei: & impius seruatur in diem malum.* Hic versus abest etiam à Græco textu, septuaginta, sed sub asterisco etiam in quopiã codice legitur hoc modo: *Omnia opera operatus est Dominus propter semetipsum: impij autem in die mala peribunt.*

Huius loci vna omnium interpretum censura est, quod spectat ad priorem partem. Itaque sic expo-

**A**unt: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus*, id est, non coacte aliorum inferuiens utilitati: sed sponte suæ ipsius obsequens gloriæ propter semetipsum, tanquam propter finem vltimum omnia præstitit Deus. Huc vsque peruenit concordia: inde dissidium: *Impium quoque ad diem malum.* Aliqui sic exponunt, impium propterea Deus condidit, vt per illum diem malum, hoc est, diem afflictionis ad pios exercendos, aut puniendos immittat. Alij rursus putant Salomonem impij nunc meminisse: quia hic difficilis ad Dei gloriam referri posse videbatur. Illum ergo ad diem malum asseruari docet, in diem scilicet vltionis: idque propter se ipsum ad ostendendos thesauros indignationis suæ vasa iræ, vt iustitia illius inde innotescat. Lege Paul. *ad Rom. 9.* Sed quid quod Deus impij ipsum operari hic dicitur? Occurrit Hugo affirmans Deum quidem authorem esse impij: non autē impietatis eius. Iansen, autem subtiliorē sensum ex profunda Theologia decerpit. Afferit enim impij à Deo fieri, nō solum quia ipsius naturam condidit: sed etiam quia impietatem eius ad suam gloriam non tam præordinat, quam subordinat: ac tum demum quia, vt scriptura testatur sæpius, impij ipsum indurat, atque illi ruinarum occasiones immittit. Sed tamen hæc subtilioris considerationis sunt.

ad Rom. 9.  
1800. 22.

Ego quidem existimo locum istum cum superiori nectendum esse: nodus autem sic conformandus est. Vbi Salomon dixit in superiori versu omnia nostra opera ad Deum esse referenda: iam nunc optimam huius rei rationē attextit dum ait; *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Quasi dicat, velex eo propter Deum operari, & ad ipsum referre actiones nostras debemus, vt Deum imitari, & æmulari liceat, qui omnia agit propter semetipsum, & in suam ipsius gloriam curata destinat. Vel aliter germanus. Quidquid boni agimus, id quidē Deus Optimus Maximus in nobis ipsis auxilio suo, & gratia perficit. Cum ergo id ipsum, quod in nobis operatur Deus, propter semetipsum agat, & in suam gloriam referat: nos utique illi cooperantes in eandem cum illo intentionem conspirare, atque in his omnibus, quæ illo in nobis agente, facimus, ad ipsius gloriam potissimum intendere debemus. Subdit: *Impium quoque ad diem malum.* Deus quidem impij, vt talem non facit (inquit Salomon) nam iniquitas impij ad ipsum nullo modo pertinere potest: tamen eandem iam inde commissam impiorum iniquitatem occasionaliter. (vt verbis vtat Scholasticorum) ad suam ipsius gloriam ordinat: quia supplicium de illa sumens iustitiæ suæ feueritatem ostendat. Id vt Salomon addidit, vt absolutior esset prima sententia. Vel certe docere voluit non modo bona opera nostra ad Deum à nobis per se primò referenda esse: sed etiam mala occasionaliter pœnitēdi, ac dolendi propter ipsum Deum, occasionem inde ex admisis criminibus arripientes: sic enim Deum profusus æmulabimur.

18

Minime præteruolanda est paraphrasis Chaldaica, quæ locum istum paulo aliter extulit: *Omnia opera Dei sunt pro his, qui obediunt ei: & impius seruatur in diem malum.* Sensus est: quidquid Deus condidit in hoc mundo, id quidem hominis iusti, & religiosi obsequio addidit, adeo vt nulla sit creatura, quæ ab hac cōmuni lege excipiat. At iniquus impij etiam vt creaturis Dei, & ab his emolumentum capere: Occurrit statim: *Impius seruatur ad diem malum.* Quasi dicat impius quidem nō perfruitur operibus Dei: nam etsi ad tēpus his perfrui videatur: tamen temporalem voluptatem, & vsum æternis suppliciis tandem aliquando luet. Hæc etiam sententia cum superiori haud incongruè cohæret: satis enim

19

robustum argumentum conficitur ad probandum iustos propter Deum operari oportere, & omnes illorum actiones ad illius gloriam, & obsequium referendas esse, ex eo, quod Deus omnia sua opera, & creaturas omnes, quas condidit, iusti hominis obsequio addixit. Si enim Deus propter hominem omnia fecit: homo etiam propter Deum omnia præstare tenetur.

*V. Abominatio Domini est omnis arrogans: etiamsi manus ad manum fuerit: non erit innocens.*

20

**A** *Bominatio Domini, &c.* Hebraicè. *Abominatio Domini omnis elatus corde: manus in manu, vel manus ad manum non erit innocens.* Caietanus duplicem aliam lectionem excogitavit: *Manus manu non mundabitur, vel, Manus ad manum non erit mundus.* Chaldaus. *Abominatio Dei omnis elatus corde, & a malo non mundabitur.* Septuaginta. *Immundus apud Deum omnis sublimis corde: manui autem manus inferens iniuste, non erit innocens.* Scholiaſtes. *Et manui manus miſcens, &c.*

Posterior clausula, vt iacet, tota occurrit supra cap. 11. vers. 21. cuius plures expositiones ibi conflauimus, quas tute in hunc locum translatas superbo, & arroganti accommodare poteris. Tantummodo hic adnotare libet peculiare aliquid ex Thargum, & alijs translationibus elici posse in hoc loco: videntur enim hi postrema verba ad ablutionem manuum referre, per quam innocentia notabatur Psalm. 25. sic Dauid. *Lauabo inter innocentes manus meas, &c.* Et Pilatus Christum neci addicens lauit manus suas, vt se innocentem comprobaret. Itaque præmissæ translationes hunc sensum spirant. *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Septuaginta. *Immundus apud Deum est omnis sublimis corde.* Dixerat de humilitate, atque humili in superioribus sententiis: iam nunc de superbia, & superbo. Omnis ergo, qui vana elatione animi apud semetipsum tumet, apud Deum quidem immundus, ac sordibus innumeris infectus æstimatur. *Et iamsi manus ad manum fuerit, non erit innocens.* Hebraicè, *non erit mundus.* Chaldaus absolute legit. *Et a malo non mundabitur.* Sensus est, etiamsi manus manum fricuerit, & abluerit ad innocentiam ostendendam: non tamen propterea elutis sordibus emundabitur, & purus erit apud Deum. Itaque illud. *Manus ad manum, vel manus in manu, sic accipiendum est. Manus manum fricans, vel manus manum tergens.* Reliquas interpretationes vide ibi, & ex illis, non paucas in hunc locum transferre licebit.

*VI. Initium viae bonae facere iustitiam: accepta est autem apud Deum magis, quam immolare victimas.*

21

**I**nitium viae bonae, &c. Hæc verba non respondent originibus. Leguntur tamen apud Septuaginta quæ, si verbum ex verbo reddas, sic habent, *Initium bonae viae facere iusta, accepta autem sunt apud Deum magis, quam immolare hostiam.* Constat autem interpretem nostrum ex translatione Septuaginta pleraque libasse, quæ in Hebr. codicibus deerant. Et quamuis quædam etiam Biblia vulgata antiqua hæc verba non adscribant, adeo vt in Gothicis etiam desiderari certum sit, tamen cum ex antiquis pleraque illa contineant, & textus Clement. correctior eadem retineat, immerito scio-

Tom. 1.

li quidam illa à vulgatis expungunt.

Sententia verò est valde luculenta. Aut enim nomine iustitiæ pietas, & honestas in vniuersum accipitur: aut misericordia, & elemosyna, vt quidam malunt: *Initium viae bonae facere iustitiam.* Acceptiones *initij* supra enumeravi cap. 1. vers. 7. vbi docui non tantum rei exordium: sed etiam excellenti; & principatū notare. Ergo si de honestate, & pietate sermo sit, nomen *initij* exordium significabit, hoc modo. Aditus quidem ad pietatem est, ipsamet pietatem, & iustitiam inchoare: nam coepisse magnā iustitiæ, & honestatis partem continet. Nam illud

**B** Horatianum: *Dimidium facti qui coepit habet, sapere aude, incipe, &c.* in exercitatione virtutis potillimum locum habet, cui accinit Aufonius Epigr. 38.

Horat.

*Incipe dimidium facti est coepisse, super sit*

Aufonius.

*Dimidium rursus, hoc incipe, & efficies.*

Sed ulterius addidit alius Porta.

*Incipe, quidquid agas pro toto est prima operis pars.*

Id verò, nimirum iustitiam, & pietatem inchoare longe melius est, ac Deo acceptabilius, quam innumerabiles victimas litare: nisi enim sacrificiis accedat obedientia, & executio recti & honesti, etiā Hecatombe Deo ingrata est. Quamuis autem sciam nonnullis hanc interpretationem probari, mihi tamen alia magis arridet.

Hæc verba de misericordia intelligi oportere suta- det sequens versus: *Misericordia, & veritate redimitur iniquitas, &c.* Itaque sensus est: *Initium viae bonae facere iustitiam, &c.* id est, inter reliquas bene viuendi partes principem locū obtinet misericordia erga pauperes, & egenos: atque hanc Deo ipsi gratiorem accedere, quam hostias, & victimas ingentes habes Osee 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Lege multa de hoc argumento apud Chrysoſtom. homil. 5. in Matth. Et quidem misericordiā antiquis sacrificiis præferri à Deo nemo inficiabitur. Illud quidem stupore dignum est. Magis enim quodammodo misericordiæ, & elemosynis deferri vult Deus, quam sui corporis, & sanguinis venerabilissimo sacrificio.

22

Audi Chrysoſtomum. *Vis (inquit) corpus Christi honorare, non despicias ipsum nudum, neque hic quidem in Ecclesia sericis pannis induas, foris autem frigore, ac nuditate confici negligas. Qui enim dixit: Hoc est corpus meum, & rem simul cum verbo confecit, idem dixit: Esurientem me vidistis, & non cibastis, & in quantum non fecistis vnicorum minimorum, nec mihi fecistis. Hoc certe corpus Christi non amictu, sed anima munda indiget: illud autem multa cura, & magna diligentia eget. Utique ad hoc non est opus vasis: sed animis aureis (hoc dico non quia vitare velim talium vasorum oblationem, sed quia dignum putem ante omnia misericordiæ, & benignitatis esse incumbendum.)* Et per breui verborum interstitio sic attextit. *Responde mihi, quanam utilitas est, si cum mensa illius multis calicibus aureis ornatur, ipsemet inedia pereat? Prius igitur ipsum esurientem saturas: deinde ex quadam etiam superabundantia mensam eius ornabis. Calicem aureum facis, & aquae frigidae calicem ei non praebes: & quod inde emolumentum consequetur? Coopertoria mensa auro nitent, & ipsi necessari a velamina negas: Quid igitur ipsi praebes? Dic oro si quem fame pereuntem videres, nec cibo soluere ipsius famem curares, sed multo auro, argentoque mensam illum exornares, quas putas illum gratias tibi habiturum? An non potius indignaturum? Quid porro si vestibus detritis, ac pertusis vestitum, & frigore congelatum hominem aspiceres, nec vestem illi praeprares: nihilominus aureas statuas in decorem illius erigeres: nonne contem-*

Osee 6.  
Chrysoſt.23  
Chrysoſt.

Aaa liij

nerere, atque irridere ipsum videreris? Itate oportet in Christo etiam cogitare, cum errabundus, ac peregrinus circumuagetur tecto indigens, tunc tu ipsum quidem non excipis, & tamen vermiculato emblemate pauimenta exornans, magnificos muros construis, columnarum capita erigis, lychnos ab argenteis catenis dependere facis (nec vero prohibeo magnifica templa condere, sed hac ante illa facere moneo.) Cum ergo edes exornas, noli fratrum afflictum despiciere: hoc enim templum est illo praestantius. Nam & illud infideles Reges, & tyranni exhaurire possunt: quidquid autem benigne in fratrem feceris, nec diabolus ipse eripere poterit: sed manet in thesauris aeternis reconditum. Haecenus Chrysostomus, qui nullibi mihi visus est elegantior, atque vberior. Ex quibus constat Deum tantum pauperibus deferre, vel potius sibi ipsi in illis, ut quod attinet ad externa, honestius, liberalius, & decentius secum in his agi velit, quam in Eucharistiae Sacramento. Et quidem haec una ratio antiquos Ecclesia Proceres permouit, ut in magnis pauperum angustiis sacros calices comminuerint, & pretia eorum pauperibus impenderint.

Addit autem Salomon, misericordiam, & eleemosynam, non solum Deo gratiora esse, quam sacrificia, & victimas: sed etiam homini utiliora: nam si hostiae ad mundanda, & eluenda peccata potissimum instituta sunt. *Misericordia quidem, & veritate redimitur iniquitas, &c.*

*V I. Misericordia, & veritate redimitur iniquitas: & in timore Domini declinat in malo.*

25 **M**isericordia, &c. Hebraicè: *In misericordia, & veritate expiabitur iniquitas.* Hebraicè: *יפח* fecuphar, à radice Chapbar, quæ in Piel, Pual, & Hithphaël, significat expiare, & eluere delicta Chaldaus: *Et timor Dei auertit à malo.* Septuaginta hæc verba exhibent capite præcedenti hoc modo: *Eleemosynis, & fide purgantur peccata: timore autem Domini declinat omnis à malo.* Locus iste bis repetitur in vulgatis, semel capite præcedenti, & iterum in hoc capite.

Cur eleemosynæ, ac misericordiae veritatis adiungi soleat, iam inde supra non semel attingimus, ac decreuimus veritate iustitiam notari: nisi enim ex iustæ partis eleemosyna fiat, Deo quidem ingrata, & iniusta est. Misericordiae vim ad purganda, & expianda peccata passim deprædicant scripturæ: nihil hîc addendum est his, quæ diximus capite præcedenti, vers. 27.

*V II. Cum placuerint Domino via hominis: inimicos quoque eius conuertet ad pacem.*

26 **C**um placuerint Domino, &c. Hebraicè ad verbum sic habent: *In volendo Dominum vias viri, etiam inimicos eius pacificabit.* Chaldaus: *Quando vult Dominus vias viri: inimicos quoque eius pacificos reddit ei.* Septuaginta hæc verba anteponunt, &c. Superiori adscribunt, de quibus non nihil diximus ibi, vers. 27. Sic autem extulerunt: *Acceptæ apud Dominum via hominum iustum: per ipsos autem & inimici sunt amici.*

Prima interpretatio huius loci mystica est, ad hunc modum. *Cum placuerint Domino via eius, &c.* Id est, ubi homo sese Deo probabilem exhibuit, atque illius iniuit gratiam, statim, nimirum appetitus passionis, eiusque affectiones, quæ ra-

27 **A**tionem semper bellum mouent, amicitiam cum illa iungunt, ac sese totas illi dedunt. Nam quemadmodum ubi Princeps aliquis inferior cum supremo aliquo Rege, aut Imperatore fœdera percussit, pacem, & amicitiam copulauit, minores hostes, qui illi prius infesti erant, & regiones eius exturbabant, depositis odiis in gratiam illius redire fatagunt: existimantes non iam sibi cum vno aliquo parum forti Principe rem gerere, sed cum potentissimo Imperatore, &c. Ad eundem modum, ubi primum homo cum Deo pacem, & concordiam stabiluit, omnes alij tum interni, tum externi hostes, qui prius illi infesti, atque molesti erant, inimicitias deponunt, & bella intermittunt: putant enim non iam sibi cum homine inualido, & imbecilli, sed cum ipso rerum omnium potenti Deo rem esse. Hanc similitudinem alicubi inculcat Chrysostomus.

Secundam interpretationem propius ad litteram accedentem offert Rodolphus, qui putat Salomonem hîc connexionem tradere, quæ inter amorem Dei, & proximi intercedit: amor enim Dei, & proximi sic inuicem cohærent, ut vnus sine altero esse nequaquam possit. Itaque sensum esse putat. *Cum placuerint Domino via hominis, id est, statim atque homo per charitatem, & intimum amorem gratum se Deo præbuit, inimicos quoque eius conuertit ad pacem:* id est, continuo illum Deus ad amorem etiam hostium suorum conuertit. Itaque illud, *inimicos conuertet ad pacem,* non ita intelligit, quasi dicat hostes cum illo pacem inuituros: sed illum potius erga hostes suos pacem seruaturum, atque eos impensius amaturum.

Tertia interpretatio, quam Rodolphus præferre videtur, & Ianfenius plane amplectitur, accipit verba, ut sonant, hoc modo. *Cum placuerint Domino via hominis, id est, cum primum homo in Dei gratiam sese insinuauit, atque illi obsequentem se præbuit, merito huius obsequij id obtinet, ut Deus omnes eius aduersarios illi subternat, & ad pacem flagitandam cogat.* Et quidem ita res ipsa postulare videbatur, ut statim atque homo cum supremo illo Principe Deo fœdera iunxit, reliqui hominis aduersarij deditioem cogitarent, & pacem omni studio quaererent. Non displicet hæc interpretatio: sed tantisper mihi languescere videtur.

28 **E** Quapropter existimo Salomonem hoc loco suadere homini pio, & iusto, ut Deo tantummodo placere studeat: non autem hominibus: nam cum hominum studia voluntati diuinæ plerumque aduersari soleant, hominibus simul, ac Deo probari plane impossibile est. Ergo ait: *Cum placuerint Domino via hominis:* hoc est, siquidem homo in actionibus, & operibus suis ita se gesserit, ut Deo omnino placeat, probabilisque sit: parum quidem interest, an propterea hominibus displiceat: etiam si illi offensi ad iram concitentur, & inimicos se propterea præbeant: nam Deus quidem illos denique sedabit, & gratiæ, amicitiaque restituet. Hac una ratione inductus beatus Paulus aiebat ad Galat. 1. *Non quero hominibus placere: si enim hominibus placeam, Christi seruus non essem.* Atqui ô Paule sanctissime! plurimos tibi inde hostes, & aduersarios consciscis. Quid inde? Deus quidem illorum cor emolliet, ac mecum tandem sentire, & conspirare faciet. de lectione autem Septuaginta supra cap. 15. vers. 29. non paucis dictum est.

Paul. ad Galat. 1. num. 10.

A tius: De hac re multis alibi diximus.

VIII. *Melius est parum cum iustitia: quam multus fructus cum iniquitate.*

29

**M**elius est parum cum iustitia. Hebraicè, *Bonum est parum in iustitia pro multitudinis proventuum absque iudicio.* Chaldaus, concinit cum primitiuis. Septuaginta, *Melior est parua acceptio cum iustitia, quam multa genimina cum iniustitia.* Symmachus, *cum impietate.*

Prov. 15.  
num. 17.  
Psal. 36.  
num. 16.

Hęc sententia Iansenij haud dissimilis videtur illi, quam Salomon pręmisit capite superiori, vers. 17. **B** *Melius est parum cum timore Domini, quam thesauri magni, & insatiabiles:* Cum qua etiam cohęret illud David Psal. 36. *Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.* Vide ibi. Rodolphus existimat etiam hęc iustitiam pro eleemosyna, & misericordia accipi posse, vt sensus sit. Longe melior est angustior census, ex quo quis liberaliter erogat pauperibus, quàm opes immensę sublatis eleemosynis. Mihi verò Iansenij censura non displicet, Rodolphi verò consilium haud placet.

30

Si tamen verba ipsa penitus inspiciamus, sensum **C** quidem alium reddere videntur hoc modo, *Melius est parum cum iustitia, &c.* Septuaginta, *Melior est parua acceptio.* Gręcè *ἀνψς*, quę vox sumitur pro lucro, & quęstu. Itaque ait, longe melior, & fœlicior est exiguus quęstus ex commercio, vel negotio iustę partus, quam immensa lucra, & proventus contra fas per iniuriam quęsiti. Hoc sibi vult illud, *Quam multi fructus cum iniquitate,* nam licet תבואות *Thebuoth* agrorum genimina, & fructus proprie significet, sæpius autem sumitur pro quibuslibet lucris, aut quęstibus, vt adnotat Caicatanus, & alij. Sententia verò isthęc, ne langueat, non ita capienda est, vt tantummodo hoc illi bonitate præferatur, sed illud *Melius est,* sic exponere oportet. Fortunatius, diutius, & copiosius est, hoc enim postulat sententię energiã, & vis. Quasi dicat, vberius lucrum est paruum lucrum iustę quęsitum, quam ingens aliquod iniustę partum. Id verò certissimum est multis de causis, tum quia quod quis iustę sibi peperit, id quidem manet, cum malę parta malę plerumque pereant, tum etiam quia cum quis aliquid per iniuriam sibi acquisiuit, maior est iactura ipso quęstu. Saluator enim ait, **M** *Quid prodest homini si uniuersum mundum lucretur,* (nullum lucrum copiosius, & vberius excogitari potest) *anima verò sua detrimentum patiatur,* maior tamen, & deterior ista iactura. Meritò ergo Salomon lucrum illud, quod sine hoc detrimento capessere licet, vberius longè atque copiosius esse affirmat.

Matt. 16.  
num. 16.

31

Quod si adhuc in ipsa nominum proprietate hęc **F** rere velis, & nomine *fructuum* ipsos agrorum proventus notari malis, non illepidus sensus euadet, hoc modo, *Melius est parum, &c.* Septuaginta, *Melior est parua, &c.* ἀνψς, quę vox captationem, id est, captam alicuius rei possessionem etiam adsignificat. Itaque sic ait. Potior atque fœlicior est exigua agelli cuiusdam fors, ex qua paucos ad victum necessarios fructus decerpere licet, cum adest iustitia, & pietas, quam latissimi fundi, & prædia immensa, cum abest iustitia & integritas. Quod quidem ne frigeat, ita capiendum est, vt intelligamus ideo fœliciores esse illius fortunam, qui exigua agelli iugera numerat, quam alterius, qui latifundia, & agrorum immensos tractus obtinet, quia cum tenui censu fete coniuncta est pietas, & morum integritas, at cum amplissimis fortunis plerumque impietas, & iniustitia cohęret. Quid cer-

Tom. I.

IX. *Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus eius.*

32

**C**OR hominis disponit, &c. Hebraicè, *Cor hominis cogitabit viam suam, & Dominus parabit, aut librabit gressum eius.* Chaldaus, *Cor filij hominis, &c.* Septuaginta, *Cor viri cogitat iusta, vt a Deo dirigatur gressus eius.* S. Cyprianus in oratione de zelo, *Et a Deo dirigentur gressus eius.* Cyprian.

Locum istum de gratia subsequenti exponunt Scholastici Theologi, primum enim vniuersum huius capitis, & hunc simili omnino sententia donant, *Cor hominis disponet viam suam,* id est, quid præstandum sit, apud se cogitat, & decernit, id tamen non satis est, vt cogitatum iam, & decretam rem perficiat, sed gratia, & auxilio Dei subsequente opus est, vt ad effectum res illa perueniat, gratia inquam subsequente, cuius est impedimenta amouere, & ad executionem idoneum tempus, instrumenta, adiumenta, & si quid aliud est necessarium, in promptu offerre. Hoc sibi vult illud, *sed Domini est parare,* aut *dirigere gressus eius.* Alij appositè ad hanc sententiam conuertunt, *librabit gressus eius,* id est, viam inquam libratam, hoc est, planam, & perpendiculari exæquatam sublatis difficultatibus elius, & pulsis omnibus impedimentis, quę gressus retardare possent. Hoc enim esse dixerim gratię subsequenti munus viam planam, & æquabilem bonę, & honestę operationis exequendę sternere. Itaque displicet mihi illa interpretatio, *Dominus librabit gressus eius,* id est, æstimationis suę libra appendet, an bona, an mala sint opera eius.

Translatio Septuaginta huius sententię vim enucleatius eruit, nam verbis vitur præcipiendi, aut demandandi hoc modo, *Cor viri cogitet,* aut *disponat viam suam,* id est, hoc agat apud semetipsum serio, & considerate statuatur homo, quid factu opus sit, vt a Deo dirigatur gressus eius, vt scilicet Deus in promptu sit ad dirigenda opera eius. Nam ei, qui serio facere decernit, adest quidem Deus omnia ad executionem opportuna offerens.

33

Diuis Cyprianus in illa oratione de zelo locum **C** istum aliter expendit, sic enim habet, *Sensus atque actus tui diuinitus dirigentur, quando ea, quę diuina & iusta sunt, cogitaueris, sicut scriptum est. Cor viri cogitet iusta, & a Deo dirigentur gressus eius. Habes autem multa, quę cogites. Paradisum cogita, quo Cain non rediit, quia zelo fratrem perimit, cogita caelestis regnum, ad quod non nisi concordēs, & vniuerses Dominus admittit, cogita, quod filij Dei solum hi possunt vocari, qui sunt pacifici, cogita sub oculis Dei nos stare, spectante ac iudicante ipso, &c.* Itaque ex his constat, ex Cypriani sententia, Salomonem non specialiter præscribere, vt ea, quę homo secundum virtutem facturus est, apud se cogitet, sed in vniuersum suadere illi, vt mentem & cogitationem rebus bonis, ac iustis adiciat, interim verò etiam si ipse de suis rebus, ac de sua fœlicitate nihil cogitet: Deum tamen illi omnia fausta, & fœlicita impensurum. Nam *dirigere gressus* alicuius in scriptura passim est fortunare, & fœlicitare illum (vt iam inde non semel admonui.) Hęc sententia concinit cum illa Christi Domini, *Quærite primum regnum Dei,* **M** *Matth. 6. & hæc omnia adicientur vobis,* & cum aliis eius modi. Vnde Chrysost. satis acutè præcipit, vt mente, ac cogitatione in rebus æternis posita, hæc cadauca ne cogitemus quidem, vt eadem certius obtinere liceat, quia dum illa cogitamus, aut curamus, iisdem magis indigni reddimur apud Deum.

Matth. 6.  
num. 33.  
Chrysost.

34

Aaa iij

Propterea inquit ex persona Christi, *tubeo ista non queri, & non curari, non quidem ne accipias, sed ut abundantius accipias. Nam sollicitudine afflictus, & curarum moribus saepe discerptus hisce bonis te facis indignum.* Existimat enim Chrysol. illud verbum *adiucientur*, quo Christus usus est, non significare illa bona externa, velut appendicem aliquam conferenda, sed etiam affatim, & cumulate donanda, vt perinde sit *adiucientur*, id est, cum additamentis, & incrementis reddentur.

X. *Diuinitio in labiis Regis, in iudicio non errabit os eius.*

35

**D**iuinitio in labiis Regis. Hebraicè, *Diuinitio super labia Regis, & in iudicio non prauaricabit os eius.* Chaldaeus, *non mentietur os eius.* Septuaginta concinunt cum nostra. Symmachus, *Et in iudicio non faciet iniuriam os eius.* Aquila, & Theodotion, *Non prauaricabit, &c.* Diuinitio Hebraicè, *קספ Kesem* à radice *Kasam*, ferè in malam partem sumitur, adeo vt præter hunc locum, vbi ferè interpretes in bono sumunt, non sit alius in scriptura, in quo non significet curiosam aliquam, & magicam vaticinationem, vt admonent radicem inuestigatores.

Huius loci non pauca occurrunt interpretationes, quas breui attingam, & discutiam. Primò Beda de Christo Domino mystice exponit, cuius ex labiis oracula semper certissima prohibeant, cuius in ore nunquam inuentum est mendacium, aut dolus. Secundò, Lyra sic exponit, *Diuinitio in labiis Regis*, hoc est, diuinarum legum lectio. Quasi dicat, Rex scripturas, legesque diuinas lectitare, & labiis suis vsurpare assiduo debet, quia Deuter. 17. dicitur, *Postquam autem sederit in regni sui solio, Deuteronomium legis huius describet sibi in volumina, legetque omnibus diebus vite suae, ut discat timere Dominum.* Hinc autem fiet, vt in iudiciis ferendis causisque agitandis nunquam aberret. Illud ita Iansenius huic expositioni, & ridiculam eam appellat, sed immerito, quia diuina Scriptura non inepte diuinitio, & oraculum appellari potest.

Deuter. 17.  
nam. 17.

36

Tertia interpretatio est eiusmodi, *Diuinitio in labiis Regis*, id est, Rex legitimus cum loquitur extra iudicium, & cum iura non dicit populo, more aliorum hominum loquitur coniciendo, & diuinando, atque adeo nonnunquam falli poterit, at cum ius dicit, & leges fert, nunquam errat. Sustinet enim tunc personam Dei, quemadmodum per Pontifices, & Sacerdotes summos ea, quæ ad diuinum, & Ecclesiasticum ius pertinent, certissime enunciat, sic etiam per legitimos Reges ea, quæ ad ciuilem administrationem attinent, sine errore aliquo renunciat, vt pote vtriusque iuris parens, & prima regula. Puta cum Rex ad commune bonum spectat, & non temere, sed consulte, & considerate adhibitis consiliariis decernit, non quidem pari, sed conlimili, & analogica certitudine. Ad hanc interpretationem proximè accedunt Iansenius, & Rodolphus, qui hoc tantum à præfata expositione dissentiunt, quod priora illa verba, *Diuinitio in labiis Regis*, cum posterioribus neant hoc modo. Quidquid Reges legitimi in causis dirimendis, aut legibus ferendis profantur, ad instar oraculi, & diuini responsi obtinere debet apud omnes. Reddunt autem rationem, quia *In iudicio nunquam errabit os eius.* Vtraque expositio est idonea, sed prior mihi accommodatior videtur. Exprimit enim melius vim nominis illius *Kesem*, quod diuinationi respondet. Hoc enim (vt nuper obseruaui) nus-

quam alibi pro vera prophetia, & vaticinio sumitur, sed vel pro magico, & curioso, vel pro coniectura errori obnoxia accipi consuevit. Et quidem Regum ordinationibus, tanquam oraculis quibusdam deferendum esse satis euincunt verba Pauli ad Roman. 13. *Omnia anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas, nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Et infra, *Ideo necessitati subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim, & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes, &c.*

37  
Ad Rom.  
13. nam. 1.

**B** Ex quibus verbis constat quidem primò Principes sæculares Dei Vicarios, & quasi Proreges esse. Secundò, quidquid etiam ad ciuilem administrationem attinet, à Deo per ipsos ordinari, & disponi. Ex quo fit (inquit Paulus) vt potestati publicæ obfistens Dei ordinationi resistere dicatur, non solum quia obsequium, & obedientiam denegat ei, cui Deus parendum esse dixit, sed etiam, quia quidquid sæcularis Princeps iustè decernit, ac præcipit, id quidem Deus ipse præcipit, qui suam per legitimum Principem insinuat, vel intimat voluntatem.

**C** Huc spectant illa verba, quæ supra cap. 8. fufe explicuimus, *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Hinc quidem factum est, vt Imperatorum veterum responsa, quæ iuris consultorum opera in codices coniecta sunt, omnium penè gentium tacito consensu recepta sunt, quia ferè nihil rationi aduersum præscribunt. Deus quippe in ipsis imperabat, & iusta decreta condebat. Quod si nonnunquam aliquid rationi, ac iustitiæ contrarium cautum ab illis est, id quidem ideo contigit, vel quia temere, & inconsulte agebant, vel quia ad commune Reipublicæ bonum minime spectantes priuatis commodis studebant, atque tunc non vt Reges, & Principes, sed vt priuati, ne dicam, vt tyranni res administrabant. Itaque illud ausim dicere, Principem, aut Regem legitimum quoties, vt talis iudicat, aut præscribit, vix aliquando in decretis errare posse. Deus enim, qui per illum regnat, per illum etiam iusta eloquitur, & renunciat populo. Sed licet hæc accommodate dicta sint, tamen subiiciam aliam expositionem, quæ mihi haud inepta videtur.

**E** Vtique *diuinitio* apud Latinos nomen est fori, nam cum plures eiusdem criminis accusatores forte obueniunt, tum quidem ad iudicem spectat ex his alterum deligere, æstimatis scilicet accusatorum personis ex dignitate, ætate, ac moribus. Hæc autem actio diuinitio dicitur. Ob eam causam prima Ciceronis actio in Verrem diuinitio nuncupata est (teste Asconio) quia cum duo accusatores forte obuensent, vter alteri præferendus sit, discerptatur. Meminit etiam huius iudicij sub eo diuinationis nomine Vlpianus lib. 15. §. si Astrologus, ff. de iniuriis. Quintilianus lib. 3. cap. 10. & lib. 7. cap. 4. Agellius lib. 2. cap. 4. Huius autem appellationis non vnã causam authores offerunt, omnes autem diligenter conflauit Ioan. Rosin. Antiq. Rom. lib. 9. cap. 19. Alij enim dicunt actionem istam diuinationem nuncupari, quia iniurati iudices in hac causa sedeant, vt quod velint, de vtroque accusatore præsentire possint. Alij rursus, quod res agatur in eo iudicio sine tabulis, sine testibus, atque adeo iudices tunc per coniecturas quasdam ex semetipsis diuinant. Addit autem Rosinus diuinationem in vniuersum appellari posse illud iudicium, quod redditur super casu, aut causa, de qua nulla hæctenus lex lata fuit, quia tunc iudex ex quadam coniectura arbitrio suo, quid decernendum sit, diuinat. Hæc autem diuinationis acceptio ita

38

Vlpian.  
Quintil.  
Agell.  
Rosin.

mihi placet, vt existimem ex illa huic loco plurimum lucis afferri. Ait ergo Salomon, *Diuinitio in labiis Regis, & in iudicio non errabit os eius*, tunc scilicet, cum super re aliqua nulla lex prius lata est, nullum decretum, sanctione stabilita, vel cum lex difficilior interpretanda est, adeundus, atque rogandus est Princeps supremus. Nam *diuinitio*, id est arbitrium, quando nulla lex subest, iudicium, & decretum ad illum pertinet, & in iudicio isto ferendo, *non errabit os eius*, hoc est, nihil contra ius, fasque decerneret, Deo illi, quæ recta sunt, instillante, & dictante. Hæc interpretatio ante alias mihi probatur, continet enim Rege dignam sententiam. Et quidem cum lex deficit, vel cum de legis interpretatione dubitatio exoritur, Principem conueniendum esse, cauetur l. 1. §. si verò postea C. de veteri iure enucleando, vbi sic consultus ait, *Imperium Deus propter hoc imposuit hominibus, vt emergentia, & legis egentia lege definiat, & humana natura incertum repleat, & certis concludat legibus, & regulis*. Et l. 1. §. 8. & 10. C. de legib. Et quidem in ea l. 10. sic scribitur, *Cur autem ex suggestionibus procerum, si dubitatio in litibus oriatur, & sese non esse idoneos, vel sufficientes ad decisionem litis illi existimant, ad nos decurratur? Et quare omnes ambiguitates iudicium, quas ex legibus oriri euenit, aures accipiunt nostræ, si non à nobis interpretatio mera procedit? Vel quis legum enigmata solvere, & omnibus aperire idoneus esse videbitur, nisi u, cui soli legislatorem esse concessum est? Quid clarius?*

Ad extremum possumus locum istum facili quadam interpretatione donare, si per diuinationem, rerum, atque euentuum futurorum præsentionem capiamus, hoc modo, *Diuinitio in labiis Regis, & in iudicio non errabit os eius*. Exhortatur Salomon Principes, ac Reges, vt antequam aliquid pronuncient, aut decernant, aut demandent, per illam prudentiæ vim prælagam futuros euentus animo, & cogitatione anteuertant. Ex quo fiet, vt nunquam in ferendis iudiciis deerrent. Itaque ait. Regis labia ea tantum pronuncient, quæ mens per anticipatam futurorum euentuum præsentionem, & diuinationem prætulit, hoc est, nihil non præuisum, & præmeditatum proferant, atque ita in iudiciis, causisque quibuslibet decernendis nunquam aberrabunt. Ergo Salomon prudentiam commendat Principi, quæ propria illi, ac peculiaris virtus est. Lege Aristot. lib. 3. Politicorum, & aliis.

XI. *Pondus, & statera iudicia Domini sunt: & opera eius omnes lapides sacculi.*

**P**ondus, & statera iudicia Domini sunt. Alij ex Hebræo conuertunt, *statera, & bilances iudicij Domino*. Caietanus verò vices commutat sic, *Bilances, & statera, &c.* Chaldaus, *Pondus, & statera recta à facie Dei est*. Septuaginta, *Momentum statera iustitia apud Deum*. Symmachus, *Pondus, & statera iusta, &c.* Vox, quæ respondet ponderi, in primitiuis est *פֶּלֶס* Peles, à radice *Palas*, id est, direxit, librauit. Alij ergo existimant eam vocem genuina sua significatione significare amissim, hoc est, lingulam illam, quæ stateram in æquilibrio esse demonstrat. Alij momenta, & pondera lanci imposita. Rabbi autem David in lib. Radicum, sic scribit *פֶּלֶס Peles est rectitudo staterarum, & in illud, quod ponderans sua capit manu, in cuius medio est lingula staterarum*. Subdit verò quandam aliam opinionem his verbis, *Et sunt, qui dicunt, quod Peles appellatur virga ferrea signata signis ad sciendum pondera, & suspendunt super puncta signorum lapidem*

*ponderis*. Hæc est, quæ vulgo *Romana* dici solet. Illud quidem mihi exploratum est, inter eas voces *Peles*, & *תֵּרֶס* Mozen, quæ secundo loco hic adscribitur, id interesse, quod *Peles* instrumentum est ad maxima, & grauiissima quæque ponderanda, at verò *Mozen*, ad leuiora libranda. Suadet hoc locus *Isaia 40. Et librauit in pondere montes, & colles in statera*. Priori quidem loco adest *Peles*, ad montes librandos, posteriori verò occurrit *Mozen*, ad colles pensitandos, sicut impræsentiarum. Quapropter propè est, vt existimem *Peles, Romanam* notare (liceat mihi eo nomine deinceps vti) hæc enim ad grauiissimas res appendendas adhiberi solet, *Mozen* verò pro *statera* bilance sumi, quia in leuioribus rebus ponderandis vtitur. Itaque sensus est, *Pondus, & statera*, id est, *Romana, & bilans*, hæc quidem ad leuiora, illa verò ad grauiora pendenda.

*Et opera eius omnes lapides sacculi*. Hebraicè, *Et opus eius omnes lapides crumene*. Chaldaus, *Et opera eius omnia pondera veritatis*. Septuaginta, *Opera autem eius pondera iusta*. Theodotion, *Omnia pondera iusta*. Aliqui codices habent, *lapides sacculi*, sed mendum est.

Caietanus, Iansenius, & Rodolphus facile locum istum expendunt. Nam lectioni Hebraicè adhaerentes sic interpretantur, *Pondus, & statera iudicia Domini sunt, & opus eius lapides sacculi*, id est, *statera, & bilances iustæ, atque ponderum cuncta dissimilitudo, quam ad res expendendas homines adhibent, non tam ab hominibus instituta, & inuenta sunt, quam à Deo ad iusticiam seruandam erga proximum*. Itaque vulgata illa verba, *iudicia Domini sunt*, appositivè sunt capienda, id est, ipsius iudicio, atque præcepto constituta sunt, sic item illa, *Et opera Domini omnes lapides sacculi*, id est, istiusmodi lapides, aut momenta ab ipso confecta sunt, vt sensus sit: Hæc iustitiæ seruandæ instrumenta, etsi lege humana taxari, & definiiri videantur, tamen iudicio, & præcepto Dei formantur, atque adeo qui illa violant, vel adulterant, non solum humanarum legum pœnis subiacent, sed etiam apud Deum rei sunt, ipsius iudicio longe seuerius puniendi sic expresse Rodolphus, qui cum legisset, *Pondus, & statera iudicij Domini sunt*, sic addit, *Domino de his ratio reddenda est, atque causa adulterantis pondera, ipso iudice, tractanda*. Lege multa de hoc argumento supra cap. 11. vers. 1. ad illa verba, *Statera dolosa abominatio est apud Dominum, &c.* Ex multis verò aliis illud obserua, quod ex Iustino ibi adscripti, qui pondera, atque mensuras æquissimas in singulis vrbibus confici iussit, per quæ vulgaria mercatorum pondera, & mensuræ examinarentur, hæc autem in ipsis templorum adytis, & sacrariis custodiri mandauit. Voluit quippe æquitatis studiosissimus Imperator, vt cum iustitia, sanctitas, & religio cohærent, ne mensuras, & pœdera tanquam aliquid sacrum violare, vel adulterare quisquam auderet. Quod etiam apud Hebræos olim solenne fuit, apud quos iusta pondera, & æquales mensuræ in templi sacellis asseruabantur. Atque hinc nata diuersitas, & dissimilitudo ponderum vulgarium, & sacrorum, nam lapsu, & decursu temporis mercatores vulgaria pondera extriuerant, & minora in dies reddiderant, at sanctuarij, atque templi pondera iusta, & inuiolata perseuerarunt. Ergo Salomon fortasse hoc loco ad morem istum respiciens dixit *stateras, & pondera ad Domini iudicium spectare, atque ipsius opera, & institutione perfici, vt significaret stateras, & pondera vulgaria per illa examinanda, & corrigenda esse, quæ in sanctuario coram Deo erant integra, & incorrupta Dei beneficio, & prouidentia.*

39

40

Aristot.

41

Rabbi David.

43

Sed licet hæc non inepte dicta videantur, tamen grauiſſimi interpretes sub hac ponderum, atque bilanciũ similitudine, tanquam sub rudi cortice nucleum delitescere contendunt. Itaque iudicia Dei, ipsa nimirum illius iusta decreta, & sanctiões, quibus res humanas administrat, cum statera, & bilanciſus componi volunt, atque singula eius opera cum iuſtiſſimis ſingularium ponderum momentis. Neque video, cur hæc interpretatio originibus aduerſari putanda ſit, vt docet Ianſenius, nam licet illud מִשְׁכָּל מֹרְנֵה, in regimine ſit, ita vt legendum videatur, *Pondus, & ſtatera iudicij Domini ſunt*, nihilominus tamen Septuaginta ita conuerterunt, *Momentum ſtatera iuſtitia apud Deum*, quibus verbis planè Dei iuſtitiam ad inſtar ſtatera iuſtae obtinere affirmant, & conuerſo ordine non ſtateram iuſtitiae, ſed iuſtitiam potiùs ſtatera dixerunt, nullam regiminis rationem habentes, quod paſſim alibi factitant, tum ipſi, tum noſter vt gatus. Ergo mihi hæc extrema expositio alteri præferenda videtur, quam tradunt Beda, Hugo, Lyra, Dionyſ. & Arbor. & reliqui antiquiores interpretes, ſimilitudinis verò aptam accommodationem, quæ ſatis difficilis eſt, iam ſubnecto.

44

*Pondus, & ſtatera iudicia Domini ſunt.* Interpretes quidem nihil aliud his verbis notari volunt, quam iudicia Dei eſſe iuſta, hoc eſt, iuſtitiam eius, qua iuſtis præmia, & iniuſtis ſupplicia decernit, à ſuo æquilibrio nunquam ſecti. Succedat igitur memoriæ id, quod initio animaduerti, illa verba, *Pondus, & ſtatera*, ita differre, vt pondus instrumentum ſit ad grauiſſimas reſponderandas, ſtatera verò ad leuioreſ appendendas, iuxta diuerſitatem vocum Hebraicarum, vel ita vt pondus Romanam ſonet, ſtatera verò libram vulgarem. Tunc ſic Dei Optimi Maximi iuſtitia, aut Romana, aut ſtatera eſt,

Job 31.  
num. 6.Daniel 5.  
num. 17.

in qua merita ſingulorum explorat. Vnde Job à Domino ſerio flagitat, cap. 31. *Appendat me Deus in ſtatera iuſta, & videat ſimplicitatem meam*, Non modo autem iuſtorum opera, & merita libræ ſuæ examine probat Deus, ſed etiam impiorum. Daniel 5. ex tribus vocibus, quas manus illa horrendum in modum ex pariete exſtans exarauit, ſecunda erat *Thecel*, quam deinde Propheta ſic expoſuit, *Appenſus eſt in ſtatera iuſta, & inuentus eſt minus habens*. Vtitur autem Deus ad opera hominum ponderanda Romana, & libra, quia non tantum grauiſſima quædam opera mala, vel bona iuſtitia iux libramine examinat, ſed etiam quæque æquitatis ſuæ examine librat. Vrceusa quæ ex miſericordia tributis pauperi momentum habet apud ipſum, & de verbo otioſo rationem expoſcit. Adhibet præterea Deus Romanam, & ſtateram, materia cum præmiis, & ſcelera, cum ſuppliciiſus componens, ſed (licet mihi ſic comminici) in donandis præmiis vtitur quidem Romana. Nota quidem eſt Romana ſtructura, quam præfatus Rabbi Dauid ad hunc modum expoſuit, *Eſt virga prælonga ſignis ad cognoſcendum pondera, & appendunt in ſummitate virga lapidem ponderis, &c.* Illud verò in hac Romana ſtructura admirationem mouet, quod leue admodum pondus in extrema virgæ parte appenſum grauiſſima ex aduerſa parte momenta eleuat. Igitur Dei iuſtitia in præmiis bonorum operum pendendis Romana eſt. Nam in ea leuiſſima quædam opera noſtra, quaſi in extremo virgæ ſuſpenſa, ingentia præmia eleuant, ſeu attollunt. Audi Paulum 2. ad Cor. 4. *Idem, quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtrae, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriae pondus operatur in nobis*. Sic item diuinam iuſtitiam in ſuppliciiſus imponendis Romanam eſſe dixerim, nam leuiſſi-

2. Cor. 4.  
num. 17.

46

ma etiam, momentanea que hominum peccata cum in iuſtitia diuinæ libræ veniunt, grauiſſimum ſimiliter, & æternum ſupplicij pondus eleuant. Et quidem de hac iuſtitia diuinæ Romana, reſpectu delictorum illud mihi in mentem venit, quo longius per virgam trahitur pondus extremum, eo maius ex aduerſo pondus attollitur. Expectat ergo nonnumquam Deus impios, & ſupplicium eorum producit, id verò nihil aliud eſt, quam pondus peccatorum, ac ſcelerũ, quod in dies impunitate creſcit, per iuſtitia ſuæ virgam longius trahere, vt ea ratione grauius ad extremum ſuppliciorum onus eleuent. Pari ratione de iuſtitia Dei in conferendis præmiis contemplari licet. Nonnumquam enim ſeruorum ſuorum gloriam differt, vt meritis in dies incrementa capientibus, & per iuſtitia ſuæ virgam longius deductis, maius denique gloriae pondus attollant. Quid plura? In expendendis præmiis, aut ſuppliciiſus futura vitæ Deus quidem Romana vtitur, quæ vtraque magna, & ingentia ſunt. Nam (vt ſupra animaduerti) ingentibus ponderibus libræ Romanæ, non autem ſtateram adhibere ſolemus.

Atqui Dei iuſtitia cum ſtatera etiam conferitur? *Pondus* (inquit) *ſtatera iudicia Domini ſunt*. Sanè iuſtitia Dei ad inſtar obtinet ſtatera, cum tribulationes, & tentationes cum viribus noſtris librat. Ita docet Grægorius Magnus in præmiſſum locum Iob, & Paulus ait, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentũ*. Semper enim tentationem cum vniuſcujuſque viribus componit, & exæquat, tantumdemque gratiæ ad lancem alteram onerandã coniecit, vt voluntatis, & arbitrij noſtri æquilibrium trahere ad ſe poſſit. Secundò iuſtum ex tribulatione in hanc ſuæ æquitatis libræ iacit Deus, vt exploret eius conſtantiam. Huc ſpectauit Iob, cum ait, *Appendat me Deus in ſtatera iuſta, & videat ſimplicitatem meam*. Hebraicè, *Et videat perfectionem, aut integritatem meam*. Iob quidem ad conſuetam auri, & argenti examinandi rationem his verbis alluſit, ſolent quippe aurifices, vt auri maſſam aliquam explorent, partem aliquam primum in ſtatera appendere, deinde vero igni excoquendam tradere, & iterum ad trutinam vocare, quantum autem de pondere ignis detraxit, tantumdem fordium, aut alieni metalli habere comprobatur, quod ſi nihil ponderis detractum eſt, tunc aurum puriſſimum, & defæcatiffimum eſſe conſtat. Ergo Iob ad id ſpectans ait, *Appendat me Deus in ſtatera iuſta, & videat integritatem meam*, id eſt, iam inde poſtquam me tribulationis igni excoquendum tradidit, iterum ad trutinam vocet, atque tribulationem antea actam nihil de morum meorum grauitate detraxiſſe comperiet. At quænam eſt iſthæc trutina, in qua ſuam fidem, & conſtantiam examinari cupit Iob? Non alia ſanè, niſi diuinæ æſtimationis, & æquitatis libra. Præmiſſam probationem integre complexus eſt Dauid in Pfal. 16. vbi ait, *De vultu tuo iudicium meum prodeat, & oculi tui videant æquitates. Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas*, id eſt, non eſt inuenta in me vlla inæqualitas, nam tantumdem poſt tribulationem momenti habui, quantum antea, & mihi ipſi ſemper æqualis, & ſimilis omnino fui. Adde etiam Iacobum in Can. cap. 1. qui (mea etiam ſententia) ad hanc auri explorandi rationem alluſit, cum dixit, *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, ſcientes quod probatio fidei veſtrae patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt ſitu perfecti, & integri in nullo deficientes, nimirum qui*

47

D. Grægor.  
1. Cor. 10.  
num. 13.

Iob 31. n. 6.

47

48

Pſal. 16.  
nu. 2. & 3.Iacob. cap.  
1. nu. 2.



tentationibus probatus patienter sustinet, *opus perfectum habet*, id est, tanquam aurum igni traditum nulla ex parte deficit. Ergo patienter (inquit) sustinete, *ut sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes*, ut nimirum tunc cum Deus exultationis, & æquitatis suæ libra fidem vestram, & virtutem explorabit, & integros vos, & nulla ex parte detritos, aut pondere imminutos fuisse comperiat.

Rursus idem Iob alium ad sententiam diuinæ iustitiæ trutinam adhibet cap. 6. *Vtrinam (inquit) appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris hæc grauior apparebit.* Sententiam vulgatæ lætationis sic confirmo. Optat quidem Iob peccata, quæ prius admiserat, cum calamitate componi in vna statera, ita ut lancem alteram peccata onerent, alteram verò calamitas degraue. Tunc sic illud probe scio (inquit Iob) calamitatem meam pondere suo vniuersam maris arenam facile superare. Quapropter necesse est, ut crimina quantumuis magna eleuet, hoc est, compenset, ac redimat. Itaque Iob non ita postulauit, ut peccata sua cum calamitate in vnam trutinam venirent, quia putaret calamitatem suis criminibus præponderare (hæc enim vox non satis decebat virum humilem) sed eam calamitatem, quam tunc sustinebat, cum peccatis antea actis in stateram conuenire ideo exoptabat, ut pondere suo grauitatem eorum imminueret. Luculentius dixerim, illud quidem impense desiderabat, ut scilicet labores, & ærumnæ, quæ tunc sustinebat, ad compensanda præterita delicta sibi inferuissent. Iam ergo vides alium usum, ad quem Deus suæ iustitiæ stateram adhibet, scilicet ut labores, & tribulationes huius vitæ rite appensas in satisfactionem delictorum excipiat.

Accedat etiam Gregorius Magnus, qui præstantissimam diuinæ iustitiæ trutinam, & libram, in qua nostra omnium non modo peccata, sed etiam bona opera appenduntur, mediatorem omnium Christum Dominum esse dicit lib. 6. Moral. cap. 2. *In manu etenim patris, quasi statera miri libraminis factus, hinc in se calamitatem nostram, & illinc peccata suspendit, sed grauius ponderis esse calamitatem moriendo innotuit, & apud misericordiam suam Deus leue esse peccatum relaxando monstrauit.* Videtur Gregor. sane duo veluti vnius stateræ brachia, humanitatem, & diuinitatem constituere, ex quibus humanitas patientiam, quasi lancem alteram passione, ac morte sua Christus onerauit. At vero in diuinitatis iustitiam, veluti in oppositam ex aduerso lancem totius humani generis culpas coniecit. Sed misericordia intercedente, mors & passio Christi Domini peccata pondere suo vicit. Et iterum lib. 21. cap. 5. Christum Dominum stateram esse decernit, cuius vita, & conuersatione cuncta hominum probitas æstimatur, & pensatur. Mitto Bernardum, qui hanc iustitiæ diuinæ trutinam ipsam Christi Domini crucem esse decernit. Vide apud ipsum.

*Et opera eius omnes lapides sæculi*, id est, opera Dei paria, ac similia sunt ponderibus exactis, & iustis. Primo, quia ponderibus iustis addere, aut detrachere non licet, sic etiam Dei opera ita perfecta, & numeris omnibus absoluta sunt, ut nihil in illis aut desit, aut supersit. Ad hæc sicut ponderibus illis iustis, & taxatis aliarum rerum momenta examinantur, & explorantur, sic etiam operibus Dei, his maxime, quæ Christus Dominus apud nos gessit, opera nostra libranda, & examinanda sunt, ut constet quantum momenti singulæ actiones hominum apud ipsum obtineant. Denique Aristoteles, ut iam inde cap. 11. vers. 1. attigimus,

A iustitiam in vniuersum cum statera composuit. At verò leges, & iura, quibus in singulis rebus publicis ipsa iustitia, æquitatis momenta exquirunt, cum ponderibus contulit. Quasi sicut statera est eadem apud omnes nationes, omnes enim ponderando æquilibrium exquirunt, pondera autem non item. Nam libra Attica (verbi gratia) minor est libra Romana, & cadus Romanus Attico maior est. Sic etiam iustitia & æquitas eadem est apud omnes, leges autem apud diuersas gentes diuersæ sunt. Consimili ratione de Deo dixerim; Attributum iustitiæ diuinæ, quod stateræ adinstar in æquilibrium semper est, utique vnum & idem in omnibus Dei operibus apparet, tamen singula illius opera, per quæ non eodem modo cum omnibus agit, cum tota ponderum diuersorum dissimilitudine conferunt. Nam sicut per diuersa pondera idem æquilibrium exquirunt, ita etiam per diuersa Dei opera, quibus aliter, & aliter erga alios, & alios sese gerit, tandem iustitiæ diuinæ amissis, & rectitudo vestigatur, quosdam quidem Deus punit, alios indulget, quosdam item laboribus, & molestiis angit, alios fortunat, & erga alios se habet. Admirationem depono. Hæc omnia enim Dei opera diuersa ponderum momenta sunt, per quæ eadem iustitiæ, & æquitatis diuinæ amissis quaeritur.

XII. *Abominabiles Regi, qui agunt impiè, quoniam iustitia firmatur solum.*

**A** *Bominabiles Regi, &c.* Hebraicè, *Abominatio Regum facere impietatem, quia in iustitia firmabitur solum.* Chaldeus, *Abominatio sunt Regibus hi, qui operantur iniquitatem, quoniam in iustitia dirigitur solum.* Septuaginta, *Abominatio Regi in, qui facit mala, cum iustitia paratur solum principatus.*

Non tam quid Reges faciant, quàm quid ipsos facere oporteat, Salomon docet, *Abominabiles Regi, &c.* Hebraicè, *Abominatio Regum facere impietatem.* Sonus verborum is est, operepretium est, ut Rex ab omni iniustitia in Re publicæ administratione plurimum abhorreat, quia iniustitia infirmat Regum thronos, iustitia verò confirmat, & sancit. Sed tamen noster Interpres, Chaldei, ac Septuagintæ, vestigia premeus, sententiam eo inuertit, ut significet impios iniusta committentes Regi mirum in modum inuisos, & exosos esse oportere, adeo ut nullum vnquam in suam gratiam excipiat, nulli indulgeat, sed omnes insectetur, omnes leuerissime puniat, *Quoniam iustitia firmat solum.* De illa iustitiæ parte intelligo, quæ in puniendis, ac vindicandis sceleribus sita est. Hæc igitur, inquit, iustitia stabilitatem, & constantem firmitudinem regnis addit, nam impios deterret, proditores coercet, & rerum nouarum studiosos compescit. Unde Salomon in prægrandi illo throno, quem sibi affabre elaborari iussit, leones aureos toti structuræ subiecit 3. Reg. 10. *Et duodecim leuunculi stantes super sex gradus, hinc atque inde.* Itaque gradibus, quibus thronus insitebat, & per quos ad illum ascendere opus erat, leones addidit. Quorsum & Leones quidem seueritatis, & vindictæ symbolum præbent. Ergo ut significaret Regum imperia hæc potissimum, quæ in seueritate, & vindicta scelerum consistit, iustitia inniti, leones gradibus affixit, innuens præterea per quos ipsemet gradus ad regni solum inscendisset, scilicet per intam reorum punitionem. Non enim solum de sceleribus olim in parentem suam admissis vindictam sumpsit in regni sui auspiciis, sed si quos etiam rebelles, aut eorū-

trarios sibi expertus fuerat, illos acerbis suppliciis  
vltus est. Sed tamen hac de re pluribus infra cap.  
20. vers. 26. ad illa verba, *Dissipat impios Rex sa-  
piens, & incuruat super eos fornicem.*

XIII. *Voluntas Regum labia iusta, qui recta lo-  
quitur, diligitur.*

54

**V**oluntas Regum labia iusta. Hebraicè, *Bene-  
uolentia Regum labia iustitia, & loquens recta  
diligitur.* Chaldaeus, *Et verbum rectorum diligitur.*  
Septuaginta, *Accepta Regi labia iusta, & sermones  
rectos diligit.* Aquila & Theodotion, *Beneplacitum  
Regis.* Symmachus, *voluntas sicut nostra.* Ex vul-  
gatis codicibus aliqui habent, *Qui recta loquitur,  
dirigitur.* Sed manifestissimum mendum est.

Hic etiam Salomon non quid Reges facere so-  
lent, sed quod sit optimi Regis officium, exponit.  
Non enim probo interpretationem Rodolphi, qui  
sentit hic sermonem non in Reges, sed in subditos  
intendi, vt Regum gratiam inire studeat, quasi vera  
sit illa Horatii sententia.

Horat.

55

*Principibus placuisse viris non infima laus est.* Puto  
igitur Regibus consilium dari, quo in diligendis  
amicis vti debeant, *Voluntas Regum labia iusta,* id  
est, illum studiosius adamare, & in vsum, familia-  
ritatem, & gratiam excipere debet Rex, qui iusta  
audacter, & confidenter eloquitur, non eum qui  
adulatur, & simulat. Quemadmodum nihil ma-  
gnis Principibus solemnius est, quam adulatorem,  
& Palpones in gratiam, & amicitiam suam ascisce-  
re, ita nihil eisdem ad publicam administrationem  
perniciosius efficit hoc Principum molle ingenium,  
quod facile suis laudibus capitur, tum etiam, quia  
vix vnus reperitur audax, & confidens homo, qui  
Regibus quidquam triste obicere, & malefacta  
carpere, & inculcare audeat. Vnde Seneca in Epist.  
21. *Monstrabo (inquit) tibi cuius rei inopia laborant  
magna fastigia, & quid omnia possidentibus desit,  
vnum scilicet qui verum dicat, dum nemo ex animi  
sui sententia dicit, aut suadet, sed adulandi certamen  
est vnum amicorum omnium officium.* Quantam  
verò perniciem assentatio, & adulatio Regibus,  
Principibus, atque omnibus in vniuersum magi-  
stratibus afferant, alibi multis prosequuti sumus.  
Ob eam igitur causam Salomon suadet Regibus,  
vt non alios in suam familiaritatem, & vsum insi-  
nuari patiantur, nisi eos, qui iusta cum veritate, &  
æquitate coniuncta audacter dicant, *Voluntas Re-  
gum labia iusta.* Subdit.

Seneca.

56

*Et qui recta loquitur, diligitur.* Iteratio est eius-  
dem sententiæ, quo magis, ac magis animo sedeat,  
& documenti grauitas notetur. Vel certe prior  
pars cum regibus agit, posterior cum his, qui Re-  
gum gratiam ambiunt. Itaque Salomon sic ad Re-  
ges, non alios, nisi qui iusta loquuntur, suæ gratiæ  
compotes optimi Reges faciunt. Deinde sic ad eo-  
rum familiares. Quicumque optimis Principibus  
placere, & eorum gratiam inire impensius cupit,  
quæ recta, & vera sunt, illis audacter obiciat, *Nam  
qui recta loquitur, diligitur.* Adulatores quidem, &  
impostores diligit quidem princeps impræsentiarum,  
quamdiu palpant, & deliniunt, sed impostertum de-  
recta eorum fraude, non diligit, sed odio prosequer-  
tur immani. At qui recta, & vera confidenter lo-  
quitur, fortasse quidem impræsentiarum, & dum  
aspera, & acerba obicit, odio habetur, at postea  
cum tandem aliquando veritas innotescit, eo maio-  
ri amore complectitur eum Rex, quo animum eius  
erga se magis beneuolum fuisse experitur. Supra  
quidem ex August. & aliis vetus illud effatum, *Ve-*

**A**ritus odium parit expendi, vbi docui hunc odij ex  
veritate non tam partem, quam abortum esse, idque  
testimonio Augustini comprobauit. Ergo ex illa  
sententia sic elicio. Omnis quidem abortiuus par-  
tus, etsi viuus nascatur, & tantisper viuus perdurer,  
tamen paulo post interit, & emoritur, sic etiam  
odium, quod veritas per abortum enixa est, non est  
diuurnum, sed breuissimo interuallo natiuitati im-  
moritur suæ, & ex amore, & gratia commutatur.

August.

XIV. *Indignatio Regis nuncij mortis, & vir sapiens  
placabit eam.*

**I**ndignatio Regis, &c. Hebraicè, *Ira Regis lega-  
ti mortis, & vir sapiens expiabit illam.* Chaldaeus,  
*Indignatio Regis Angeli mortis sunt, & vir sapiens  
extinguet eam.* Septuaginta, *Furor Regis nuncius  
mortis, & vir sapiens placabit eum.*

57

Communis expositio ita fert Salomonem, qui  
superiori loco ad ineundam Regis gratiam excita-  
uit, iam nunc ad vitandam eiusdem iram, & indi-  
gnationem cohortari, hoc sensu, *Indignatio Regis  
nuncij mortis.* Ira Regis in aliquem concepta mor-  
tem statim inferendam nunciat, & prælagit, nam  
Regis ira mirum in modum sæuit, & exigua in ma-  
gnam paulo post euadit, quia quo sublimiores se  
esse agnoscunt Reges, eo grauius suam ipsorum  
maiestatem leuioribus criminibus lædi, ac violari  
existimant, atque ob id eorum indignatio imma-  
nius æstuat. Tum etiam, quia potestas ipsa, & fa-  
cultas vlciscendi indignationem acuit ad vindi-  
ctam. Huc spectat illa sententia Euripidis in Me-  
dæa, quam Clem. Alexandr. lib. 2. Stromat. trans-  
cripsit.

Cl. Alex.

*Graues tyrannorum superbia, & quodammodo  
A minimo incipientes, & multa possidentes,  
Agré iras mutant.*

Et Seneca Tragedia 7. sic addit,  
*Grauis ira Regum semper.*

Seneca.

Accedit etiam quod quidam Principes maiesta-  
tem imperij seueritate, atque indignatione metiun-  
tur, Iamblicus in Epist. ad Agrippam sic ait, *Multi  
Regum, ac Principum sine mentis imperitos statua-  
rios imitantur, qui colossos putant ita demum magnos  
videri, si multum diuaticatos, distortos, & hiantes  
effinxerint. Nam & illi (Principes inquam) gra-  
uitate vocis, aspectus asperitate, difficultate morum,  
indignatione, & conuersandi asseruatione magnitu-  
dinem & seueritatem imperij exprimere se putant.*

58

Iamblic.

Cum ergo ex his capitibus Regum indignatio mi-  
rum in modum sæuire, & æstuar soleat, hinc est, vt  
cum primò in aliquem concepta est præsentissimæ  
necis denunciatio quædã, & prælagium sit, *Indigna-  
tio Regis nuncij mortis,* vel *legati mortis.* Emphasim  
habet hic modus loquendi, significat enim mortem,  
quasi recitata, & demandata per nuncium sententia  
irreuocabilem. Subdit autem, *Vir autem sapiens pla-  
cabit eam,* id est, tametsi Regis ira immanis sit, ceter-  
um ea est viri sapientis præstantia, vt illam vel in se,  
vel in alios conceptam facile lenire, atque sedare  
possit. Huc spectat id, quod D. Thomas docuit in  
libello de Regimine Principis, qui magni inter esse  
affirmat, vt Regum præceptores diu superflites  
sint. Rationem autem affert his verbis, *Quemad-  
modum elephas iracundia multa sæuens viso magi-  
stro mitescit, sic etiam Principis animus iratus, aut  
quolibet alio modo vehementius affectus præceptoris sui  
præsentia sedatur, & documentis conquiescit.* Memi-  
nit autem elephantis, & non leonis, aut alterius cui-  
usquam animantis, quia leones, & alia animantia  
magistros suos nonnunquã furore concepto inue-  
dunt,

D. Thom.

dunt, at elephantus quantumvis ira percitus, duci, ac magistro suo semper parcat, atque illo inspecto lenitur, vt tradit Chrystophorus de Acosta, in historia Indica. Qua in re regium hoc animal generosum, ac nobile Principum ingenium adumbrat, quorum est sapientes, & consiliarios & Doctores suos obseruare, & eorum consiliis, atque rationibus leniri. Lectio originalis habet, *Vir autem sapiens expiabit eam, vel purgabit*, quod Caietanus, & Rodolphus perinde esse dicunt, atque purgato crimine fedabit.

59 Sed licet hæc expositio mihi accõmodata videatur, tamen sicut in superiori versu decreuimus, sic etiam hic (vt credo) hoc documento Salomon, nõ tam subditis Regum iram vitare, quam ipsismet Regibus suam ipsorum iram compellere suadet. Aliter enim sententiæ nequaquam inter se cohærebunt, hoc modo, *Indignatio Regis nuncij mortis*. Duplici sensu donari potest hæc pars. Prior est, vbi ministris innotescit Regis iram in aliquem concepta, citius ad ipsum Regem illius nex defertur, nam Regi suo obsequi volentes ministri illi sapius mortem afferunt, in quem Principis indignationem furere cognouerunt, illa namque mortem statim illi denunciant. Hunc sensum tradit Hugo Cardin. & manifestis exemplis comprobatur. Primò quidem illius, qui Dauid Saulis Regis mortem denuntiavit, & alterius, qui necem Isboseth eidem detulit, neuter quidem impune. Eorũ tamen animus erat Regis indignationi obsequi, neque enim mitissimos illius mores nouerant. Accedit etiam facinus illud à ministris Henrici Anglorum Regis in D. Thom. Cantuariensem admissum, qui vt Regis sui furori obsecundaret, sanctissimum Pontificem crudeliter peremerunt. Mitto alia multa id genus exempla valde obuia. Itaque mens Hugonis est Salomonem quidem Principem hortari, ne vel minimam indignationis suæ erga aliquem significationem prodat, nam vbi eius in aliquem ira innotuit, in discrimen necis præsentissimæ à suis ministris inferendæ illum adducit. Ego verò cum Hugone quidem sentio documento isto Regibus suaderi, vt iram, in quam ipsi maximè procliuus sunt, coërceant, sensum verò aliter conformo, *Indignatio Regis nuncij mortis*, id est, Rex ille, qui ob leues causas indignari, & in suos sæuire solet, manifestissimam suæ mortis præensionem habet, nam subditi sæuitiam, & difficiles Principis mores ægre ferentes illum sæpius, aut veneno, aut prodicione, aut seditione oborta de medio tollunt. Itaque illud, *Nuncij mortis*, de propria Regis morte capiendum est, quam illi sua ipsius immanitas, & crudelitas denunciat. Contende oculos per omnia sæcula elapsa, & nullus plane iracundus nimis, sæuus, & immitis Princeps memoriæ occurrer, cui subditi indignati manus tandem non attulerint. Plenæ sunt historiæ, plena veterum monumenta. Audi præterea Senecam in lib. de Clementia, *Errat, si quis existimat ibi tutum esse Regem, vbi nihil à Rege tutum est, securitas securitate mutua pascenda est. Non est opus latera montium abscondere multiplicibus muris, & turribus sepire. Saluum Regem clementia in aperto præstabit, crudelitas hostes multiplicat*. Et rursus ait, *Oportet voluntas ante sciendi deficiat, quam causa, alioquin quemadmodum præcisæ arbores pluribus ramis repullulant, & multa satorum genera, vt densiora surgant, rescinduntur. Ita Regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo*. Item modus ille dicendi *nuncij mortis*, pro mortis præensione, aut prælagio non est omnino insolens. Nam graues in febris singultus mortis nuncios appellat Hypocra-

Seneca.

61

Hypocrat

60  
61  
62  
63

Tom. 1.

A morborum. Et Ouidius etiam sic cecinit, *Vxor Ouidij, habes animi nuncia verba mei*. Et Tullius, *Oculos Tullius, animi nuncios esse dixit*, id est, figura, & indicationes. Addit Salomon, *Et vir sapiens placabit eam*, id est, cum Regem tanto discrimini ira obiciat, utique vir, qui ad regnum sapientiam affert, iram suam temperat, atque mitem, & facilem, & clementem se subditis præbere studet, clementia enim atque facilitas morum ante alia Principes tuentur, ideo vt nullum, vel copiosius, vel fortius satellitium Principibus adesse possit, quam humanitas, & clementia, vt docet Plato in 1. dialog. de regno circa medium.

B Ad extremum aliam expositionem assuere licet. Obseruare autem oportet in originibus pro nunciis esse, מלכא, quæ vox non modo nuncios, aut legatos humanos sonat, sed Angelos passim notat in scriptura. Et quidem hic Chald. Paraphrasis Interpretis ita conuertit, *Ira Regis Angeli mortis*. Et Septuaginta omnino ita habent, *Ira Regis angelos mortis, Angelus mortis*. Angelus autem mortis in sacris literis dæmonem adsignificat, ex quo talis elicitur sententia, *Ira Regis Angelus mortis*, id est, ira in Rege dæmon quidem est voluntarius illum ad sæuitiam, & crudelitatem impellens. Et sanè non pauci locum illum 1. Reg. 19. *Et factus est spiritus Domini manus in Saul*, de iracundia interpretantur, quæ Saulem tam vehementer concitabat, vt similis arreptio cuiuspiam fureret. Item D. Basil. in hom. de ira sic habet, *Neque enim ensis acies, neque ignis, neque horrendum aliquid animum ira intumescens satis compefcere valebit, non magis quam à demonibus detenti, à quibus irati nihil nec forma, nec animi affectu differunt*. Et rursus iram, *voluntarium dæmonem* appellat. Cui concinit etiam Chrystost. hom. 25. in Ioannem, & nescio an alibi, cuius verba alibi dedimus.

XV. In hilaritate vultus Regis vita, & clementia eius, quasi imber serotinus.

I N hilaritate vultus Regis vita, &c. Hebraicè, *In luce facierum Regis vita, & benevolentia eius, vt nubes serotina pluua*. Chaldaus, *In luce vultus Regis vita, & voluntas eius, quasi nubes in serenitate*. Septuaginta longe aliter, *In lumine vita Regis filius, qui autem valde accepti sunt ei, quasi nubilum serotinum*. Schol. *In lumine filij Regis vita*. Aquila, Symmach. & Theod. à vulgata non abeunt.

Sed redeo ad priora verba, *In hilaritate Regis vita*. Sic dispungit textus correctior, sed quidam codices vetustiores colonæ anteuertunt, & ante vocem illam *Regis*, illud affigunt hoc modo, *In hilaritate Regis vita*. Et quidem varia isthæc dispunctio dissimiles sensus offert.

Iuxta priorem dispungendi modum facilis euadit sententia, *In hilaritate vultus Regis vita*, id est, iucunda, & hilaris Regis facies vitam, & incolumitatem quodammodo afflat, inspiratque subditis suis. Hebraicè, *In luce vultus Regis vita*. Hilaritas quidem, & serenitas vultus Regij, per quam benigne in subditos inspicit, lux appellatur. Metaphorica loquutio est. Metaphoram autem Rodolphus sic soluit. Sicut auroræ iam appetentis lux noctis tenebras disiecit, sic etiam iucunda Regum facies mœrorem, ac metum ex animis pellit, & simile puro, atque nitenti cœlo imperium reddit. Accipe verba Senecæ in lib. de Clementia. *Utrum (inquit) mundi status gratior oculis, pulchriorque sit sereno, & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatantur, & ignes hinc, atq; illinc micent?*

Seneca.

Atqui non alia facies est clementis, ac moderati imperij, quam sereni cœli, atque nitentis. Crudele regnum turbidum, tenebrisque obscurum est inter tremantes, & ad repentinum sonitum expauescentes, nec eo quidem, qui omnia conturbat, inconcussio. Et quidem hæc imperij serenitas ex vultus Regi serenitate, & luce candidissima dependet.

64

Sed vide an Rex conferatur cum sole, hæc enim comparatio præ cæteris idonea est ad significandam Regum in subditos beneficentiam, & merita. Itaque ait, *In luce vultus Regis vita*, id est, Regis facies serena, & benevolentia solem imitatur, cum candidissime lucet. Sicut enim sol radiis suis cuncta fouet, & rebus omnibus vitam, risum, & lætitiā inspirat, sic etiam benevolentia, & gratia Principis subditos erigit, & iucundam quandam amœnitatem, amœnamque lætitiā illis affert, quos beneuole intuetur, contra seuerus Regis vultus veluti Sol deficiens. Nam solis defectus multam in rebus omnibus perturbationem portendit, morbos, languores, mortes, &c. Luna enim interpositione sua solis radios hebetans efficit, vt cum sole pariter omnia deficient. Non aliter, vbi Princeps aliqua causa intercedente, benevolentia suæ radios intermisit, atque vultus illius ex beneuolo in seuerum, & immitem commutatus est, morbos, languores, & inexpiabiles mortes efficit. Quid certius? Succedant memoria permulta huius rei exempla, tum olim, tum nostro sæculo, corū, quos Principis supercilium neci dedit. Hanc verò Principis, atque solis similitudinem multis schematibus alij, atque alij tradiderunt. Agapet. Diacon. de Offic. Princip. sic habet, *Solis profecto partes sunt illustraverat ad urbem, Principis verò virtus est egenorum misereri. Porro sole ipso clarior est Imperator, qui pius est, ille namque cedit succedenti nocti, hic autem rapacitati prauorum non concedit indulgere quidquam, sed lumine veritatis, iniquitatis occulta coarguit: Quod perinde est, ac si dicat, El Sol da lugar a la noche, que es capa de ladrones, Pero el Principe alumbra las tenebras de la noche cogien dolos en sus latrocinios, y conuenciendoles de sus delitos.* Illud etiam non boni authoris bonum tamen testimonium, quod à Platone pretiū videtur, liceat ex spina florem carpere. Roterod. is est in lib. de institut. Princip. *Dens (inquit) vt pulcherrimum sui simulachrum in cælo constituit solem, ita etiam inter homines euidens, ad vitam sui collocavit imaginem Regem. At sole nihil cõmunis, & cæteris item corporibus cælestibus lucem sui impartitur. Ita etiam Princeps publicis vsibus maxime debet esse expositus, & natium sapientia lumen habere domi, vt etiam si qui cæcutiant cæteri, nunquam tamen ipsa hallucinetur.* Rursus quinam sint qui beneuolo principis aspectu vti soleant, paulo post scribit ad hunc modū, *Sicut solis aspectus iucundissimus est hi, qui se possunt intueri (scilicet his, quorū oculi affecti non sunt) sic etiam Principis aspectus satis iucundus est hi, qui iustitiā aditant, & æquitatem colunt.* Nam iniusti, & scelerati homines Principis radios intentis luminibus haurire nō possunt. Item Seneca in lib. de Clementia, eandem similitudinem sic vrget, *Tibi (inquit) o Princeps non magis, quam soli latere contigit, multa contra te lux est, omnium in istam conuersi oculi sunt, prodire te putes, oritur (quasi è summo cælo) loqui non putes, nisi vocem tuam, quæ ubique sunt gentes, excipiant. Irasci non putes, nisi vt omnia premantur, & urantur, nimirum quemadmodum sole æstuante omnia exæstuant.* Subdit, *Vt fulmina paucorum periculo cadunt, omnium metu, sic etiam animaduersiones magnarum potestatum terrent latius, quam nocent.* Vide

Agapet.

65  
Plato.  
Roterod.

Seneca.

Chryso.

Plutarch.

Diuum Chrysoctomum oratione 20. Plutarchum

lib. 1. Politic. & alios, qui hanc Regis, & solis similitudinem multis persecuti sunt.

Iuxta alterum dispungendi modum alia satis dissimilis euadit sententia in hunc modum, *In hilaritate vultus Regis vita*, id est vita Regis ex serenitate vultus eius pendet. Nam Regis illius, qui turbato aspectu, & irato supercilio subditos intuetur, haud tuta vita est, vt nuper superiori versu diximus, vel aliter. Rex quoad fieri possit, in toto vita sua hilaritatem, & lætitiā vultu præferre debet, non modo vt subditorum animi hac benignitate erigantur, sed etiam ne hostibus in suspicionem veniat timentis, aut despondentis animum. Ita quidem suauiter Plutarchus in Politicis, omnibus quidem mœrorem, metum, & alias animi perturbationes, & affectiones tegendas esse, sed maxime Imperatoribus, ac Regibus, quorum vbi animus concidit metu, mœrore, aut quouis alio modo, totius gentis languescunt vires, & animi ruunt, Principisque languor hostibus animos facit. Sed tamen prior expositio reliquis mihi præstare videtur, quia cum sequentibus melius cohæret. Ait enim.

67

*Et clementia illius, quasi imber serotinus*, id est, clementia Regis imitatur verni pluuiam, hæc enim serotina dicitur, nam quæ ad serendum autumnii tempore terram infundit, dicebatur quidem temporanea, quæ vero primo defluit ad alendas segetes, serotina appellabatur. Ergo sicut pluuia vere primo tellurem late irrigans, & affatim infundens, illam frigoribus deustam, mœrentem, ac tristem herbis, ac floribus ridere facit, & copiosissimis fructibus fœcundat, sic etiam Principes clementia suæ gentis lætitiā, & risum, copias, & fortunas efficit. Et quidem Salomon satis apte vtramque similitudinem complexus est, solis, ac pluuiæ, ad Regis adumbrandam benevolentiam, & clementiam erga suos. Sicut enim Sol vicinior, & pluuiæ vberior agris decoris amœnitatem, & vbertatem afferunt, sic etiam Principis benignitas rebus publicis gaudium, & fœlicitatem asportat, quæ hac benevolentia confortat pro fructibus copiosa vectigalia, & tributa libèter pendunt. Enumera si libet fructus, & vtilitates innumeras, quas vernus imber tempestiue agros impluens telluri afferre solet; & ex his alias umiles ex Principis clementia erga subditos exortas aucupari licebit. Seneca in lib. de Clementia, ex Principis persona sic ait, *Ex nostro responso lætitiæ causas populi, vrbesque concipiunt, & nulla pars vnquam, nisi volente, propitioque me florēt.* Et infra, *sub clementi Principe iustitia, pax, pudicitia, securitas, dignitas florent, opulenta ciuitas, copia bonorum omnium abundat, & agrum in morem fœlicioris vberes prouentus reddit.* Nimirum quia ciuitas clementia Principis, tanquam verno imbre compluitur, & benigno illius vultu, ceu sole quodam propitio confouetur. Ad hæc Principis benevolentiam, & clementiam pluuiæ, ac soli merito confert Salomon, quia communis esse, & ad omnes prouenire debet, vt adnotat hic Rodolphus.

Restat lectio Septuaginta, quæ ad nostra vulgata longius alia videtur, qui mea quidem sententia non בנה Phene, sed בנה Bene, legerunt in hoc loco, hæc enim maxime affinia sunt. Cumque numerum multitudinis pro singulari acceptum putarent, ita conuerterunt, *In luce filij Regis vita.* Filius vero Regis pro Rege capitur secundum solemnem scripturæ phrasim, sicut *filius unicornii* pro unicornio, & *filius hominis* pro homine, & *filij prophetarum* pro Prophetis. Et alia id genus. Iuxta quam acceptionem huius prioris partis sententia cum vulgata sensu hæret. Quod si filium regni heredem intelligamus, sententia quidem ad hunc modum

68

conformanda est, *In luce filij regis vita*, & qui accepti sunt ei, quasi imber ferotinus. Profecto imber ferotinus, qui nimirum vere iam precedente defluit, tellurem quidem humectat, sed perbreui tempore exsiccat, & tellus iterum arefcit, & nouam pluuiam expetit. Hinc fit, vt agricolæ vulgo dicant mense Aprili sine intermissione in dies singulos pluere oportere. Sic enim prouerbum circumfertur, *En Abril aguas mil*. Ergo Salomon ait. Plures quidem futurum putant, vt cum filio Regis noua lux, hoc est, felicitas, & fortuna Reipublicæ affulgeat, ac propterea impensius exoptant, vt regnum illi tandem aliquando capessere liceat. Sed quid inde? Cum desiderio suo tandem potiti noui Regis gratiam inierunt, & beneficentiam experti sunt, hanc vtrique similem imbri ferotino esse agnoscunt, id est, imbri verno, quæ perbreui temporis interuallo exsiccat. Quasi dicat, similes ipsi sunt telluri imbri ferotino madenti, quæ paulo post arefcit, & nouam pluuiam denuo expetit. Nam cum breuissimo tempore nouus Rex placeat, alium iterum desiderant, & velut pluuias vernas in singulos dies Reges veillent. Aliter etiam exponere licet, *In luce filij Regis vita*, id est, bona, felixque gentis fortuna ex bona indole, & moribus, quibus filius, & hæres Regis fulget, omnino pendet, quapropter vna omnes illius ingenium, & mores obseruant. Seneca in lib. 1. de Clementia ad Neronem sic habet, *Magnam adibat aleam populus Romanus, cum incertum esset, quo se tandem nobili Principi sui indoles daret, iam vota publica in tuto stare, &c.* Omnes illius gratiam inire student, *Et qui accepti sunt ei, quasi imber ferotinus*, id est, fortuna quidem, & felicitas eorum, qui apud ipsum gratiam hærentes sunt, similis est imbri ferotino, qui licet tardius decidat, tamen vberius terram fecundat. Nam post moras temporis, & diuturnam expectationem, cum tandem aliquando hæres regno potitur, amicos, & familiares suos ingentibus fortunis, & honoribus amplificat. Sicut enim vere primo vehementiores, & longiores imbres defluere solent, vt obseruat Philosophus Problem. sect. 2. sic etiam Regis beneficentia in primo regni aditu vberior & copiosior esse solet.

Denique alia etiam ratione interpretari licet, *In luce filij Regis vita*, sic dispungo cum quibusdam, sensum autem ad hunc modum conformo. In scriptura passim filius lux, & lucerna patris appellatur 3. Regum 15. *Sed propter David dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Hierusalem, vt suscitarat filium eius post eum, & statuerit in Hierusalem.* Et alibi etiam non semel. Mitto exempla multa prophana. Vnum aut alterum producam ex Lucretio, & ex Platone. Lucretius ergo, vt ostenderet quæ ratione parentes in filiis suis viuerent, æuamque producerent, sic ait.

*Et quasi cursores vitari lampada tradunt.*

Nota est vetus exercitatio *cur sorum*, qui lampades inuicem fessi aliis, atque aliis in manus dabant. Lege Pausaniam in Atticis, qui horum ludorum ritum copiosius describit. Plato autem in lib. 6. de legibus, eiusdem consuetudinis meminit, cuius verba statim dabo. His prædictis potest quidem sensus sic institui, *In luce filij Regis vita*, id est, Rex vitam suam, & mores in filium transferre debet, vt quemadmodum lucerna vna ex altera lucem capiens simili modo splendet, sic etiam ex parente suo filius emicet, & in filio suo viuat diutius. Plato igitur in dialogo 6. sic ait, *Ad nuptias igitur celebrandas exhortamur asserentes oportere filiorum filios relinquendo nostros in diuino ministerio successores naturæ assequi sempiternam.* Et infra, *Habitent simul*

Tom. 1.

parentis filios generando, & educando, vt vitam, moresque, quos ab aliis acceperunt, à se quasi lampadem aliis tradant, Deos semper secundum leges colentes. Non solum autem hac similitudine significatur vitæ, morumque à parentibus in liberos facta transfusio, sed etiam imperij, regni que traditio. Author Rhetoricæ ad Herennium non ineleganter sic scribit, *Non enim quemadmodum in palestra quis cædas arduas accipit, celerior est in cursu continuo, quam ille, qui tradit. Ita melior Imperator nouus, qui accipit Imperium, quam ille qui discedit. Propterea quod in gymnasio fatigatus cursu integro facem, hic verò peritius Imperator imperito imperium non tradit.* Ergo Salomon sic ait, vita, moresque Regis in filio regni herede fulgere debent, quasi lux ex luce, vel quasi lucerna ex cursu tradita. Hoc sibi vult illud, *In luce filij regis vita*. Subdit, *Et qui accepti sunt ei, quasi imber ferotinus.* Potest quidem hæc pars ad Regem, vel ad filium referri. Si ad Regem referatur, sensus erit: Qui Regis, hoc est, parentis gratia, & familiaritate gaudent, similes erunt imbri ferotino, id est, verno, qui vt supra animaduerti, citissime arefcit, ac deficit. Quasi dicat, satius est filij gratiam, & beneuolentiam inire, quam parentis, nam parentis gratia filio succedente imbris adinstar venni ocyus transit. Quod si pars ista posterior ad filium regni successorem pertinet, sensus euadet similis superiori, hoc modo. Cum vita, mores, & imperium à parente in filium heredem tandem migrare opus sit, fortuna quidem eorum, qui huic accepti, & familiares sunt, similis erit imbri ferotino, qui etsi diutius expectationem ducit, tamen copiosius decidit, & vberius agros fecundat. Quasi dicat, tandem aliquando post longas moras, hæredis beneficentiam experientur. Pergo ad alia.

XVI. Posside sapientiam, quia auro melior est, & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.

Posside, &c. Hebraicè ad verbum, *Acquirere*, vel emere sapientiam quam bonum præ auro puro, & acquire prudentiam electum præ argento. Chaldæus, *Qui possidet sapientiam, melior est ei auro conflato, & qui possidet prudentiam, melior est argento electo.* Septuaginta, *Nidi sapientia magis eligendi sunt super argentum.* D. Ambros. infra, *Nidus sapientia, &c.*

Si ad vulgatam lectionem spectemus, locus iste omnino concinit cum illo, *Melior est sapientia cunctis opibus, &c.* supra cap. 8. vers. 11. lege, quæ ibi diximus. Quomodo item sapientiam emere ac possidere liceat, docuimus etiam cap. 4. vers. 5. itaque nihil hinc præterea occurrit.

LECTIO Septuaginta noui aliquid præ se fert, *Nidi sapientia magis eligendi sunt auro, & nidi prudentia magis eligendi sunt super argentum.* D. Ambros. hæc verba vsurpauit lib. 5. Hexam. cap. 16. Nidum autem sapientia intelligit nidum à sapiente constructum, & ædificatum, qualem hirundo ad pullos procreandos conformat, *Hirundo* (inquit) *minuscule corpore, sed egregie pio sublimis affectu, quæ indigna rerum omnium pretiosiores auro nidos struit, quia sapienter nidificat. Nidus enim sapientia pretiosior est auro.* Itaque Ambrosius locum istum ad filiorum educationem referre videtur. Profecto Septuaginta pro illa voce נִידִים Kenoh, legerunt olim, vel יֵן Ken, tantum, quod est, nidus, vel נִידִים Kanah, & extremum Hebræogicis annumerarunt, atque locum

Bbb ij

Tullius.

72

72

Ambros.

69

Seneca.

Aristot.

70

3. Reg. 15. num. 4.

Lucret. Plato.

Plato.

istum cum superiori necesse est esse senserunt. Cum enim de filio regni herede dixissent, atque in illo parentem suum quodammodo viuere affirmassent, iam nunc apposite ad illam sententiam sic attexerunt, *Nisi sapientia, &c.* id est, præstat longe, filios sapientes, & prudentes, quasi pullos quosdam generosos domi, velut in nido procreare, quam auri, argenti que thesauros ingentes congerere. Diuus Ambrosius in illo lib. 5. Hexam. cap. 17. pleraque exempla ex nidificatione auium ad bonam filiorum educationem transfert. Lege integrum caput, totum enim ad hoc institutum spectat. Adde etiam Basilium homil. 8. in Hexam. & quosdam alios, qui multas à volucribus id genus perit similitudines. Vel aliter accommodatius, *Nidi sapientia magis eligendi sunt auro*, id est, præstat quidem filios domi quasi in nido sapientia, & prudentia alere, vel in ipsis filiis eum in nidis sapientiam, & disciplinam nutrire, quam ingentes auri, & argenti thesauros eisdem condere, atque asseruare. Est autem (mea quidem sententia) venusta nidificationis, & puerilis institutionis similitudo. Attingit illam Plato in Thæteteto. Vbi sic ait, *Rursus quemadmodum supra in animis nescio quod figmentum cereum machinati sumus: ita & nunc in qualibet anima auarium quoddam omnis generis auium fabricemus, quarum alia seorsum ab aliis discretis gregibus peruagentur, alia numero pauca, alia sola passim, quocumque contigerit, volitent. Hanc caueam, in pueris vacuam esse dicamus, loco vero auium scientias, & disciplinas intelligamus.* Ergo huius generis aues, scientias videlicet, ac bonas disciplinas in vacuam filiorum caueam inducere, ac ne per obliuionem auolent, quin potius in dies alia ex aliis augeantur, nidos eisdem præparare, & construere paternæ curæ est. At quid est nidos construere disciplinis? Paulo post insinuare videtur Philosophorum Princeps. Tunc enim disciplinam aliquam, vel scientiam nidum, ac prolem in animo habere dicit, ut iam inde amplius, velut studio, & amore sobolis non discedat, cum ad eam perfectionem deueniet, ut discipulus ex his, quæ à suo præceptore didicit, alia, & alia per semetipsum depromere possit. Itaque tunc parens in filio nidum sapientiæ, atque prudentiæ, optimè cōstruxisse dicendus erit, cum tantumdem illi prudentiæ, & sapientiæ insillauerit, ut iam ipse per se proprio ductus consilio, & coniectura sapienter, atque prudenter agere, ac dicere possit. Hoc vero præstabilius est parenti, quam fortunas, & copias ingentes filio suo hereditario iure linquere. Quid certius?

*XVII. Semita iustorum declinat à mala, custos anima sua seruat viam suam.*

**S**emita iustorum, &c. Hebraicè, *Strata via iustorum declinat à mala, custodiens animam suam seruans viam suam.* Chaldaus, *Et qui cauet animam suam seruans viam suam.* Septuaginta, *Semita via declinat à malo, longitudo autem via via iustitia.*

Vox originalis non simpliciter semitam, aut viam significat, sed altam, lapidibus stratam, vel æggere multo eleuatam. Itaque sensus sic instituendus est, *Semita iustorum declinat à mala, &c.* id est, tota ratio viuendi, & institutum iustorum est ab omni malo longius abscedere, qui ergo animæ prospicit, & cauet sibi ab omni malo, is quidem viam iustitiæ tenere, ac per illam pergere dicitur. Hic est sonus verborum. Sed quia secundum hanc expositionem languidior euadit sententia, origines rimari

oportet. Ergo vox primitiua, quæ semitæ responderet, viam significat lapidibus stratam, planam, & æquabilem, ut vulgo admonent Hebræi. Itaque sic interpretor, *Semita* (id est, via strata & plana) *iustorum declinat à mala.* Quasi dicat tunc cum iusti exercitatione virtutis, & consuetudine bene operandi optimam aliquam viuendi rationem extruerunt & sublatis scandalis planam, & æquabilem reddiderunt, facile est illis omnia mala declinare, scilicet omnes ruinas, & casus vitare. At quis est ille, qui talem viam tenet? *Custos anima sua seruat viam suam*, ille scilicet, qui animæ ac salutis suæ diligentius consulit, & curam illi asseruandæ, & tuendæ magnam impendit, ille inquam per viam istam inambulat, atque illam terit. Vel aliter, cum Hebræa ad verbum habeant, *Custodiens animam suam, seruans viam suam*, sic exponere licet. Quicumque viam illam stratam, æquabilem, & scandalis omnibus sublatis planam iam inde nactus est, animæ, & salutis suæ tuendæ satis curæ, atque studij adhibet. Qui sensus quadrat etiam in vulgatam, & videtur accommodatior, & planior. Quomodo autem viam virtutis iustus consuetudine terat, atque ipsis scandalorum lapidibus consternat, iam inde supra multis docui. Frustra hæc plura.

Lexio Septuaginta hæret etiam huic sententiæ; *Semita via declinat à malo*, id est, semitæ virtutis longe abeunt à malis, ac sceleribus, *Longitudo autem via via iustitia.* Custodire animam perinde esse existimarunt Septuaginta, atque vitam in eum producere, ac si dicant. Qui viam iustitiæ vsu, & consuetudine terit, longam vitam obtinet à Deo in hoc sæculo, aut immortalem in futuro, hæc enim per dierum ac vitæ longitudinem significari alias solet.

*XVIII. Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.*

**C**ontritionem præcedit superbia, &c. Hebraicè, *Ante contritionem superbia, & ante ruinam elatio spiritus.* Alij, *Ante impactionem, &c.* Chaldaus, *Ante interitum venit superbia, & ante ruinam elatur spiritus.* Septuaginta, *Ante contritionem præcedit contumelia, & ante ruinam mala cogitatio.* Regia, & Complut. *Et ante ruinam immodestia.* Aquila, *Ad faciem contritionis superbia.*

Aliqui versant hæc inutilem quæstionem, cur scilicet sapiens absolute pronunciauerit ante contritionem præire superbiam, cum constet lobum, & alios pios viros, quorum spiritus nunquam superbia intumuit, contritos omnino, atque contractos fuisse? Hac igitur prætermissa quæstione (quæ facile, & obuium responsum habet) illud quidem adstruo loqui Salomonem tum de magnis, tum etiam de paruis ruinis. Itaque per contritionem intelligit ingentem casum, & rerum omnium euersionem, per ruinam autem leuius infortunium. Vtrumque vero ex superbia, & elatione animi euenire affirmat. Itaque ait, *Contritionem præcedit superbia*, id est, cum subita aliqua, & ingens contritio, & rerum subuersio accidit, qui rem attentius explorauerit, facile comperiet, magnam aliquam superbiam tantæ calamitati causam attulisse, *Et ante ruinam elatio spiritus*, hoc est, pari ratione cum leuior aliquis casus, vel infortunium cuiuspiam contigit, qui rem penitus inspexerit, etiã inueniet saltem leuem aliquem tumorem leuiori ruinæ causam dedisse. Itaque Salomon maximas, minimasque ruinas maximæ, aut minimæ elationi tribuit.

*Isaie 30.*  
*num. 12.*  
Accipe magnam quandam contritionem vel im-  
pactionem magna ex superbia ortam. *Isaia 30.* Pro-  
pterea quod reprobasisti verbum, & sperastis in calum-  
nia, & in tumultu, & innixi estis super eo. Alij habet.  
(Et sperastis in superbia) propterea erit vobis iniqui-  
tas hec, sicut interruptio cadens, & requisita, in muro  
excelsso. Vulgo, Como ut muro desplomado que amena-  
zarutina. Quoniam subito dum non speratur, veniet cō-  
tritio, & comminetur, sicut conteritur lagena figuli  
contritione pravalida, & nō inuenietur de frangmen-  
tis eius testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut  
hauriatur parum aqua de fouea. Certe huic tantē &  
tam vastæ ruine, & contritioni ingens superbia cau-  
sam obtulit, scilicet, *Quia sperastis in superbia.* Idem  
vero iudicium est de leuiori elatione, quæ leues  
etiam ruinas, & minores contritiones affert.

77  
At iniquies, vnde tanta ad ruendum, & cadendum  
procliuitas superbiæ? iam dico D. Chrysof. hom. 5.  
de incomprehensibili Dei natura, id grauitati eius-  
dem tribuit, quæ suo pondere etiam ea, quæ leuis-  
sima sunt, deorsum præmit. Sic enim scribit, *Finge*  
(inquit) *animo tuo bigam duplicem, quarum sub*  
*altera virtus iuncta sit cum superbia, sub altera*  
*peccatum cum humilitate. Quid virtute leuius?*  
*Quid peccato grauius?* Videbis tamen bigam il-  
lam peccati virtuti facile anteuere, palmamque decur-  
sionis celeriori obtinere non peccati celeritate, sed con-  
tingata humilitatis lenitate. Contra bigam alterã vir-  
tutis retardari cadere, & vinci non imbecillitate vir-  
tutis, sed superbia mole, ac pondere. *Vt enim humilitas*  
*præ summa sua excellentia peccati superat pondus, sic*  
*superbia præ suo nimio pondere, at intolerabili onere*  
*sua molis præualet adeo ut lenissimam illã, & super-*  
*nã virtutem vincat, & deorsum trahat.* Concinit cū  
*Chrysof.* Chrysof. Augustinus de Ciuitate Dei lib. 14.  
*August.* cap. 13. expendens illa verba, *Deiecisti eos, dum aliena-*  
*rentur. Est igitur (inquit) humilitatis miro modo, quod*  
*sursum faciat, & elationis quod deorsum faciat, hoc*  
*quidem quasi contrariū videtur, quod superbia sit de-*  
*orsum.* Offerat autem huius rei satis acutã rationem.  
*August.* Lege ibi. Ambros. vero in Psal. 118. serm. 3. inde tot,  
tamque immanes superbiorum ruinas euenire affir-  
mat, quia studio præcurrendi alijs offendunt, atque  
illiduntur. Augustinus in sermone de superbia, &  
humilitate to. 8. conditioni humanæ id tribuit, quæ  
suopte nutu grauis est, ac deorsum pender. Quapro-  
pter si quando illã superbia extulit impetu suo, cum  
non possit diutius in sublimi eam per vim cōtinere,  
statim deiicitur, & pondere suo ad terram casu mi-  
serabili defertur. Sed præcipua ratio est Dei impel-  
*August.* lentis vis, vt docet idem Augustinus in Psalm. 72. ad  
illa verba, *Deiecisti eos.* Et rursus ad illa, *Impulsi sunt,*  
*nec potuerunt stare.* Hæc sunt, quæ superbos, & tu-  
midos deorsum detrahunt, & illis ruinarum causas  
offerunt.

Hæ autem ruina, vt nuper dixi, mensuram super-  
biæ, & elationis sequuntur, magni casus ex magna  
superbia eueniunt, leues item ex leui. Ratio est, quia  
*Ambros.* ex editiori loco periculosior accidit ruina, quàm ex  
alio minus edito. Ambros. vbi supra (loquitur au-  
tem de Pharisæi illius tumore, qui Publicanum des-  
pexit) *superiorem (inquit) fecit, vt de loco altiori*  
*Anton. in* *graniore ruina deiiceret, mala ruina est arrogantia,*  
*Melissa.* *quæ superiorem subruit.* Accedit etiam Anton. sen-  
tentia in Melissa lib. 2. serm. 73. *si videris superbam*  
*in altum euectam, magnisque opibus, & fortuna exul-*  
*tantem, superciliaque supra fortunam extollentem,*  
*eius celerissimam expecta mutationem, tollitur enim al-*  
*tissime, vt maiori casu ruat.* Eius generis testimo-  
nia passim occurrunt apud August. Chrysof. &  
alios Patres.

XIX. *Melius est humiliari cum mitibus, quàm di-*  
*uidere spolia cum superbis.*

79  
*M*elius est humiliari, &c. Hebræa non disso-  
nant. Chaldaeus, *Melior est humilis spiritus, &*  
*mansuetus, quàm ille, qui diuidit spolia cum superbis.*  
Septuaginta, *Melior est mansuetus cum humilitate,*  
*quàm qui diuidit spolia cum contumeliosis.* Scholast.  
cum superbis, vt vulgata.

B  
Communis interpretum sententia fert ista verba  
cum superioribus esse necitenda, quasi Salomon ex  
illis sic conficiat, *Melius est humiliari cum mitibus,*  
*quàm diuidere spolia cum superbis,* id est, cum tot,  
tamque ingentes ruina ex superbia accidere soleat,  
longe satius est humiliari ac deiici ex animo, quem-  
admodum mitissimi homines faciunt, (nam humi-  
litas semper mansuetudini cohæret) quàm super-  
bia tumidum in partem vocari eius felicitatis, qua  
superbi gaudent, qui propterea in sublimi euehi  
solent, vt periculosius, & grauius inde ruant.

80  
Sed tamen licet hæc expositio cum superioribus  
congruat, tamen nescio quid in ipsa mihi desidera-  
re videor. Nimirum scire vellem, cur mites spolia  
diuidentibus ex aduerso opponantur? Ergo notan-  
dum est superbos inter se super honoribus, fortunis,  
atque alijs huius sæculi bonis assiduo disceptare, &  
discordias agere. Odit enim superbus consortem  
sua felicitatis, hinc bella, hinc dissidia. Vnde Aug.  
de Ciuit. lib. 13. superbia detumescere omnes bel-  
lorum, ac discordiarum fluctus continuo intermit-  
tendos esse affirmat. Rursus humiles inter se mu-  
tua beneuolentia cohærent, & nulla eos distrahit  
*August.* indignatio, aut discordia. D. Chrysof. hom. 8. in

*Chrysof.* Matthæum vtrumque cōplexus sic ait, *Nutrix di-*  
*lectionis humilitas est, mater autem omnis mali odij*  
*superbia.* Et pauld post illum humilitatis parum na-  
turalem, & spontaneū, hunc autem superbiæ nixum  
viperinum esse dicit, quia odium suæ parentis, sci-  
licet superbiæ, viscera pertundit, & sapius dum pa-  
ritur, matrem enecat. Nam ex odio spoliationes  
fortunarum, & bonorum euenire solent, quibus su-  
blatis intermoritur superbia. Ergo iuxta dicta Sa-  
lomonis sententia sic habet, *Melius est humiliari*  
*cum mitibus.* Hoc est, præstat quidem ex animo  
deiici, & humilem esse, sic enim inter humiles lice-  
bit agere, qui mitissimi plerumque sunt, & nulla  
eos distrahit indignatio, aut dissidium, sed mutua  
potius beneuolentia cohærentes tranquillam valde  
vitam degunt. Præstat inquam, cum his agere  
quã superbia intumescens cum superbis versari,  
qui assiduo inter se confligentes spolia partiuntur,  
id est, qui in semetipsos iniicem incurrunt, ac sese  
mutuo honoribus, atque fortunis spoliunt, qui vi-  
tam denique innumeris fluctibus, & tumultibus  
plenam transigunt. Itaque sapiens humilitatem su-  
perbiæ ideo præfert in hoc loco, quia humiles cum  
humilibus valde tranquille, & beneuolè conuer-  
santur, superbi autem inter se confligunt, ac se inui-  
cem direptis fortunis spoliunt. Hanc esse reor Sa-  
lomonis mentem in hoc loco. Subdit:

XX. *Eruditus in verbo reperiet bona, & qui sperat*  
*in Domino beatus est.*

81  
*E*ruditus in verbo, &c. Hebraicè, *Intelligens su-*  
*per verbū reperiet bonum, & confidens in Domi-*  
*beatitudines eius.* Alii legunt, *Intelligēs super negoti-*  
*aut super rem.* Nam 727 Dabar, pro verbo, ac pro re  
Bbb iij

accipi consuevit. Chaldaeus, *Qui contemplatur in verbo, inuenit bona, &c.* Septuaginta, *Intelligens in negotiis inuenit bonorum, & qui fidit in Deo, beatissimus.*

Possumus quidem primò verba ista, vt sonant, de illo, qui eloquentia plurimum valet, interpretari hoc modo. Qui eloquentia, & dicendi facultate vsque ad eò præditus est, vt oratione partas res tueri, ac necdum partas in iudicio petere, & flagitare possit, bona quidem nanciscetur, est enim magna oratoris vis ad ea consequenda. Sed tamen qui taceret, nihil dicit, atque res suas sibi eripi mauult, quam sermone defendere, vniuersam spem suam in Deum coniiciens felicitate priorem superat. Itaque Salomon his verbis lites non quidem damnat omnino, tamen satius, & felicius esse dicit tacentem bonorum suorum spoliationem perpeti spe in Deum collocata, quam litigantem, & orationem habentem apud magistratus res suas tueri, aut petitas consequi. Et quidem locus iste sic interpretatus congruit cum superiori. Sed tamen instat interpretatio Iansenij, & Rodolphi, Caietani, & aliorum, quæ sic habet, *Eruditus in verbo reperiet bona.* Verbum autem pro re, aut negotio accipiunt, id est, qui rem aut negotium, quod tractare instituit, penitus callet, & prudenter sese in illo gerit, vtique illi res ex animi sententia succedet, nam quæ prudenter administrantur negotia, felices exitus sortiri solent, *Et qui sperat in Deo, beatus est.* Quasi dicat, etsi prudentiæ tanta sit vis ad res feliciter gerendas, tamen haud satis est negotia cum prudentia administrare, sed vterius tota spes in Deo reponenda est, & ab ipso felicitas exoranda. Qui enim vltra industriam, atque prudentiam suam lumen quandam spem in Deo collocat, hic beatissimus, ac fortunatissimus est, & omnia illi fauste, atque feliciter contingunt. Ergo sententia ista eò spectat, vt suadeat quidem res industriè, accurate, & prudenter agere, non tamen propriæ industriæ, curæ, & prudentiæ prorsus fidere, sed vterius Deum obsecrare, atque eius auxilium votis omnibus expetere. Luculentius dicam. Ita quidem serio caute, & solcite res nostras agere docet Salomon, quasi hæc à Deo minime penderent, ac rursus spem omnem sic in Deum coniicere, quasi tota industria, cura, & sollicitudo nostra cassâ pennus, & vana sit.

XXI. *Qui sapiens est corde, appellabitur prudens, & qui dulcis est, eloquia maiora percipiet.*

83

**Q**UI sapiens est corde, &c. Hebraicè, *Sapiens corde vocabitur intelligens, & dulcedo labiorum addet doctrinam.* Chaldaeus, *Et qui dulcis est labiis suis, addit disciplinam.* Septuaginta, *Sapientes, & intelligentes vocant malos, dulces autem in sermone plura audient.* Sic conuertit correctior textus. Græcè autem pro malis, est *ἀνόητος* stolidus, etiam sonat, aut *ἄχρηστος*.

Prima interpretatio communis sequitur sonum verborum ad hunc modum, *Qui sapiens est corde, appellabitur prudens*, id est, qui sibi ipsi sapit, & multarum rerum cognitione instructus est, nomen prudentis, intelligentis, ac docti fortasse apud homines obtinebit, non autem doctoris, *Et qui dulcis est eloquio*, id est, qui non modo sibi ipsi sapit, sed per dulcedinem eloquij sui ea, quæ didicit, aliis tradit, *maiora percipiet.* Beda & Hugo, de præmiis accipiunt. Quasi dicat, ampliora præmia in beatitudine nanciscetur. Rursus idem Hugo de digniori nomine intelligit, quia nimirum is, qui alios

docet, apud homines dignius nomen assequetur, scilicet doctoris, & magistri, quod nobilius est, quam docti, & sapientis. Apud Deum autem, & beatos omnes magni cognomine celebrabitur iuxta illud, *Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.* Et quidem eo sensu accipi potest lectio originalis, *addet doctrinam*, id est, addet etiam doctoris nomen, gloriam. Sic fere interpretes.

Illud tamen difficile est, quomodo is, qui in corde suo, id est, intra semetipsum sapit, nec sapientiæ suæ extremum aliquod documentum præbet alios docendo, possit vulgo sapientis nomine celebrari. Ergo secunda expositio, quam innuere videtur Rodolphus, sic habet. *Qui sapiens est corde, appellabitur prudens: appellabitur* (inquam) id est, erit. Ita enim passim in scriptura *vocari, dici, appellari*: & alia eiusmodi sumuntur pro *esse*. Infrâ cap. 20. *Superbus, & arrogans vocatur indoctus*: nimirum *indoctus est*. Isaiâ 47. *Quia vltra non vocaberis mollis, & tenera*: id est, *non eris*, infrâ. *Non vocaberis vltra domina regnorum*: id est, nequaquam eris domina: & eius generis sunt alia sexcenta. Ergo ait Salomon. *Qui sapiens est corde, &c.* id est, qui sibi ipsi sapit, & quæ didicit, aliis non tradit, erit quidem sapiens, & prudens, & doctus. Non inferior. Sed tamen is, qui ea, quæ nouit, aliis liberaliter tradit, *maiora percipiet*: id est, maiora, & digniora cognitione in dies assequetur, quam ille. Id sibi vult illud: *addet doctrinam*, scilicet sibi ipsi, id est, suam ipsius scientiam augebit, cumulabitque docendo. Primo quidem, quia nescio qua ratione doctor eadem res, quas discipulis tradit, tradendo melius callet. Augustin. in libro de Catechizandis rudibus sic habet. *Tantum enim valet animus erga auaritorem beneuolus, vt nobis loquentibus, & illis discipulis habitemus inuicem, atque ita illi, & quod audiunt, quasi loquantur in nobis, & nos in illis discamus quodammodo, quæ docemus.* Nonne accidere hoc solet, cum loca quadam ampla, & pulchra, vel urbium, vel agrorum, quæ iam nos sæpe videndo sine aliqua voluptate præteribamus, ostendimus eis, qui antea nunquam viderant, vt nostra delectatio in eorum nouitatis delectatione renouetur, & cognitio perficiatur. Quanto magis nos, &c. Turb etiam quia huius liberalitatis merito, Dei beneficio doctrina, & facultas doctoris nouarum rerum cognitione mirum in modum crescit, & in magnitudinem ingentem euadit. Hac de re alibi non paucis me dixisse memini.

Non abit ab hac nostra interpretatione lectio Septuaginta, quæ sic habet. *Sapientes, & intelligentes vocant malos: dulces autem in sermone plura audient.* Pro malis autem est *ἀνόητος*, vt nuper dixi: quæ vox *inutiles*, & nullius vsus homines sonat: vt iam inde supra admonui. Rursus illud verbum *vocant* absolutum sine personâ agentis postulat, vt oratio per passiuum efferatur hoc modo. *Sapientes, & intelligentes vocantur ἀνόητοι* hoc est, eos, qui sibi ipsis sapiunt, & intelligunt, inutiles prorsus, & nullius vsus homines appellare licet. Qui vero alios docent, dulciloquio suo plura discunt, & plura assequuntur, quam illi. Id sibi vult illud, *Plura audient*, nimirum plura capient: *audire enim* sumitur pro *dicere* (hoc enim est auditoris munus) vel plura denuò discunt ipsi, quam doceant alios. Itaque eos qui, quæ norunt ipsi, alios non edocent, *ἀνόητοι* appellat Salomon, scilicet inutiles, & nullius vsus. Hoc ipsum docet Eccles. cap. 40. *Scientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ utilitas in vtrisque?* Id est, vtrumque æque inutile, & superuacaneum. Diuus Augustinus lib. 4. de Doctrina Christiana. *Omnis* (inquit) *res, quæ dando non deficit, dum ha-*

84

August.

85

86



betur, & non datur, non habetur quomodo habenda est. Loquitur autem de doctrina, & rerum cognitione, quæ cum ei, qui tradit, non pareat, nec deficiat: male, id est, frustra, & inutiliter habetur, cum non bene in alios collocatur: vel male habetur, id est, iniuste quodammodo obtinetur. Ipsa enim illius detrimenti, & iacturæ expers natura, & conditio testatur ad id quidem donatam fuisse homini, ut aliis liberaliter impenderet, atque adeo illam retinens, iniuste, & contra fas retinet. Vnde Salomon Sapien. 7. ita scribit: *Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico, & honestatem illius non abscondo.* Ergo sapientiam abscondere malum omnino, iniustum, & inuidiosum est. Quapropter illa verba. *Sapientes, & intelligentes vocant malos* sic accipi possunt, ut per malos eiusmodi inuidiosos, & iniustos, & avaros doctrinæ zelatores intelligamus. Secundo obseruandum est hoc loco obiter doctoribus docendi modum præscribi, dum dicitur. *Et qui dulcis est eloquio, &c.* Nam sermonem doctoris prædulcem esse oportet, ut in auditorum animos melius influat. Diu. Augustin. in eo lib. de Catechiz. rudibus cap. 10. præclara quædam remedia tradit aduersus tardium doctoris, & quibus documentis oratio temperanda sit, ut tum ipsi, tum auditori dulces sint, absolutissime tradit. Lege ibi vsque ad cap. 5.

Sap. 7.  
num. 13.

XXII. Fons vite eruditio possidentis: doctrina stultorum fatuitas.

87

**F**ons vite eruditio, &c. Hebraicè: *Vena vitarum intelligentiæ habenti illam: & eruditio stultorum stultitia.* Septuaginta: *Fons vite cogitatio possidentibus: disciplina autem imprudentium mala.* Iansenius quidem existimat interpretem nostrum olim vertisse. *Fons vite eruditio possidentibus*, quemadmodum Græca habent, sed iniuria scriptorum mendam irrepisse: sed tamen correctio Clementis nihil sic castigatione dignum reperit. Et quidem satis aperta est sententia, etiam si retineatur illa vox *possidentis*, dummodo cum Beda dicamus addendum esse pronomen hoc modo. *Fons vite eruditio possidentis eam*, quod quidem in originibus esse constat, ut nuper adscripsi.

Ut ergo omittam quasdam alias parum idoneas coniecturas, existimo locum istum cum superiori versu omnino congruere. Nam cum Salomon præmiserit eius, qui suauis labiorum suorum oratione aliis tradit ea, quæ ipse suo studio, & diligentia assequutus est, doctrinam, & sapientiam susceptis magnis incrementis in dies cumulari, & augei, aptissime subicit huius sapientiam, & eruditionem fontis, aut venæ perennis adinstar obtinere: quæ quo magis exhauritur, copiosius fluit, & vberius natiat. Hac similitudine vsus est Clemens Alexandrinus libro secundo Pæd. cap. 7. de misericordia verba faciens: atque adeo in præcipuum illius opus, quod est rudem, & imperitum docere, optime quadrat. Cui addit etiam vberum comparisonem, quæ quo magis, aut exuguntur, aut mulgentur, eo copiosius, & vberius illis lac accedit. Item Chryso-  
stom. homil. 3. in Genesim de Scriptura sacra verba ferens sic scribit. *Diuina eloquentia fonti similia sunt largis, perennibusque fluentis scaturienti, etiam qui ante nos fuere, pro viribus suis aquas inde hauserunt, & similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt, neque sic rotum euacuare poterunt, sed magis interim augetur flumina, & crescunt. Hæc enim spiritualium fluentium natura est, ut eò magis scaturiat spiritualis gratia, quò magis inde*

Cle. Alex.

D. Chryf.

Tom. 1.

**A** hauritur. Id ergo quod de sacris eloquiis pronunciat Chrysofostom. etiam illis euenire credendum est, qui sacram eruditionem perhibentes scaturiginem hanc perennem in animos suos induxerunt.

Quod si verbum illud *possidentis*, absolute capiamus, ut Lyram, aliosque accepisse constat, nullo scilicet subintellecto pronomine, non inepta euadet sententia ad hunc modum. *Fons vite eruditio possidentis.* Nimirum eruditio illa, & facultas doctrinæ, quam quis sibi comparauit studio, & diligentia sua, adinstar obtinet fontis in propria possessione, aut fundo scaturientis, cuius tanta est perennitas, & affluentia, ut postquam quis animi sui latissimam possessionem manentibus aquis infudit, in alienos etiam agros per labiorum suorum ductus deriuare, & regere possit. Clemens Alexandrinus libro primo Stromatū citat legem Platonis ad hunc modum. *Plato itaque, qui ex Hebrais Philosophus est, iubet agricolas non irrigare, neque aquam ab aliis sumere, nisi prius apud se (scilicet in proprio fundo) ad vsque terram, quæ virginalis dicitur, effoderint, & terram aridam, & aqua experientem inuenerint. Inopia enim non succurrere non est iustum: otio autem, & socordia fauere minime est honestum.* Hac lege Clemens admonet officij sui, tum doctores tum auditores. Doctores enim in sua ipsorum mente, tanquam in propria tellure tamdiu studio suo, & labore fodere vult, quoad doctrinæ venam viuam inuenerint, qua animi sui prædium affluenter irrigent, & rudibus etiam auditoribus, tanquam vicinis, quorum agri aridi, & aquarum expertes sunt, copiam faciant riuiolos inde trahendi.

88

Cle. Alex.

Demum alio etiam modo subintellecto pronomine *eam*, vis illius verbi *possidentis* expendi potest. Nam ut docet Plato in Thætetō, seu de scientia, hæc duo inter se distant, scientiam habere, & scientiam possidere. Habere enim Philosophiam eius est, qui sola speculatione tenet: possidere autem eius, qui exercitio, & vsu ipsam capit (verba alibi dedimus.) Et quidem satis apte decernit Philosophus: nam possessio supra dominium addit manipulationem, id est, manuum captionem, aut pedum positionem. Quapropter ille vere scientiam, & doctrinam virtutis, & honestatis possidere dicendus erit, qui non solum mente, & cogitatione tenet:

**E** sed etiam per obseruationem illius manus, aut pedes in illam milit. Ergo Salomon sic ait. *Fons vite eruditio possidentis eam*: id est, sapientia, & doctrina virtutis in eo, qui illam vsu, & exercitatione possidet, fons quidam affluens, atque perennis est ad alios irrigandos, & fecundandos: fons inquam viuus, qui viuas aquas effundit, nam qui tantummodo docent, qui autem faciunt, non viuas, sed demortuas aquas reddunt, quæ sterilitatem animis afferunt. Authot Imperfecti. operis homilia 20. in Matthæum. *Flumina (inquit) sunt ex parte quidam mala, quales sunt Philosophi, dogmatum diuersorum Oratores, Grammatici, ceterique non secundum Deum sapientes: de quorum ventre exeunt flumina aquæ mortuæ. Ex parte bona, quales sunt doctores populi, ceterique sapientes secundum Deum, de quorum ventre exeunt flumina viuæ.* Mortuas quidem aquas appellat eas, quæ nihil viuum in se continent, & quamcumque terram attingunt, sterilem reddunt. Vide apud Hieronymum, quæ de mari mortuo, seu Asphaltidis lacu docet.

89

Imperfecti.

Hierony.

90

Hebræa quidem ad verbum multi sic conuertit. *Vena vite intelligentiæ possidenti illum.* Licet ergo aliquid mihi de vena ludere ad præfatam sententiæ pertinens. Quemadmodum etiam quidem minime cõtemnendi authores luserunt ad illa verba cap. 10.

Bbb iij

os iusti vena vite, quorum ibi sententias dedi. Hic enim nomen hoc anceps vena non quidem pro fronte, aut scaturigine, sed pro sanguinis vena sumpserunt. Paritacione (audens dico) *Vena vite intelligentia possidentis eam*: id est, doctrina, & sapientia, quam quis mente, & animo complexus est, ad instar est venæ sanguine multo redundantis. Quid inde? Accipe verba Petri Cellensis Abbatis in Libello de conscientia, qui eleganter admodum tradens, qua ratione isthæc vena aperienda, & quantum sanguinis ex illa mittendum, sic habet. *Scalpello (inquit) instantie eorum, qui me rogant, & à me edoceri volunt, vena cordis incisa, vnde cumque vocauit viuum sanguinem venarum totius meditationis, vt de sanguine defecate eruditionis commendaret, seu emitteret cor, quod sufficeret dicenti, & sibi retineret, vnde viueret. Tunc enim vtiliter, aut dicitur, aut scribitur, cum de tractatu suo, & vita propria emendatur, & aliena conscientia nihilominus instruitur. Nec credendum, quod semper vena cordis euacuetur perniciose quoties inciditur, quin potius de effusione charitatis commodius fluit, ac liberius.* Hactenus Petrus.

Petr. Cell.

91

Redeo ad Salomonem, qui ad extremum sic addit. *Doctrina stultorum fatuitas.* Cum Salomon stulto doctrinam, seu intelligentiam tradit, satis inuit eum à se stultum appellari, qui cum doctrinæ non minimam facultatem adeptus sit, eam tamen in alios non deriuat, in quo se stultum omnino prodit, & sapientia illius ad instar est fatuitatis. Nullum enim vtiliorem vsum habet, quam mera fatuitas. Liceat ergo mihi sic dicere, doctrina eorum, qui alios informant, fons est perennis, & affluens: horum autem sapientia, quæ in alios non affluit, similis est aquæ stagnanti, & immotæ, quæ ocyus corrumpitur, & fatet.

*XXIII. Cor sapientis erudiet os eius, & labiis eius addet gratiam.*

92

**C**OR sapientis erudiet os eius, &c. Hebraicè: *Cor sapientis reddit prudens os eius, & labiis illius addet doctrinam.* Chaldaus non dissentit. Septuaginta: *Cor sapientis cogitabit, quæ ab ore proprio, & in labiis portabit doctrinam, vel prudentiam.*

Prima interpretatio est Caietani adhuc modum. *Cor sapientis erudiet os eius, &c.* Cor accipit promente, & intellectu. Addit vero verbo illi *erudiet* subiaci originalem vocem, quæ significat *legem imponere*: atque adeo sensum esse. *Cor sapientis legem imponit ori eius.* Quasi dicat, ille plane sapientis, & prudentis nomen ferre debet, qui mente, & ratione os suum regit, atque eidem leges præscribit, ne labatur, aut peccet: nam mens inquit, & ratio tanquæ legislator linguæ instare debet, & ex summo iure cum ipsa semper agere: qui autem adhuc modum linguam, & os moderatur, *labiis suis addet gratiam*, scilicet saltem, saporem, & pulchritudinem. Non displicet hæc expositio, quia vulgaræ etiam translationi accommodari potest.

Tertiam interpretationem offert translatio Septuaginta, quæ sic habet. *Cor sapientis cogitabit, quæ ab ore proprio, & in labiis suis portabit doctrinam*: id est, Sapiens non repente, & ex tempore dicit: sed post diuturnam cogitationem, & præmeditationem res pronuntiabit: nec modo in mente, & cogitatione comparatas, & meditatas, quas diciturus est, res geret: sed etiam verba ipsa expediet, & in labiis ipsis prompta feret. Hoc sibi vult illud. *Et in labiis suis portabit doctrinam.* Et quidem non ex tempore, sed præmissa meditatione re-

rum sapientem dicere oportere exploratum est. Eleganter Diuus Thom. de Principis institutione lib. 3. cap. 4. *In minori (inquit) mundo, scilicet homine, id est defectus considerationis, quod in maiori mundo est defectus illuminationis. Tria sunt in maiori mundo ab illuminatione: scilicet decor, directio, & securitas, deficiente illuminatione deficit decor, quia non videtur, & est confusio, & inordinatio, & nulla securitas. Sic in homine, si deficit consideratio, &c.*

D. Thom.

Quod quidem potissimum spectatur in oratione, & sermone: nam si præmeditatio, & consideratio præcurrat, abest quidem à sermone omnis decor, & pulchritudo: res, & sententiæ permiscetur, & confunduntur, & nulla subest securitas. Nam qui imparatus, & sine præuisione ad dicendum venit, facile, excidente verbo, labitur, & deerrat. Non solum autem res præmeditandas, sed verba etiam ipsa comparanda, & obliuanda esse ad dicendum suadet Augustinus libro tertio de Doctrina Christiana: ita enim postulat ipsa rerum diuersitas. Quædam enim (inquit Augustinus) grande quoddam dicendi genus postulant, alia demissum: ex tempore autem difficile est singula singulis adaptare. Subdo verba sanctissimi Doctoris. *Interpositis vero, quæ sunt dicenda submissius, bene rediunt ad ea, quæ opus est granditer dici, vt dictionis impetu ipsa oratio sicut maris æstus alternet: nimirum ad eum modum ascendat, & detumescat oratio, quo mare cum alternis incrementis, & decrementis fluit, ac refluit. Ergo sicut marini æstus ex communi Philosophorum placito, causa est luna è sublimi in mare despectans. Sic etiam orationis ille tumor, & depressio, sine quibus aptè dici non potest, ratione, & mente præsidente, & promouente fit. Hæc Augustin. qui hunc ad sensum allicit illa verba Pauli 2. ad Timoth. 1. *Formam habe sanorum verborum*: id est, non modo res, sed etiam verba bonam in formam confluat: vtrumque enim necessariū est oratori Christiano. Ergo qui ad hunc modum, quæ diciturus est, cogitauerit, is quidem *in labiis suis portabit doctrinam*: id est, apposite ad docendum, & persuadendum dicit: non tantum suam animo continebit sapientiam, sed etiam illam effundet.*

93

August.

Formam habe sanorum verborum: id est, non modo res, sed etiam verba bonam in formam confluat: vtrumque enim necessariū est oratori Christiano. Ergo qui ad hunc modum, quæ diciturus est, cogitauerit, is quidem *in labiis suis portabit doctrinam*: id est, apposite ad docendum, & persuadendum dicit: non tantum suam animo continebit sapientiam, sed etiam illam effundet.

Tertia expositio vulgaris apud interpretes verborum sonum exprimit hoc modo. *Cor sapientis erudiet os eius, &c.* id est, mens sapientis os moderatur, vt prudenter & sapienter dicat. *Et labiis eius addit gratiam*, siue leporem. Languescit tamen hæc interpretatio, nisi constet Salomonis scopus, & finis. Sane graue admodum est sapientibus ea, quæ norunt, verbis aperire auditoribus: non vno ex capite: Primò quia non parum difficile est illa, quæ quis mente perbibit, ea verborum forma dispendere vulgari, & prompta, qua dicentis captui accommodentur. Attingit hanc difficultatem Augustinus in libro de Catechizandis rudibus, & ratione optiam offert, qua difficultas ista peruinci possit. *Si enim (inquit) æternus parens verbum suum substantiale, & coeternum, vt captui nostro accommodaret, & visibus hominum addiceret, demisit, adeo vt carne & corpore degeneri vestiret, cur pigeat doctorem, & magistrum verba, & conceptus mentis sua deprimere, atque vulgaribus demissis, imo abiectis vocibus subiicere, vt rudium auditorum captum non exsuperent, & eorum mentibus attemperentur, Digna sane tanto doctore ratio. Secundo in eodem libro aliam difficultatem adscribit, quæ doctores sapius docendi tædium immittit, his verbis. *Totum enim quod intelligo volo, vt qui me audit, intelligat, & sentio me non ita loqui, vt hoc efficiam, quia conceptus verba non assequuntur. Maxime quia ille intellectus mentem quasi rapida conuulsione suffun-**

Formam habe sanorum verborum: id est, non modo res, sed etiam verba bonam in formam confluat: vtrumque enim necessariū est oratori Christiano. Ergo qui ad hunc modum, quæ diciturus est, cogitauerit, is quidem *in labiis suis portabit doctrinam*: id est, apposite ad docendum, & persuadendum dicit: non tantum suam animo continebit sapientiam, sed etiam illam effundet.

Tertia expositio vulgaris apud interpretes verborum sonum exprimit hoc modo. *Cor sapientis erudiet os eius, &c.* id est, mens sapientis os moderatur, vt prudenter & sapienter dicat. *Et labiis eius addit gratiam*, siue leporem. Languescit tamen hæc interpretatio, nisi constet Salomonis scopus, & finis. Sane graue admodum est sapientibus ea, quæ norunt, verbis aperire auditoribus: non vno ex capite: Primò quia non parum difficile est illa, quæ quis mente perbibit, ea verborum forma dispendere vulgari, & prompta, qua dicentis captui accommodentur. Attingit hanc difficultatem Augustinus in libro de Catechizandis rudibus, & ratione optiam offert, qua difficultas ista peruinci possit. *Si enim (inquit) æternus parens verbum suum substantiale, & coeternum, vt captui nostro accommodaret, & visibus hominum addiceret, demisit, adeo vt carne & corpore degeneri vestiret, cur pigeat doctorem, & magistrum verba, & conceptus mentis sua deprimere, atque vulgaribus demissis, imo abiectis vocibus subiicere, vt rudium auditorum captum non exsuperent, & eorum mentibus attemperentur, Digna sane tanto doctore ratio. Secundo in eodem libro aliam difficultatem adscribit, quæ doctores sapius docendi tædium immittit, his verbis. *Totum enim quod intelligo volo, vt qui me audit, intelligat, & sentio me non ita loqui, vt hoc efficiam, quia conceptus verba non assequuntur. Maxime quia ille intellectus mentem quasi rapida conuulsione suffun-**

94

August.

Formam habe sanorum verborum: id est, non modo res, sed etiam verba bonam in formam confluat: vtrumque enim necessariū est oratori Christiano. Ergo qui ad hunc modum, quæ diciturus est, cogitauerit, is quidem *in labiis suis portabit doctrinam*: id est, apposite ad docendum, & persuadendum dicit: non tantum suam animo continebit sapientiam, sed etiam illam effundet.

*dit: loquutio vero tarda: longa est, longeque distimilis.* Cape Augustinum: est enim peruenusta sententia. Similitudinem quidem docuit ex fulgure, & tonitruo. Quemadmodum (inquit) fulgur tonitruum præire solet: sic etiam cognitio rerum mentem illustrans verba præcedit. Item sicut fulgur, & coruscatio subito erumpens medium aërem luce sua ex tempore illuminat, tonitruum vero sonus tardior est, ac productior: ita etiam cognitio rei ictu quodam sine mora aliqua mentem splendore suo complet. Verba autem adinstar tonitruum tardiora sunt, ac temporis longam moram exposcunt. Hinc tædium, & fastidium doctoris. Alias præterea res excogitare licet ad elocutionem spectantes, quæ virum alioqui doctum detertere possunt ab officio doctoris: scilicet imperitia ipsa loquendi, oratio insulsa, & incondita, & eiusmodi alia per multa.

95

Ergo Salomon, ne qua ex his difficultas sapientem virum morari possit, quominus ea, quæ mente complexus est, auditoribus rudibus instillaret, addit. *Cor sapientis erudiet os eius.* Aliqui sane nomine cordis mentem ipsam intelligunt, non ineptè. Ut sit sensus, cum mens doctoris cognitione rerum instructa est, hæc quidem linguæ copiosa, apta, & captiua discipulorum accommodata verba suppeditat. Recolo Augustini similitudinem. Sicut post coruscationem, & fulgetrum, statim sponte erumpit tonitruum: sic etiam post cognitionem verba. Vnde Aristoteles Rethor. ad Theod. lib. 2. Oratorum quidem magnam rerum copiam menti completi oportere affirmat, ut eloquutio facilis, & prompta sit: nam rerum perfectam cognitionem verba ipsa sponte sequuntur.

Aristot.

96

Ego vero nomine cordis animi beneuolum affectum capiendum esse puto, ita ut sensus sit. *Car sapientis erudiet os eius.* Nimirum animus beneuole in auditorem, & discipulum affectus, is quidem verborum copiam, aptitudinem, saltem & leporem ministrabit. *Et labiis eius addet gratiam.* Quid obsecro, o sapiens, ab officio doctoris te deterret? An discipuli ruditas, ad cuius captum verba metiri piget? Adama illum ardentis & difficultatem istam peruincet. Audi Augustinum in libro illo de Catechiz. rudibus cap. 10. *Si enim causa illa contristat, quod intellectum nostrum auditor non capit, à cuius cacumine quodammodo descendentes, cogimur quidem in syllabarum longe, infra dictantium tarditate demorari, & curam gerimus quemadmodum longis, & perplexis anfractibus procedat ex ore carnis, quod celerrimo haustu mentis imbibitur. Charitas Christi, & amor proximi compellat te. Audi Christi imitatore Paulum, Charitas Christi compellit nos. Quomodo enim paratus esset impendi pro animabus eorum, si eum pigeret inclinari ad aures eorum? Hinc factus est in medio nostrum tanquam nutritrix fouens filios suos. Quæ vero potens sit beneuolus in auditorem animus doctoris, ad verborum fastum deprimendum, & orationem rudi discipulo aptandam etuditis similitudinibus subiicit Augustinus. Num (inquit) delectat, nisi amor inuictet, decurtata & mutila verba immurmurare: Et tamen optant homines habere infantes, quibus id exhibeat. Sæpe sane videas grauissimos viros ex amore infantium mammas & tatas suauissime recolentes. Subdit aliam similitudinem. *Suauius est matri minutam ansam inspuere paraulo filio, quam ipsam mandere, & deuorare grandiora.* Denique tertiam assuit ad huc modum. *Non recedat de pectore etiam cogitatio galline illius, quæ languidulis plumis teneros fetus operit, & susurrantes pullos confracta voce aduocat, cuius blandas voces refugientes superbi præda sta-**

August.

*tim aliis sunt.* Quasi dicat, quod gallina quidem, ut pipientes, & indociles pullos euocet, vocem infringat, non iam suauiter cacabans, sed inconcinno murmure clocitans, proliis amor in causa est: sic similiter doctorem adiget, ut verba pura, elegantia, & sublimia cum sordidis humilibus, & asperis commitet quando auditoris hebes ingenium ita postulet. *Nam cor sapientis erudiet os eius.*

97

Moraturne doctorem illud, quod nuper attigi, quia si illicet linguæ tarditas mentis velocem motum non affequitur? Id ipsum dico. Adama ardentius auditorem suum, & tarditatem linguæ libenter expectabit. Nam primò, qui amanter, & beneuole auditores suos docet, cum alacritate id facit, atque adeo operi suo immorari delectat, ut docet Augustin. Tum etiam, quia præfati amoris beneficio id obtinet, ut breuiori oratione id impellendum, atque edocendum discipulum opus habet. Verba enim, quæ amor expressit, efficacior vim habent ad suadendum. Nil certius. Ad hæc oratio ipsa, si absit amor, tardius quodammodo mouetur: cum vero ab amante profertur, facilius, atque velocius fluit. Attigit etiam hoc Augustin. cap. 2. *Afficitur*

August.

(inquit) *filium loquutionis nostræ, ipso nostro gaudio, & amore & exit facilius, atque acceptius.* Similitudo ducitur ab empiliis, seu coactilibus filiis redordiendis, vulgo *Madexas.* Ex his enim eum implicata, & confusa sunt, difficile filium quis trahit, & vix caput inuenire potest, vnde glomum ducit: at cum extricata sunt, nihilque in illis innodatum, nihil implicatum, filium quodammodo sponte sequetur glomerantem. Ad eundem modum, qui eum, cui forte insensus est, affari parat, velut confuso, & perturbato verborum inuolucro vix caput inuenit orationis, & verba ipsa dicentem fugiunt, & faucibus ipsis hærent: at cum ad illum sermonem habemus, quem ardentius diligimus, tanquam ab extricato, explicatoque coactili filorum globo, orationis filium sponte ducitur, atque velocius sequitur dicentem. At qui veteris imperitiam dicendi? Adama ardentius atque ipsos Tullios, & Demosthenes eloquentia sententiarum, & verborum vbertate vincet. Lege Bernardum sermone 67. in Cantica, ubi quantam amor eloquentiæ vim linguæ inspiret, longa oratione prosequitur, & huc flectit illa verba Lucæ 6. *Ex abundantia cordis os loquitur.* Quæ potissimum in amoris affectu vera esse affirmat, in quo profus dilectionis mensuram sequitur verborum vbertas, & copia. Denique si nullum leporem, & saltem orationis caufaris, amor quidem falsa, & condita verba tibi suggeret. *Ex labiis eius addet gratiam.* Amor rusticam linguam exolit. Nil certius. Pergo ad alia.

98

Bernard.

XXIV. *Fauus mellis composita verba: dulcedo anima sanitas osium.*

F

*Fauus mellis, &c.* Hebraicè: *Fauus mellis eloquia incunditatis dulcis anima, & medela osium.* Pagnin. *Et sanitas corpori.* Alij legunt. *Eloquia amoenitatis.* Chald. *Fauus mellis verbum suauis, &c.* Septuaginta: *Fauus mellis sermones boni, dulcedo autem eorum sanitas anima.* Quæ translatio factis confirmat Salomonem nomine osium significare intimos recessus hominis, scilicet animum, & præcordia, ut alibi admonui.

99

Etiam locus iste hæret superioribus. Itaque Salomon tradit vim pulchræ, & amoenæ orationis ad delectandum, & mouendum. Quapropter omnis aliis leuioris momenti interpretationibus, venio ad Rodolphum, Caietanum & Iansen. qui superficie

tenuis sic expendunt. *Fauus mellis composita verba*, id est hominis illius, quem imbuit sapientia oratio elegans, & suavis ad instar faui prædulcis est, quæ non solum animum oblectat: sed etiam corpus mire reficit. Hinc enim fit, inquit, ut quidem stantes, aut malè, molesteque sedentes longam orationem lassitudinis expertes audiant: nimirum, quia oratio facunda ipsa etiam confirmat, & totum corpus mire recreat. Hæc ille.

100

Sed vide an alia huic loco sententia subsit accommodatior? Obseruandum autem est mel, non solum homini dulce, ac delectabile: sed etiam salubre, cū temperatè sumitur. Ad medicæ artis Principes

Galen.  
Hypocr.

Galenum, Hypocratem: sed præcipuè Arabes omnes, qui mellis temperati sumptionem mire salubrè esse affirmant, & illius vim, & facultatem ad ventriculi pathemata, & ad vlcera curanda extollunt. Existimo igitur Salomonem duas fœcundæ orationis præcipuas partes hac sententia complecti, scilicet *delectare, & suadere*. Itaque sic ait. *Fauus mellis verba composita*. Nimirum oratio facunda, & erudita viri sapientis per similes est fauo melle perstillanti: quæ comparatio satis celebris est. Tullius quidè de Nestoris facundia sic ait. *Cum ab ore melle dulcior fluerebat oratio*. Et Diuus Augustinus in Psalm. 118. allegoricam, aut parabolicam orationem, quæ sub aliquis similitudinis rudiori cortice sententiam suauè celat, fauo similem esse dicit, qui sub rudi ceræ tegmine mellis suauissimi ambrosiam ob signat. Chryso-

Tullius.

August.

Chrysof.

stomus vero hom. 55. ad populum sic habet. (Loquitur autem de oratione in qua Dei eloquia à sacris doctoribus promuntur.) *Hoc* (inquit) *mel non syluestres quæpiam apes floribus insidentes colligunt, neque rorem maturantes aluearibus immittunt: sed Spiritus Sancti gratia construens pro fauo, & aluearibus, & fistulis in sanctorum oribus recondit, ut volenti liceat cum voluptate inde vesci. Has insuper apes, & ipsi sancti imitantes sacrorum voluminum floridos saltus circumuolitant, & inde quidquid suauè, ac mellitum est, decerpunt. Et si vis, experire illorum ora, videbis quidem talia eruptantes, omnia mitia, & iucunda, & spiritualis odoris suauitate plena. Nullum turpe verbum illa possunt ora emittere: nihil scurrile, nihil asperum, & amarum sed omnia ipsis calis digna. Quid plura? Leonem illum emortuum, cuius ex ore, fauibusque mel traxit Samson. Oratorem Christianum significare docet Rupert. Mitto alia. Ex his constat sapientis, & eruditi orationem fauos mel perstillantes imitari. Quid inde? Quemadmodum mel dulce simul est, ac salubre: sic etiam oratio illa mellita dulcis est, quia delectat: salubris quia mouet, & suadet.*

101

Vtrumque complexus est Salomon, cum ait. *Dulcedo animæ sanitas ossium*, quod perinde est, ac si dicat, istiusmodi verba mellea fauis similia dulcedo animæ sunt, quia delectant, & *sanitas ossium*: hoc est, præcordiorum quia illius passionibus medentur. Quod non aliter fit, quam suadendo, & mouendo. Vnde Diuus Augustinus libro 4. de doctrina Christiana Christianam facundiam describès sic ait. *Sed quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes, atque discentes propter fastidia plurimorum, etiam ipsa, sine quibus viuere non potest, alimenta erudienda sunt. Vnde dixit quidam eloquens, & verum dixit. Ita dicere debere eloquentem, ut doceat, ut delectet, ut flectat. Docere necessitatis est, delectare suauitatis, flectere victorie*. Hæc ille: & paulo post eam rationem præferendam esse dicit, quæ similis est quibusdam generosis alimentis, quæ triplicem facultatem habent, nimirum *reficiendi, delectandi, & sanandi*. Et qui-

dem ex eo genere mel est, quod quia cibis est, reficit, delectat autem quia dulce, denique medetur, quia salubre. Hæc autem tria tribus illis orationis facundæ partibus respondent, quæ ex Tullio recenset Augustinus. Nam cum refectio doctrina, cum duce quæ delectatio, & cum salubritate persuasio cohæret. Itaque illius ex ore tanquam mel orationem fluere solum dicemus, qui ita dicit, ut delectet, ut moueat.

**XXV. Est via, quæ videtur homini recta: & nouissima eorum ducunt ad mortem.**

**Est via, quæ videtur, &c.** Hebraicè: *Est via recta ad facies viri, & nouissimum eius via mortis*. Chaldæus: *Est via, quæ videtur in oculis filiorum hominum recta, & finis eius sunt via mortis*. Septuaginta: *Sunt via, quæ videntur esse recta homini: attamen nouissima eorum spectant in fundum inferni*.

102

Hæc verba ipsissima occurrunt supra capite 14. vers. 12. Addit vero Iansenius ob id à Salomone hic repetita videri, quod cum homines philautiæ vitio maxime laborent, & maxime sua cuique probentur, hanc sententiam sapius illius inculcare, & memoriæ committere oportet. Aliqui etiam addunt in superioribus Salomonem homini sapienti illud serio intimasse, ne doctrinam suam celet, quasi tutum magis sit tibi ipsi sapere, & latere quam doctoris officium suscipere: hoc enim periculis redundat. Ergo subdit Salomon. *Est via, quæ videtur hominis recta, &c.* Quasi dicat, periculosum fortasse tibi videtur docere, latere autè tutum, sed tamen huic tuæ opinioni non omnino fidere debes. Nam sæpe accidit, ut via, & viuendi ratio, quæ videtur homini rectior, ac tutior, tunc demum in præcipitia, & mortem deferat. Sed tamen hæc minora sunt. Vide plura in eo loco.

Iansenius.

**XXVI. Anima laborantis laborat sibi: quia compulsi eum os suum.**

**Anima laborantis, &c.** Hebraicè: *Anima laborans laborabit sibi, quia inflexit se super eum os suum*. Concinit Pagninus. *Quia incuruauit se ei os suum*. Caietanus: *Quia inclinauit super os suum*. Chaldæus: *Anima laborantis laborem sustinebit: quia ex ore suo veniet ei humiliatio*. Septuaginta: *Vir in laboribus laborat sibi, & vim facit in interitum, &c.* Sic Hierony. contra Iouinianum. Aquila, & Symmachus concinunt cum nostra vulgata. Theodot. *Qui in laboribus laborat immodice, attrahit mortem sibi*.

103

Caietanus.

Beda, cuius non pauci vestigia presserunt, locum istum de primo parente edisserendum putauit hoc modo. *Anima laborantis laborat sibi*. Videlicet Protoplasti vita per Dei sententiam perpetuis laboribus addicta est, ut sibi ipsi victum quæreret, ex quo audiuit illud. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Quia compulsi eum os suum*. Quando nimirum vetitum pomum decerpit, & gustauit ore suo, tunc hanc necessitatem contraxit. Et quidem licet huic expositioni parum tribuere soleant recentiores interpretes: ego tamen illam minime refellendam puto, dummodo non de Adamo solum: sed de toto hominum genere, cuius ille caput extitit, in vniuersum accipiatur ad hunc modum. *Anima laborantis laborat sibi, &c.* Suadet quidem Salomon homini labore suo victum quærerere, quasi dicat. Hominem laborare, ac desudare oportet, ut labore, ac

Beda.

sudore cibum sibi necessarium pariat, unde viuat. *Quia compulit eum os suum*, Quia nimirum hæc illum necessitas coëgit, ex quo interdictum sibi arboris fructum ore auido gustauit. Merito enim illud os, quod vetito pastum est cibo, eam pœnam tulit, vt nullam deinceps buccellam transmitteret, quæ non illi summo labore, ac sudore constaret, vt scite D. August. de Genesi ad litteram.

August.  
104  
Iansen.

Iansenius offert quidem aliam expositionem non ineptam. Docet enim verbum originale, quod subest illis. *Anima laborantis laborat*, non tantum significare laborem corporeum, qui ex opere, & exercitatione accidit: sed etiam animi molestiam & angorem. Quo posito sensum sic instituit. *Anima laborantis, &c.* id est. Qui affligitur, & angitur animo, ipse sibi sui angoris, & afflictionis causa est. *Quia compulit eum os suum*: quia scilicet oris intemperantia in eas miseras eum coniecit: nimirum abusus, & deordinatio linguæ. Hæc enim præ cæteris rebus mæiores, & afflictiones innumeratas in animum iniehere consuevit. Originalis habet. *Inflexit*, vel *incuruauit se super eum*. Linguæ intemperantis pondus, & grauitatem attingit Ecclesiast. cap. 20. *Beatus qui rectus est à lingua nequam, & qui non attraxit iugum illius. Iugum enim illius iugum ferreum est: & vinculum illius vinculum æreum est.* Nec vero loquitur de pondere, quo lingua premit alios: sed de illo, quo ipse, qui intemperanter loquitur, semetipsum onerat. Is ergo ferreum, & intolerabile iugum portat, quod ceruices illius grauissime flectit. Et quidem lingua petulis iugum homini imponere dicitur, quia eum subiicit imperio suo, adeo vt hoc iugum nulla vi excutere possit, vt videre licet in consuetudine iurandi pœierandi, mentiendi, conuitiandi & eiusmodi aliis, quæ vbi collunt alicuius, tanquam iugum presserunt, vix vnquam eas extrudere licet. Hoc sibi vult illud. *Et incuruauit se super eum os suum*: nimirum pondere imperii sui illum subiecit. Non displicet etiam hæc interpretatio: tamen non admodum placet.

Eccles. 28.

105  
Lyra.

Reliqui fere expositores Lyram sequuti laborandi verbum referunt ad sudorem, & operas, itaque adeo hunc sensum eliciunt. *Anima laborantis laborat sibi, &c.* Nimirum homo laborat, & desudat: ita enim opus habet: quia os eius cibum assiduo consumit, ad quem parandum labor assiduus necessarius est. Hoc sibi vult illud. *Quia os eius compulit eum*. Illud etiam, *Quia os eius incuruauit se super eum*, erudite exponit Rodolphus: scilicet quia os supplex sese incuruat homini postulans cibum sibi tunc cum ventriculus cibo iam excocto subsidet. Vel aliter: quia os superiorem hominis partem obtinet in capite velut in arce positum, atque inde reliqua membra cogit, sibi vt inferuiant. Cum hoc loco ad eum modum explicato concinit Ecclesiast. cap. 6. *Omnis labor hominis in ore eius*: nimirum ad id refertur omnis labor, vt necessarius victus ori suppetat. Ex hac vero sententia non pauca moralia documenta elicere integrum est. Alterum est, laborem nunquam intermittendum esse. Nam cum os nunquam cibi sumendi vices intermittat, ita etiam vicissim labor nunquam interrumpendus est. Aliud documentum est. Ne quidquam homines semetipsos superfluo labore vexare & consumere, vt facultates, & copias cumulent. Nam si sapiant, labor omnis cum oris indigentia metiendus est: ita vt tantum laboris impendere oporteat, quantum opis est, vt ciborum satis ori administretur, & non amplius. Hic enim haud magnus labor esse potest: natura enim paucis contenta est. Rursus aliud documentum ex illa sententia haurire licet: nimirum illi cibum omnino interdicens esse, qui non labo-

Rodolph.

Eccles. 6.  
num. 7.

rat iuxta Paujprofatum. *Qui non laborat, nec manducet.* Nam cum os cibos assiduo infumens suo sibi iure vendicat laborem ad illos comparandos: fane is, qui otiaitur, & feriatur, cibo ipso indignus est. Denique ex illa sententia conficitur cibum etiam labore mensurandum esse: ita vt tantum cuique cibi sumere liceat, quantum laboris impedit. Nam quemadmodum cibus labore paratur, sic etiam cibus ad laborandum tribuitur: quapropter etiam ipsa ciborum qualitas, & conditio cum laboris qualitate, & conditione comparanda est. Eos enim, qui publicas res administrant prudentia, consilio, & qui in studiis liberalioribus operas suas ponunt, delicatiores epule decet, quam alios, vt docet Plato Dialogo 5. de legibus.

Plato.

106

Quamuis præfatis interpretationibus plurimum tribuendum esse existimem: tamen duas alias subiiciam, & reliquis inferam. Prior est petita ab ipsa contextus serie ad hunc modum. Cum Salomon hæctenus quibusdam sententiis viros sapientes ad alios docendos cohortatus fuerit: iam nunc quantum discriminis intercedat eos inter, qui docendo aliorum salutem quærunt, & illos qui pie quidem viuunt, sed alios nunquam edocent. tradit his verbis. *Anima laborantis laborat sibi*, id est, qui bene, sancteque operando laborat, & alios non docet, is quidem sibi ipsi laborat: nam ex illius labore nullus vsus, vel utilitas in alios redundat. *Quia compulit eum os suum.* Hebraicè: *Quia flexit se super eum os suum.* Nimirum quia compressit se in illo, id est clausit se os eius: quia scilicet non alloquitur, nec instruit alios, ideo sibi soli utilis est. Vox originalis est: *פסח אשבאפ*, quæ significat, flexit, compressit, inclinavit, & similia. Licet etiam vulgata verba ad hunc sensum vocare. *Quia compulit eum os suum.* Nimirum quia oris imperitia ad docendum coëgit, vt sibi tantummodo laboraret.

Posteriorem interpretationem nobis offert lectio Septuaginta, quæ sic habet. *Vir in laboribus laborat sibi, & vim facit in interitum suum.* Eiusdem verbi iteratio in scriptura fere ad augendam significationem adhibetur. *Lacrymans lacrymans est.* Perinde est, ac si dicat, vim maximam lacrymarum profudit, &c. Ita etiam hic cum dicitur. *Anima laborantis laborat sibi*, immodicus labor significatur: quod Theodotion sua translatione expressit hoc modo. *Qui in laboribus laborat immodice.* Itaque sensus erit. Aliquis inuenitur, qui laborans plurimum laboribus se conficit. *Et vim facit ad interitum suum.* id est, ipse sibi vim affert, & interitum sibi accersit: sic Theodotion. *Attrahit mortem sibi.* At inquires quomodo isthæc lectiones cum originali coherent? Subiicio. Primitiua quidem habent, vt sæpe admonui. *Quia flexit se super eum os suum.* Os quidem in scriptura sæpius vsurpatur pro mandato, aut sententia superioris, 2. Reg. 13. *Inobediens fuit ori Domini*, id est, præcepto illius, vt sæpe alias. Ergo ait: *Quia flexit se super eum os suum*, id est, quia præcepto, & decreto suo ipse sibi hanc necessitatem imposuit. Vel quia sua ipsius sententia quodammodo damnauit se, ac morti addidit: hoc enim est flectere se super aliquem os aut sententiam illius. Atque eundem sententiam reddere videtur lectio vulgata: *Quia compulit eum os suum*, id est, quia nullo alio cogente suo ipsius decreto, & sententia sibi intulit vim, & manus. Itaque mens Salomonis est, nihil omnino esse, quod hominem adigat, vt semetipsum superuacaneis laboribus conficiat in facultatibus parandis, & re augenda: sed ipsum sibi, quasi lege indicta eam necessitatem imponere, atque suum ipsius interitum virgere, quod miserimum valde est. Optima sententia est aduet-

107

Theodot.

2. Reg. 13.

sus illos, qui labores multos, & longas operas causantur, & nisi sibi temporis reliqui esse affirmant ad opera honestatis, quia necessaria præferenda sunt voluntariis. Quos latis reuincit Salomon, dum ait ipsos sibi hanc necessitatem imponere, & ipsos tyrannicis crudeliores esse: utpotè qui nulla de causa in semetipsos mortis sententiam ferunt, atque eas excogitant pœnas, & cruciatus, quos tyrannorum nullus decerneret.

*XXVII. Vir impius fodit malum: & in labiis illius ignis ardescit.*

109

**V**ir impius fodit malum. Hebraicè: *Vir Belial fodit malum, & super labiis suis ut ignis ardens.* Chaldæus: *Vir calumniator fodit malum, & in labiis eius ignis dat scintillas.* Septuaginta: *Vir imprudens fodit sibi mala, & in labiis suis ignem condit.* Diu. Cyprian. *ignem thesaurizat.* Theodotion. *Tanquam ignis ardescens.* Præmittunt autem Septuaginta quædam verba, quæ non respondent originibus ad hunc modum. *Peruersus in ore suo portat perditionem:* quæ ad id solum addita videntur, ut lucem sequentibus afferrent. De voce illa *Belial*, atque de illius vi, iâ inde supra multis egimus, c. 6. vers. 12. vide ibi. Deniq; aliqui etiam conuertunt. *Vir peruersus effodit malum.* Sed non sunt audiendi.

110

Ipse sermonis series, & sequens versus satis produnt hic sermonem fieri de illo, qui discordiis, ac litibus excitandis studet. Hic appellatur *Vir Belial*, quemadmodum etiam supra loco citato: nimirum calumniator, iugi expers, peruersus, aut (si licet dicere) diabolicus, & alia, quæ ibidem tradidi. Ergo hic *fodit malum.* Optimè quidem Rodolphus, & ex hoc Iansenius admonet verbum illud *fodit*, dupliciter accipi posse. Vel ita ut significet indefectum laborem, quem impius ille versandis malis instar fodientis exhaurit. Vel ita ut notet cogitationes non intermissas, quibus mala aliis inferenda apud se tacitus molitur. Sic enim vulgo dicimus de homine cogitabundo. *Que caba ô abunda en las cosas.* Vtrumque autem apte cadit in peruersum illud discordiarum architectum, & molitorem. Qui enim amicorum animos concordēs distrahere contendit, laboris, & periculi plurimum in se suscipiet. Hæc autem fodiedi similitudo accommodata est ad rem propositam. Nam qui fodit, utique ea, quæ repta sunt, euoluit, & quæ detecta, & in oculis sunt, inuoluit, ac tegit. Hoc sanè præcipuum est studium illius, qui discordias, & lites excitat, atque in eo totus illius labor vertitur: scilicet, ut sepultas obliuione iniurias, & calumnias euoluat, & in oculis ponat: hisque reiectis, præsentem gratiam, & inuoluit, & contegat. Quapropter apte admodum Salomon ait: *Vir impius fodit malum*, id est, effodit, ac reteggit malum. Aliqui ex Hebræis verbum originale, quod hic subest, nempe *כרה* *Charah*, ita exponunt, ut non significet utcumque fodere: sed gramina, & radices altius defixas fodiendo extrahere. Itaque ex illis aliqui in Glossa magna locum sic efferendum censent: *Vir Belial per malitiam suam egraminans*, id est, gramen extirpans, ad laborem referri potest: nam tellus gramine multo constricta magno cum labore confoditur. Rursus Diuus Bassilius, cuius verba alibi dedimus, gramen, quod ipse, *ἀγρίο*, vulgò *grama* nominat, amicitia, & concordia symbolum esse dicit: quia eius radices mire inter sese implicantur, ac coherent: adeo ut quotiescumque vnius radices caput alterius finem attigerit, statim modum arctissimum adstringant,

111

& in vnum cespitem migrent. Vide Plinium: nam *Plinius* intelligis quò tendam. Sanè qui tellurem fodit, tunc maximè laborat, ac defudat, cum gramen terram impleuit, & commissis, complicatis, atque in vnum coalescentibus radicibus tellurè constringit. Quantum ergo labor erit multorum amicitias, quasi gramina quædam, inter se connexas, coherentes, & vnitas constringere, & dissociare? Sane qui hoc præstat, *fodit malum*. Scilicet instar fodientis terram præduram, coactam, & multo gramine constrictam laborat, & defudat.

**B** Quod si illud verbum *fodit*, ad cogitationem referas, apte etiam cadit: tunc autem similitudo sumenda est ab illis, qui fossas altissimas ducunt: his enim haud dispares sunt, qui profunde aliquid cogitant. Et quidem iuxta hanc significationem, utraque istius sententiæ parte simul accepta, similitudo sic efformari potest: *Vir impius fodit malum, & in labiis illius ignis ardescit*, id est, *Quemadmodum milites castrum, aut urbem aliquam funditus subuertere volentes fossam profundam ducunt, & igne subiiciunt, qui vi magna erumpens castra, moles, atque vrbes integras eleuat, ac dirumpit: ad eundem modum peruersus excitator mente quidem fodit malum: id est, fossam agit profundam simulatione, & secreto. Vbi verò amicorum fœdera suffodit, lingua quidem sua ignem supponit: nimirum ea dicit, quibus amicos inflammandos, & concitandos esse nouit: atque eo stratagemate firmissimas paces, & amicitias exturbat, domos, & vrbes, nonnunquam etiam regna, & imperia funditus euertit. Ergo Salomon aptissimè ait: *Vir impius fodit malum.**

112

*Et in labiis illius ignis ardescit.* Septuaginta: *Ignem condit.* Chaldæus: *Et in labiis illius ignis dat scintillas*, quæ sane contraria, & sibi aduersantia videntur. At non sunt. Simulatio enim huius calumniatoris describitur, qui aliquando ignem condit, aliquando euomit. Audi Gregorium Nazianzenum oratione 3. Apolog. contra Iulianum, de Apostata illius simulatione: vbi illum cum Æthna elegantissimè componit: *Verū quemadmodum Æthnaeum ignem narrant. Æthna radicibus abscondi ab ima parte exundantem, ac vi retentum, & compressum, (sive hoc aliud quidpiam est: sive gigantis dantis pœnas anhelitus) nonnunquam quidem clauso igne conquiescere. Deinde verò prius horrendum quendam sonum edere, fumumque, & scintillas propinqui malis indices vertice suo euomere: tunc verò finibus suis estu vehementiori extrusum ignem, sursumque tendentem, ac supra foramina sua sese effundentem finitimas quasque regiones horribili fluxu peruastare. Eodem quoque modo illum reperire licebat, aliquantisper scilicet malitiam suam celantem, seipsum continentem, ac per fraudem res nostras incommodis afficientem. Si quando verò ira impotentia, & malignitatis vis redandantior esset, occasionem nactus.*

113

**F** Æthna in morem ignem quoquo versus exsufflans, Ecclesiam, ac Christianorum res adoriebatur. Hæc ille. (Alicubi sensum tenui, non verba, claritati, & perspicuitati consulens.) Ad eundem modum de peruerso isto malorum architecto discernere licet. Nam Æthnae in morem aliquando ignem abscondit, cum dissimulata malignitate pacè, amicitiamque mentitur. Sic Septuaginta: *Et in aliis suis igne condit.* Deinde paulatim suæ prauitatis quædam indicia, & documenta præbens scintillas tandem efflat, quibus animos laessit. Sic Chaldæus: *Et in labiis suis ignis dat scintillas.* Tandem nacta occasione pleno ore flammam quoquo versus euomit, quibus cuncta inflammat, & accendit. Huc spectat lectio vulgata. *Et in labiis suis ignis ardescit*, litibus,

D. Nazianzenus.

114

ac diffensionibus omnia complens. Aiunt quidem **A** Ethnæ, Vesuij, atque aliorum montium igni-  
 uomentium flammæ ab imo inferno emitti, at-  
 que efflari. Non assentior. Illud quidem certius est  
 linguam calumniatoris inferni flammæ egerere.  
 Sic enim ait Iacob. capit. 3. *Lingua ignis est, vni-*  
*uersitas iniquitatis, & inflamat rotam nariui-*  
*tatis inflammata à gehenna.* Argumento sit, quia  
 sicut ignis ille gehennalis incorporeas animas tor-  
 ret: sic etiam ignea calumniatoris verba animos  
 ipsos perurunt, & mentes inflammant. Quid cer-  
 tius?

Translatio Septuaginta nonnihil sententiam eua-  
 riat. Ait enim: *Vir imprudens fodit sibi malum.*  
 Sed tamen ita exponi potest, vt perinde sit *fodit si-*  
*bi:* id est, apud se fodit, excogitatque malum: ni-  
 si malis sensum esse *fodit sibi*, foueam sibi ipsi ape-  
 rit, in quam demum incidens pereat. Vtrumque  
 enim fati verum est.

*XXVII. Homo peruersus suscitât lites: & ver-*  
*bosus separât Principes.*

115

**H**omo peruersus suscitât, &c. Hebraicè ad ver-  
 bum: *Vir peruersitatum mittet contentio-*  
*nem, & susurrator dinidet ducem.* Chaldaus: *Et*  
*susurro diuellit à se amicum suum.* Septuaginta: *Vir*  
*peruersus transiit ut discordias.* Extrema item ver-  
 ba Symmachus ad hunc modum extulit: *Et qui ca-*  
*lumniatur diffamat ducem.* Græcè *ἄσχημος.*

Ad extremum notandum pro *Duce*, aut *Princê-*  
*pe.* Hebraicè esse *אלף* *Alaph*, quæ vox aliquan-  
 do significat maritum, aut coniugem, vt monui-  
 mus suprâ cap. 2. vers. 17. ad illa verba: *Quæ reliquit*  
*Ducem pubertatis suæ.* Vnde aliqui putant conuer-  
 ti posse: *Et susurro separât maritum*, scilicet ab vxore.

Locus iste superiori lucem affert, atque totam il-  
 lius vim eruit: *Homo peruersus suscitât lites.* Caie-  
 tanus *peruersus*, inquit, appellatur, qui vertit ser-  
 mones suos modo in hanc, modo in illam faciem:  
 vel simulator, qui semetipsum in omnes facies, &  
 personas versat: qui amicum, & inimicum per vi-  
 ces mentitur. Quam peruersitatem versipellis ho-  
 minis, in Iuliani persona eleganter descripsit Na-  
 zianz. oratione 3. Apolog. *Quemadmodum Chame-*  
*leontem aiunt in quibus facile mutari, atque omnes*  
*subinde colores, candore vno excepto, suscipere:*  
*(fabulosum enim illum Proteum Ægyptium Sophi-*  
*stam prætereo: sic etiam ille Christianus præter cle-*  
*mentiam in quibus se vertebat, & perquam crude-*  
*lis erat ipsius lenitas.* Hic verò: *Vir peruersus susci-*  
*ât lites:* id est, concordēs, & beneuolos animos dis-  
 soluit, ac dissociat. Chameleontis os & sputum fri-  
 gidissimum esse aiunt, adeò vt inspersum calidissi-  
 mis quibusdam animantibus veneno sit: scilicet an-  
 guis, laceitæ, & aliis. Paria sunt impostorum, ac ve-  
 teratorum verba illis, qui charitate plurimum fla-  
 grant: odiorum enim, ac discordiarum frigus illis  
 inspirant.

D. Na-  
 zianzenus.

116

*Ex verbosus separât Principes.* Verbosus appel-  
 latur susurro, aut delator, qui ab vno accepta, al-  
 teri transmittit, & vicissim alterum alteri maligne  
 defert. Hic enim non vulgi tantummodo homines:  
 sed Principes, ac Proceres dissociat, cum magno  
 Reipublicæ intertrimento in mutuas discordias cõ-  
 pellit. Septuaginta, *Facem doli accendit malis, &*  
*disiungit amicos.* At quænam est hæc doli fax, quam  
 delator, ac susurro accedit? Non alia quidem, nisi  
 suspicio doli, hanc prius sopitam susurro flatibus  
 suis accendit: ea verò animos, quos semel corripuit,  
 vrit, inflamat, torret. Sanè hic solet esse præcipuus

Tom. I.

calumniatorum, ac susurronum astus, flatibus suis  
 suspiciones excitare, & accendere, (propterea  
 vulgus appellat *Soplones.*) His enim quali facibus  
 animos facile inflammant, & ad pugnas, & bella  
 concitant, vel aliter, *facem doli accendit malis*,  
 id est, his qui animo non admodum sano sunt  
 erga alios, iram accendit. Hanc enim facem ap-  
 pellat, quia disposita est, vt ignem vndecumque  
 corripiat.

Chaldaus legit. *Et diuellit à se amicum suum.*  
 Nam qui alios distrahit inter se, longe melius à se-  
 ipso dirimet, ac diuellet. Simulatoris enim amicitia  
 momentanea est, quia simulata ocyus ad natu-  
 ram redeunt. De illa vero extrema lectione. *Et ver-*  
*bosus separât maritum*, frustra hic multis, cum alie-  
 na omnino sit, & à nullo graui interprete vsurpe-  
 tur. Contendo ad alia.

*XXIX. Vir iniquus lactat amicum suum: & du-*  
*cit eum per viam non bonam.*

**V**ir iniquus lactat, &c. Hebr. *Vir violentiæ*  
*seducit amicum suum, & facit ambulare eum*  
*in via non bona.* Chald. *Vir raptor lactat amicum*  
*suum.* Septuaginta: *Vir iniquus palpat amicos, &*  
*ducit eos per vias non bonas.* Aquila, & Symmach.  
*Decipiet amicum suum.*

117

Sententia huius carminis est luculenta: describi-  
 tur falsus amicus similitudine prædonis, qui viato-  
 ri alicui sese comitem præbuit, eumque per auia  
 abductam aggressus spoliat, ac perimit. Huic er-  
 go perquam similis est falsus amicus, inquit Salo-  
 mon, qui amicum mentitus sese alicui adiungit, at-  
 que dulci sermone, blanditiis inescatum decipit,  
 ac deceptum bonis suis spoliat. Hanc esse existimo  
 sapientis mentem: aliter enim sententia languescit,  
 & friget. Itaq; ait. *Vir iniquus lactat amicum suum.*  
 &c. Hebr. *Vir violentiæ*, id est, prædo, seu raptor,  
 vt Chald. transtulit, *ducit per viam non bonam:* quæ  
 verba per similitudinem efferenda sunt hoc modo.  
 Nonnumquam ille, qui alicuius bona diripere  
 vult, perinde agit cum illo, sicut, prædo vel latro,  
 qui se viatori comitem præbet, & in viam male tu-  
 tam deductum inuadit, ac spoliat. Passim vides ali-  
 quos iniustissimos homines, qui amicitiam simu-  
 lantes, societates paciscuntur, & commercia in-  
 eunt: sed citius amicos suos deuos agunt, elu-  
 dunt, spoliant, ac dimittunt. Vide supra cap. 1.  
 vers. 10. ad illa verba: *Fili mihi te lactauerunt pec-*  
*toratores, &c.*

*XXX. Qui attonitis oculis cogitat praua: mor-*  
*dens labia sua perficit malum.*

**Q**ui attonitis oculis cogitat praua. Hebr. *Clau-*  
*dens oculos suos ad cogitandum peruersita-*  
*tes.* Est vox originâlis *צפח*, *Ghofsah*, à verbo  
*Ghatsah*, quod ni fallor alibi non occurrit in scri-  
 ptura: sed fere Rabini, & eorum affectatores ver-  
 tunt *claudere*, & *obscurare*. Chald. habet. *Qui annuit*  
*oculis suis, & cogitat peruersa.* Septuaginta. *Qui*  
*obscurat oculos suos, cogitat peruersa.*

118

*Mordens labia sua perficit malum.* Hebr. *קרי*  
*Kovers*, à radice *Karats*, quod verbum sapius ocu-  
 lis tribuitur: tamè vt aliàs dixi, significat etiam scin-  
 dere. Ad quam significationem spectans noster in-  
 terpres transtulit, *Mordens labia sua*, sequutus  
 Septuaginta, qui habent *ἠνδραγόρως τὸς ἄλλοις*, &c.  
 id est, *Demordens labiis suis statuit*, aut *di finit om-*  
*nia mala.* Sic habent multi codices Græci: in plu-

ccc

libus vero tantumdem scribitur: *Et statuit, vel definit labiis suis omnia mala.* Referenda autem est hæc lectio ad significationem sciendendi, quasi *decidit labiis omnia mala*: hoc est, decernit. Ergo lectio Septuaginta in vnam orationem conflata sic est effeenda. *Qui autem affirmat oculos suos, cogitat peruersa: & demordens labia sua statuit omnia mala, hic fornax est malitie.* Extrema isthæc verba addunt Septuaginta, quæ non respondent originibus: sententiam tamen mirum in modum illustrant. Reliqui Hebraizantes legunt, & *annuens labiis suis perficit mala.* Ad rem.

119

Iansenius obseruat in diuersis vulgatis codicibus aliter, atque aliter extrema verba legi. Nam quidam (inquit) habent. *Perficiet malum*, alij *perficiet malum*: id vero sensum dissimilem reddit. Si enim ita legamus. *Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labia sua perficit malum*, talis sententia confici potest. Non tantum is male agit, qui malum opere ipso exequitur, sed etiam qui apud seipsum attonitis oculis, & demorsis labiis, id facere deliberate decernit. Putat enim Iansenius vtrumque gestum esse cogitantis, atque meditabundi hominis. Quod si legatur, *Perficiet malum*, tunc (inquit) significatur malum aliquod metuendum ab illo, qui eiusmodi gestus exterius exhibet: sunt enim internorum motuum, & cogitationum indices. Sanè correctio textus Clementis scribit quidem de singulari. *Perficiet malum.* Sed non video, cur non etiam in hanc lectionem posterior interpretatio cadat. Quapropter dimissa illa priori, quæ mihi parum apta semper visa est, vt posterioris fundamenta substernam, eorum gestuum significationes prænuncere oportet.

120

Noster interpretes reddidit. *Qui attonitis oculis cogitat.* Oculi attoniti dicuntur illi, qui immoti hærent ex quadam extasi, aut suspensione. Ergo primo oculi attoniti admirationis, & stuporis signum præbent. Huc spectat illud Virgil.

Virgil.

*Talibus attonitus visis.*

Secundò, sunt etiam distracti, & aliud agentis animi indices. Tertio cogitabundi. Ad id pertinent fortasse verba Eliphaz Job 15. *Quid te eleuat cor tuum, & quasi magna cogitans attonitos habes oculos?* Quarto attonitis oculis videre est oculos firmare, & ab aliqua re aspiciendâ faciem non auertere. Claudianus Panegy. 3. in laudes Stiliconis.

*Quantum profueris, quantum seruaueris urbem.*

*Attonitis metire oculis*

id est intentis, & non flexis luminibus. Ex omnibus autem enumeratis significationibus extrema isthæc ad interpretis nostri mentem magis esse videtur nam translationem Septuaginta exprime. e. uoluit, quæ sic habet, *συνεχων οφθαλμους*, id est, *affirmans*, aut *defigens oculos*, &c. Oculi autem obfirmati, & defixi attentionem animi denotant: aliquando etiam indignationem adsignificant. Homerus Diuorum pugnam, & congressum describens ab oculis incipit. *Obfirmant oculos mutuo.* Et Gregorius Nazianzenus in Poëmate de Ira, indignati hominis gestus delineans sic ait.

Homer.

D. Nazianzenus.

*Nutus deorsum stolidus, ac sursum simul,*

*Fixique oculi.* Hæc de nostra lectione.

121 August.

Hebraei passim legunt: *Claudens oculos cogitat mala.* Et quidem *oculis clausis pugnare*, vulgare olim fuit prouerbium, cuius meminit D. Augustinus, lib. 2. cap. 1. contra Epistolam Parmeniam, vbi sic habet. *Qua tandem vis, cecitas, & vanitas animi cogit hominem, tanquam in alterum iacere, quod in eum, qui iecerit, continuo redeat, eumque ictu reciproco affigat, insigito illo, quem vulnerare vo-*

luerat. Itaque clausis oculis pugnare perinde est, ac cæco impetu ferri in aliquem, sumptumque putant à tauris, & quibusdam aliis animantibus, qui ictum impressuri occludunt oculos. Rursus claudere oculos meditabundi hominis est: solent enim qui aliquid meditatus contemplari volunt, palpebras demittere, aut oculos omnino obserare.

Denique alij legunt: *Annuens, vel innuens oculis cogitat mala.* Huius autem gestus significationes confluimus supra capite sexto vers. 12. consule eum locum, vbi inter alia tradidi eo gestu simulationem notari. Ecclesiastici 27. *Annuens oculos fabricat iniqua.* Addo etiam iram, & indignationem. Exemplum est in Psalmo 34. *Qui oderunt me gratis, & annuunt oculis.* Sed quomodo id præstant? Subdit. *Mihi quidem pacifici loquebantur, & in iracundia terra dolos cogitabant.* Reliquæ significationes annuentium oculorum huic loco adaptari non possunt.

Eccles. 29.

num. 25.

Psal. 34.

num. 19.

Alter gestus est, *mordens labia.* Et qui mordet labia sua. Rodolphus, Iansenius, & alij non pauci id apud se deliberantis, & cogitantis esse affirmant. Et licet nihil ad hoc significatum pertinens nactus sim: tamen procul dubio familiare est his, qui aliquid meditatus cogitant, *labia leuiter arrodere*: sicut etiam *mordere unguis*, aut *demordere virgam*, cogitabundi quædam indicationes sunt, vt passim apud autores legas, Cæterum labia mordere, concutere, aut versare, ad iram, & indignationem sæpius refertur. Aristophan. in Vespis *ὁ ὄρνις τῶν χερσῶν ἰσθῶν*, id est, comedens utique labia præ iracundia. Et Homerus fideliter ex Græco redditus.

122

Aristoph.

Homer.

*At hi labra suis presserunt dentibus omnes.*

Seneca in libro de ira. *At his flagrans, & micans oculus, labia quatuntur, dentes comprimentur*, scilicet iratis. Et Gregor. Nazianz. in Poëmate de ira.

Seneca.

D. Nazianzenus.

Seneca.

*Bucca tumens, instar & trita aræ*

*Sonitum excitantes, &c.*

His præmissis eruenda est huius loci sententia, quæ (ni fallor) duplex omnino esse potest: aut enim gestus ad simulationem referendi sunt, seu ad iram: vel inter hæc duo accommodate partiendi. Prima ergo expositio sic conformanda est. *Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labia sua, perficiet malum*: sic dispungo, comma scilicet affligens post illa verba, *labia sua*: vt significem illa referenda esse ad superiora. Sensus autem erit primo de simulatione. Qui scilicet oculis fixis, & intentis hæret, & labia cogitabundus demordet, aliquid mali animo versat, quod tandem occasione nactus perficit. Itaque Salomon iuxta hanc expositionem signa tradit, quibus dolosus, ac simulator mali aliquid apparans, discerni queat, vt cautus, & prudens vir illum vitare possit. Eadem ratio est de aliis duabus lectionibus. *Claudens oculos*, vel *annuens oculis*: vtraque enim ad simulationem referri posse supra dixi. Non displicet: tamen vt dicam, quod sentio, non admodum placet.

Secundò igitur iuxta præfatam disputationem sic interpretor de ira. *Qui attonitis, &c.* id est, qui semel ex ira, & indignatione oculos, & vultum, aduersus aliquem obfirmavit praua cogitans; & furore percitus labia momordit: hic sane haud cohiberi potest, donec malum, vel damnum, quod inferre intendit, opere ipso perficiat. Significat hæc sententia præcipitem hominis irati impetum, innuitque indignationem initio fra nendam, antequam in furorem abeat, quia tunc difficile compesci potest. Et quidem præclara

123



huic interpretationi inseruit illa vulgaris apud Hebraeos lectio: *Qui claudit oculos*, quae significat optime praecipitem illum saevientis irae impetum, id est, qui iam inde ira percitus, & obcaecatus, ceu taurus idem impressurus, *oculos suos claudit*, & quemadmodum equus praecipitem frænum, sic ipse *labia momordit*: hic sane perficiet malum, id est, non prius cohiberi, aut sisti poterit, quoad acceptum animo flagitium patret, & in aduersarium iram effundat. Hæc sane interpretatio magis mihi probatur.

124 Quod si colon anteponas, & figas post vocem *prava* hoc modo: *Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficiet mala*, ut hodie habent codices correcti, vel tota sententia ad iram referenda est, vel inter iram, & astutam simulationem partienda. Tota ergo ad iram refertur hoc modo, *Qui attonitis*, &c. id est, qui iam iam iracundiæ obsequens obfirmavit vultum suum aduersus aliquem; prava, & flagitiosa cogitans, vel clausit oculos suos impetum futurus idem *mordens labia sua*: id est, praecipiti impetu eadem perficit, quæ mentem concepit, ita ut nulla vi coerceri possit: ita enim existimo moisum labiorum minime sui compotem furorem notare. Ita enim ferunt praestantissimum Albanæ decus, & belli fulmen Castriotum, ubi labia momorderat, praecipitem in pugnam ferri, tamquam seivere labia sua premere solitum, ut aliquando illa dentibus confixa diffunderet. Inter iram vero, & simulatam astutiam praefata verba sic parti licet, ut prior pars astutiæ adscribat, posterior autem iracundiæ, ad hunc modum. *Qui attonitis oculis cogitat prava*: id est, qui haerentibus oculis, & palpebris immotis, ut fert mois cogitanti, & deliberanti attentius, mali quidquam in aliquem concepit, idem occasionem nactus mordens labia sua conceptum ante malum, aut scelus patrat, id est, effræto impetu perficit. Itaque inter utramque expositionem hoc interest, quod prior quidem suadet subitosa iræ suborientis motus comprimere, antequam animum obtineat: nam cum semel animum cepit indignatio, & menti tenebras suas offudit, eius impetum praecipitem solvere difficillimum est. Posterior autem suadet, simulatum, & astutum hominem cavendum esse, quia malum & flagitium, quod apud se deliberans statuit; ubi occasionem nactus est, cæco impetu exequitur.

125 Translationem Septuaginta siquidem non adimantur illæ verba: *Et demordens labia sua*, ad praemissos sensus vocare facile est: si tamen illa excendant, haud dissimilem etiam sensum reddidit ad indignationem spectantem hoc modo. *Qui obfirmat oculos suos, cogitat peruersa, & statuit, vel decidit omnia mala labiis suis, hic fornax est malitiæ.* (Hæc omnia vno impetu proferenda sunt) id est, Qui vultum suum in aliquem ex indignatione obfirmavit, & oculos iratos libavit, qui malum ali-quod illi infetre mente sua destinavit: nec mente solum apud se tacitus statuit: sed etiam lingua sua illud se illaturum decidit, id est, nitendo iam protulit, eiusmodi homo, quem iam ira eo furoris adduxit, *fornax est malitiæ*, illius scilicet indignatio ardentem fornacem imitatur, cuius flammam restringere difficile (ne dicam) impossibile est. Nam sicut fabri fornax in persa leuiter aqua magis ac magis inardescit: ad eundem modum cum ira eo ardoris devenit, illam quidem verba ipsa lenia, & mitia exasperant, & tanquam aqua fornaci irrorata incedunt illius exsuscitant. Ad id spectant verba Chrysostomi. *Tom. 16. in Matth. An ignoras inimicitiarum tempore incandescere iram, animoque prorsus ardente,*

Tom. 1.

*etiam minimum aliquid magnum videri: atque ve in igne cum scintilla aliqua exigua est, etiam si plurimum lignorum admonsas, non ea facile apprehendit: si vero satis in excelsum flamma consurgit: non ligna solum, sed & saxa, & omnem prorsus incidentem materiam sibi vendicat, & per qua extingui solet, per ea ipsa potius accenditur. Quidam quippe aiunt, quod eiusmodi flamma, cum ad eam vim peruenit, non ligna tantum, & stupas, aliæque ignis alimenta: sed aqua etiam maiori impetu iactata magis, magisque succendit. Ita accidere solet in magna ira, quidquid aliquis dixerit, continuo pabulum huius efficitur incendij. Hactenus Chrysostomus.*

XXXI. Corona dignitatis senectus, qua in viis iustitiae reperitur.

127 Corona dignitatis, Hebraicè. Diadema gloriae canities, in via iustitiae invenitur. Chald. Corona pulchritudinis senectus. Septuaginta. Corona gloriationis.

128 Sententia est luculenta. Commendatur senectus venusto schemate. *Corona dignitatis senectus.* Hebraicè, *Canities*: id est, cani senum crines caput illorum undique praecingentes ad instar obtinet speciosæ ac pulcherrimæ coronæ, quæ, senibus non modo gloriam, & decorem, sed etiam auctoritatem, & potestatem addicit: nam canities per se venerabilis est, & digna seruitio. Phocilidis Poëtae Graeci appositæ sunt ad institutam sententiam, verba, quæ ex Graeco fideliter restituta sic habent. *Venerare canis redimta seu coronata tempora habentes cedendo senibus, in sedendo, & in officiis omnibus.* Quanta vero sit dignitas senectutis, attingit eleganter Philo apud Antonium Monachum in Meliss. part. 1. sermone 17. *Iuuenili vite succedit senilis aetas praestantissima, & sacratissima, cui quasi summo gubernatori Deus gubernacula in manibus tradit tanquam idoneo, qui possit rerum terrena gubernacula tenere: ideo coronam illi imposuit. Sed quam coronam? Philo de legatione ad Caium ita scribit. Aetas ipsa senem quasi defunctum laboribus, & emeritum militem canis coronat: quid enim aliud canities, nisi populeum, aut floridum sertum? Cum audis emeriti militis coronam, satis intelligis senem describi bello functum, qui scilicet domitis iam libidinibus bellum intermisit: huic sane cani pro corona sunt: non autem ei, qui necdum subiugatis hostibus adhuc arma gerit, & in bellis, nec sine vulneribus persistit. Huic canis pro corona populea esse dicunt: nam populi folia calidore suo canitiem imitantur. Tum etiam quia corona ista emeritis militibus dabatur, propterea quod Herculem, quem ferunt detentis, ac domitis monstris, scilicet Leone Cathæneo, Caco, Lernæa, Hydra, Cerbero, & Gerionibus populeam coronam sibi imposuisse, imitantur. Ergo seni tunc vere canities pro corona populea est, cum suarum libidinum monstra perdomuit: iræ videlicet Leonem, gula Cerberum, luxuriæ Lernam, & superbiæ Geriones, auaritiæ Cacam, & alia vehementissimarum affectionum monstra. Helias, Nazianzenus, Gregorius, Scholiastes in 19. orationem hæc verba Salomonis expendens petita ex Athletis similitudine hæc sententiam absolutissime tradit: sic enim ait. *Ut enim in certaminibus qui coronam accepit, iam in tuto est: sic etiam senex tuto gloriatur, ut qui mutationem non iam peritum sciat.* Eadem ferme verba adscribit in oratio. 15. Utrobique autem loquitur de sene illo, qui*

Ccc ij

libidinibus edomitis sese in tutum vendicavit.

Ad hæc quemadmodum Philo ob candorem canitiam cum populea corona cōposuit, liceat etiam nobis cum ea conferre, quæ ex oliua pangitur. Vtramque autem *ἀσπὴν καὶ τρυφὴν*, id est, albam coronam Græci appellant (teste Paulania.) Nam oliuæ coronæ, altera etiam ex parte candicant, sicut populi folia. Ergo ætas maturior grandæui hominis non solum populea corona, tamquam emeritum militem redimit caput: sed etiam canities velut alba oliuæ corona tanquam sapientiæ & prudentiæ summam adeptum condecorat: nam oliuæ corona sapientibus olim dabatur. Itaque secundum hoc posterius consilium in his vere canities coronæ vicem gerit, qui prudentia, atque sapientia reliquos vicerint: in his inquam, in quos quadrat illud vulgare. *Mens & ratio, & consilium senibus est.* Et sane Diuus Gregorius oratione de plaga grandinis, vbi Salomonis hæc verba asciscit, per coronam istam sapientiæ prærogatiuam intelligit, quæ senibus ad docendum, & consulendum dignitatem conciliat.

*Et in viis iustitiæ reperitur*, quæ verba duplicem ad sensum vocari possunt. Alter est hanc senectutem honorabilem, decoram, & maturam illis tantummodo euenire, qui iuste, & sancte viuunt: nam qui impie agunt, etiam si ad multam senectam deuenierint, huius gloriæ exortes omnino sunt. Audi Augustinum in Psalm. 92. *Senectæ Ecclesiæ candida erit recte factis, morte autem non corruptetur. Quod est caput senis, hoc erunt opera nostra: videbis quemadmodum canescat caput, & inalbescat, quanto magis senectus accidit. Qui bene senescit ordine suo, queris illi aliquando in capite capillū nigrum, & non inuenis: sic cum fuerit vita nostra talis, ut querantur in te nigritudo peccatorum & inueniantur, senectus tua inueniētilis est, senectus tua viridis est, semper viuebit.* Itaque Augustinus eam tantummodo senectam laude, atque nomine senectutis dignam solum vere canam existimat, quæ cū iustitiā, & pietate coniuncta est. Aliter etiam licet interpretari. *Quæ in viis iustitiæ reperitur.* Quasi dicat: senectus ista decora, & tanta gloria digna non modo accidit his, qui ætate processerunt: sed etiam his, qui iustitia, & pietate mores suos excoluerunt, iuxta illud Sapient. 4. *Senectus venerabilis nō annorum numero computata. Cani etiam sunt sensus hominis, & aetas senectutis vita immaculata.* Ergo ad hæc Diu. Ambrosi. lib. 8. epist. 58. *Vere inquit senectus illa venerabilis, quæ non canis, sed meritis albescit. Ea est enim reuerenda canities anima in canis cogitationibus, & operibus effulgens. Quæ est enim vere vita senectutis, nisi vita immaculata, quæ non diebus, aut mensibus, sed seculis propagatur, cuius sine fine est diuturnitas, sine debilitate longauitas?* Pende expositionem, quam solus Ambrosi. excogitauit, illius extremæ clausulæ: *Non annorum numero computata.* Huius generis passim inuenies apud Patres. Vide quæ nos coniecimus in illa verba, cap. 4. vers. 5. *Qui congregat in mense, filius sapiens.*

**XXXII.** *Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.*

**M**elior est patiens viro forti. Hebraicè. *Bonus longus naribus præ forti: & dominans in spiritu suo præ capiente verbum.* Chald. *Melior est lentus ira animi quam fortis, & qui dominatur sibi ipse magis, quam ille qui capit prouinciā.*

**A** Septuaginta: *Melior est vir longanimis forti, & qui continet iracundiam melior quam qui urbem cupit.* D. Cyprian. libro tertio testim. & Cassiod. Cyprian. infra paulo aliter legit. *Melior est patiens, &c. qui enim dominatur animo suo, &c.* In quibusdam commentariis additur. *Et vir prudentiam habens agre magno.* Hæc tamen verba nec habentur apud præmissos Patres, & à correcto Complut. & Regio codice tanquam notha, & spuria expuncta sunt. Quis *longus naribus*, quis item *breuis*, supra non semel attigi, & exposui.

**B** Versus iste apertam continet sententiam, agit quidem Salomon de iracundiæ victoria, quam reliquis, quantumuis maximis rebus gestis præfert. *Melior (inquit) est patiens viro forti.* Vox illa *melior*, non ad præstantiam moralis bonitatis referenda est: nam comparatio isthæc super fortitudine, ac robore innixa est, *Melior*, vel *robustior*, ac viribus præstantior est, *vir fortis*: id est, qui multa iniustus tolerat mala, *viro forti*: id est, quolibet alio, qui robustos habens lacertos plura aliter gessit: nam fortitudo Christiana in tolerandis malis potissimum spectatur. Chrysolom. in 2. ad Corinth. homil. 19. *Neque enim si firmum, ac robustum corpus habeamus, fortes proinde sumus. Is enim demum hac virtute præditus est, iaceat licet in lecto, qui ad mala sufferenda internis viribus pollet, quibus demptis etiam si alioqui tanto robore corporis quispiam præditus sit, ut vel montem auellere queat: haud tamen illum puella, seu misera anu firmiorem, valentioremque esse dixerim. Nam ille cum in corporeis virtutibus confligit: hic autem ne conueri ea audeat.* Hanc expositionem tradunt Hugo, Arboreus, Dionys. & alij.

Cæterum si origines spectemus, non est sermo de perpeffione, aut tolerantia malorum: sed de iracundia temperanda: nam pro *patientia*, in Hebræo legimus, *longus naribus*, id est, tardus ad iram. Itaque sensus huius prioris partis cum posteriori sententia concinit. Nam cum ait. *Et qui dominatur animo suo, &c.* Hebraicè: *Spiritu suo*, tam animus, quam spiritus sumitur pro ira, ut patet ex lectione Septuaginta, quæ sic habet: *Et qui continet iracundiam, &c.* Quemadmodum etiam in prioris parte Chald. legit: *Melior est lentus ira.* Igitur sententia totius carminis ad hunc modum institutenda est: *Robustiores habet lacertos, viribus, ac fortitudine superat fortissimū quemque, ac robustissimum is, qui semel indignationem erumpentem coercet: & qui eiusdem iræ dominium tandem aliquando nactus est, itaut violentam affectionem penitus rationi subiecerit, illi prorsus anteposendus est, qui magnas, & munitissimas vrbes perdomuit, ac subiugauit.* Sic expono, ut posterior pars priori aliquid adieciſſe videatur. Ex his liquet eum, qui iram, & furorem temperat, duplici ex capite commendari, scilicet à fortitudine, & imperio: fortitudinem extollit prius hemistychiū imperium verò posterius. Quanta fortitudo eius, qui præcipientes iracundiæ motus comprimit, facile viderit, quicumque considerare voluerit nullum animi motum difficilius cohiberi, quam iram. Nullus enim impetu suo violentior, nullus sauitia sua crudelior, nullus ad congressum ardentior, ac fortior existit. Seneca in Senec. Thyeſte.

*Cum spirat ira sanguinem, nescit regē.*  
Et iterum.

*Sed regē frenis nequit*  
*Et ira, & ardens hostis, & victoria*  
*Commissa nocti.*

Ergo sauiam, effrænatam, violentam, & liberā hanc animi affectionem peruincere summæ fortitudinis

Pausan.

129

Gregor.

August.

130

Sap. 4.  
num. 8.

Ambros.

132  
Chrysoſt.

133

134

135

*Tullius.* est. Huc spectat illa non satis pro dignitate celebrata. Tullij sententia pro Marcello, *Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, sed tamen ea vicisti, quæ & naturam, & conditionem, ut vinci possent, habebant. Nulla est enim tanta vis, tanta copia, quæ non ferro, ac viribus debilitari, frangi que possit, verum animum vincere, iracundiam cohibere, &c. hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo iudico.* Ergo Tullius domitæ iræ facinus propterea extollit, quia aliæ res ea conditione, & natura prædicæ sunt, ut peruinci possint, ira verò insuperabilis videtur. At inquires, cui iracundia insuperabilis est, cur tam liber, & iugi expers? Ratio est in promptu, quam obtulit Seneca in lib. de ira. Quæ a interni animi motus non aliter domari possunt, quam alij ab aliis, nimirum contrarij à contrariis. Ergo cum non omnes alios animi motus vi, atque violentia iracundia facile superet, hinc est, ut indomita prorsus, & iniuncta censeatur. Quapropter illi, cui cum ira res est, non solum vires omnes aduocandæ, sed etiam astus, & calliditas, nam aduersarium viribus superiorem imbecillis hostis nonnumquam sternit, si callide illum adoritur. Ita quidem suadet Seneca de ira, cum ait indignationem per proditorem superandam esse, quasi dicat, aduersus iram proditione utendum est, nam à fronte commisso prælio superari non potest. Et quidem si potissimum iræ peruincendæ consilium spectes, facile agnosces in eo proditorem intercedere, iubemus enim iram, antequam exurgat, vel excitetur, id est, iacentem adhuc confodere. Atqui aduersarium iacentem, & somno pressum, & necdum excitatum opprimere proditorem genus est. Item ira (ut verbis utar

*Seneca.*

136

*August.*

Diui Augustini Confess. lib. 2.) *mentis est vestigio arcem petit.* Et quidem cum inter omnes animi affectiones facile princeps sit ira, tanquam princeps arcem illam propriam sibi vendicat, ubi verò arcem illam tenet, inexpugnabilis est. Quapropter suademur, ut antequam ira mentis arcem incendat, mentem ipsam, animumque mansuetudini, atque lenitati dedamus, quod quidem secundum proditorem genus existit. Sed agnosce incredibilem iræ vim, quamuis enim non aperto Marte, sed per proditorem superatur; tamen eos, qui iracundiam domant, fortissimis fortiores esse decernit Salomon, cum ait, *Melior est patiens viro forti.* Subdit:

*Et qui dominatur animo suo, expugnator urbium.*  
Non solum iracundiam superantis vis, ac robur commendatur, sed etiam principatus, atque imperium. Eius quidem argumenti luculentas sententias videre est apud auctores. Horat. libro secundo Ode. 2.

*Horat.*

*Latius regnes auidum domando  
Spiritus, quam si Libyam remotis  
Gadibus iungas, & uterque Pænis  
Seruiat uni.*

Quamuis enim de auaritia sermonem instituat, tamen ad iram etiam asciscere licet. Quapropter Claudianus ad Theodos. Imperatorem utrumque complexus ait.

*Claudian.*

137

*Tu licet extremos late dominare per Indos,  
Te Medus, te molli Arabis, te Seres adorent,  
Si metuis, si praua cupis, si ducere iras,  
Seruicity patere iugum, tolerabis iniquas  
Interius leges, tunc omnia iure tenebis,  
Cum poteris Rex esse tui.*

*Seneca.*

Subiicio etiam verba Tragici in Thyeste satis accommodata.

*Regem non faciunt opes.*

Tom. 1.

*A Non vestis Tyria color,  
Non frontis nota regia,  
Non auro vitida trabe.  
Rex est, qui posuit metus,  
Et diri mala pectoris  
Qui iusto poscitur loco  
Intra se videt omnia.  
Occurritque suo libens  
Fato, nec queritur mori  
Reges conueniat licet,  
Rex est, qui metuit nihil,  
Hoc regnum sibi quisque dat.*

*B* Hadæenus ille.

Sed ante alios elegantissime hoc argumento scripsit Chrysothomus, tom. 5. hom. de comparatione Regis, & Monachi, *Qui ira (inquit) atque inuidia, aliisque huiusmodi violentis animi morbis imperat, hic demum Rex est, ut iustus hunc Regem vocet, quamvis eum, qui purpura indutus est, ac corona ornatus splendescit throno in auro sebitans. Is demum Rex est, qui iram, & inuidiam cohibens omnia sub Dei lege agis mentem liberam seruans. Talem equidem Regem libentius viderem, & populus, & terra, & mari, & ciuitatibus, & exercitibus iura dantem, quisquis enim animi affectibus rationem magistram præfecerit, is paruo etiam negotio hominibus, vna cum diuinis legibus præfici possit, ut eundem patris loco subditi habeant, cum omni mansuetudine ciuitatibus consuetudinis suæ copiam facientem, qui verò hominibus imperare cum videatur, ira tamen seruit, hic primum subditis suis ridiculus videri possit, hoc ipso, quod coronam quidem gestat gemmis, auroque intertextam, Temperantia vero corona minime insignis est, & purpureo paludamento toto corpore fulget, animum autem inornatum habet. Vide ibi plura. At quæ res fortasse, cur is, qui iram moderatur, Regis nomen ferat? Occurrit Ambrosius eo quidem nomine Regem appellari, qui sibi ipsi imperat. Nam ad verba illa Psal. 118. *Anima mea in manibus meis semper, sic addit, Quicumque proprium corpus subegerit, nec ab ira, & alijs passionibus turbari animam suam rector sui congrua vi permiserit, is bene regia quadam potestate se cohibens Rex dicitur, quod regere se nouerit, & arbiter sui iuris sit, nec captiuus trahatur in culpam.**

138

*Chrysoth.*

139

*Ambros.*

*E* Itaque hoc regnum, & imperium in eo statuit Ambros. ut homo in se ipsum potestatem exerceat, hæc enim est altera Regiæ potestatis conditio, ut Rex solutus legibus, ac sui iuris sit. Sed tamen quia Regum etiam est subditos habere, illud sanè oportet exquirere, quosnam subditos homo mansuetus numerat, cuius imperiū tam late patere dixit Poëta, *Latius regnes auidum domando spiritum.* Et Salomon, *Et qui dominatur animo suo, expugnator urbium.* Dicet quispiam eiusmodi subditos esse ipsos iracundiæ singulos motus, quos vir mansuetus compescit, regit, & rationi moderandos tradit. Non inficior, tamen aliam esse horum auctorum mentem arbitror, nimirum, ut quemadmodū illum potiori iure rerum potentem, ac dominum esse dicimus, qui nihil desiderat, quam eum, qui cuncta ditioni suæ subiicit, si tamen plura desiderat, aut eorum, quæ obtinet iacturam metuit, quia hic suis quidem rebus subiacet, ille autem super omnes est, Ad eundem modum qui mansuetudinem colit, & iracundiam edomuit potiori iure totius orbis olocyrios, id est, vniuersalis dominus appellari potest, quam quilibet alius multarum nationum Rex, aut Imperator. Quia ille, cuius animum sedatum nullus exturbat, qui neminem timet, cui nullus iniurius est, cui denique nullus vim afferre potest, hic sanè supra omnes est, & cunctis Principibus altius extulit caput. Fortasse autem id sibi voluit Christus

Ccc iij

Matth.  
c. 5. nu. 5.

Dominus, cum dixit, *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Nimirum quia ipsi mansuetudine sua totius orbis imperium prædicta ratione assequentur. Et Salomon etiam ait, *Melior est patient, &c. Et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium,* præstat scilicet imperij sui latitudine, & gloria illi, qui vrbes, & prouincias plurimas potestatis suæ iugo premit.

140

Plutarch.

Hebraicè pro *capiente urbem* singularis pro plurali, tamen aliquid etiam ab eo, qui urbem expugnat, ad eum, qui iram cohibet suam transire licet Plutarch. in Moral. sic ait, *Quemadmodum qui urbem aliquam expugnare parat, priusquam eius hostis aduentum presentiant, securus, & inopinantes inuadit, adeo ut capiendi arma copiam non faciat. Ad eundem modum ira præoccupanda est, & prius superanda, quam arma ceperit, nimirum quia ubi arma cepit, & sese ad bellum exacuit, nulla vi debellari potest. Ergo qui iram suam domat, melior dicitur expugnatore urbium, quia eodem prorsus stratagemate longè melius, ac certius utitur.*

XXXIII. Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.

141

Sortes mittuntur in sinum, &c. Hebraicè, *Sortes sproijciuntur in sinum, sed à Domino omne iudicium eius.* Chaldaeus, *In sinum consilij cadit fors, & à Deo egreditur iudicium eius.* Septuaginta, *In sinus veniunt omnia iniustis, à Domino autem omnia iusta.* Compluti & Regius codex, *In sinus veniunt omnia iustis.*

Beda & ex hoc Hugo, Dionysius, & alij hæc verba spiritalia ad sensum vocant, hoc modo, *Sortes mittuntur in sinum, &c.* id est, quemadmodum sortes quamdiu in sinu, vel vna sunt, incertæ sunt, & anceps, quoad denique extrahuntur, & electionem perficiunt, ita etiam cuiuscumque hominis fors, & electio ad felicitatem æternam in hac vita obsecra est, ambigua, & anceps, donec mors sortes educit, & prædestinatorum electiones aperit. Ergo ait Salomon, sortes quidem nostræ in hac vita velut in sinu, & in vna incertæ sunt, sed tamen quod alij eligantur præ alijs, non est fortunæ, sed consilij diuini, qui prouidentia sua & gratia distributione sic & res temperat, vt quibusdam fors felicitatis obtingat, alij verò à felicitate excidant. Quia verò has sortes educere ad mortem spectare dixit Beda, libet hic attextere ob eam fortasse causam mortem à Niffeno dictam fuisse Chironomam, *ὅτι τὸ κληρὸν ἔσθ' ἡ ψυχή*, scilicet, vt à sorte, & regula. Nimirum quia ipse educit, regulatque hominum sortes. Et sanè quemadmodum hi, qui aliquid definiendum sorti committunt, puero alicui doli experti sortes educendas tradunt. Ita etiam Deus sortes hominum morti producendas præbuit. At inquires, mors callida est, plurimos dolo petit? imò verò neminem ludit, omnes enim præmonet, & quotidianis documentis de sui expectatione iubet esse sollicitos.

142

Tertiam expositionem offert nobis lectio Septuaginta, quæ sic habet, *In sinus veniunt omnia iniustis, à Domino autem omnia iusta.* Vtique fors in scriptura sepius accipitur pro substantia, & fortunis, nil certius. Septuaginta igitur secundum eam accceptionem sententiam securi, non verba sic extulerunt, *In sinus veniunt omnia iniustis*, id est, copiar, & fortunæ ex animi sententia contingunt impijs in hac vita. Obserua modum illum dicendi, *In sinus*, est enim familiaris scripture. Luc. 6. *Mensuram bonam, & cogitatem, & superfluentem dabunt in sinus vestris.* Et Psal. 34. *Oratio mea in sinu meo conuertetur.*

Lucæ 6.

num. 38.

Psal. 34. n. 13.

Et alias. Sed tamen hæc impiorum felicitas haud magni ducenda est, *À Domino autem omnia iusta.* Deus scilicet nihil vnquam iniuste facit, atque adeo tandem aliquando, vt iustitiæ suæ faciat satis, eorū felicitatem in extremam infelicitatem commutabit. Et quidem ad eum sensum accersere licet vulgarem lectionem non inuitā, hoc modo, *Sortes mittuntur in sinum.* Nimirum Deus tam bonis, quam malis admetitur in hac vita sortes suas, & quidem malis fortunæ, & felicitatem donare solet, bonis autem labores, & ærumas, & bonorum suorum iustitias immittere consuevit, *Sed à Domino temperantur*, videlicet istas sortes tandem contemperat, & quasi ad trutinā exæquat. Nam temporalem felicitatem impiorū æterno supplicio compensat, & per breuem piorū infelicitatem, & laborem in æternam beatitudinem transire iubet. Ad hunc modū Deus sortes suas, hoc est, felicitatem, & infelicitatem contemperat, & alteram cum altera componens iustitiæ consulit suæ: Et sanè libentissimè in hanc expositionem abirem, nisi ex aduerso cōmunis fere omnium interpretum conspiratio locum istum de sortitione hætenus cepisset. Nam quoties vtriusque textus, vulgati, & Septuaginta coherent, sententiæ maximi habendæ sunt. Addo etiam lectionem Septuaginta, alio sensu donari posse. Obserua autem sortem non modo fortunam, & felicitatem notare in Scriptura sacra, sed etiam damna, & detrimenta, & supplicia. Ecclesiast. 25. *Sors peccatorū cadat super eos.* Et 48. *Qui sustulit mortuum ab inferis de sorte mortuū, &c.* Isaia 17. *Hæc est pars eorum, qui vastauerunt nos, & fors diripientiū nos.* Et passim alibi. Rursus non solum merces, & felicitas in sinum mitti dicuntur, sed etiam ærumæ, atque pœnæ Psal. 78. *Redde viciū nostris sepulchrum in sinu eorum.* Isaia 65. *Reddam, & retribuam in sinu eorum iniquitates vestras, &c.* Isaia 65. *Mitto alia: Ergo ait Salomon, In sinus veniunt, vel redeunt omnia iniustis, à Domino autem omnia iusta.* Omnia, quæ impij perpetrant, vel admittunt mala in sinu eorum recidunt, omnium scilicet pœnas pro meritis suis luere coguntur. Nihil autem Deus agit, quod non sit cum iustitia, & æquitate coniunctum, atque adeo quicquid supplicij, aut pœnarū illis immittit, meritōrum retributio est. Et quidem si vulgaram lectionem huic etiam sententiæ accommodare libitum sit, licebit extremæ verba iuxta sonū paulo aliter accipere, *Sortes mittuntur in sinum, &c.* scilicet impiorū supplicia in sinum eorum recidunt, *Sed tamen à Domino temperantur*, nam Deus pœnas sic temperat, vt sceleris dignitatem nunquam attingat iuxta familiare Theologorum profatum. Deus punit citra condignum.

143

Ecclesi. 25.

num. 26.

Et 48. n. 5.

Isaia 17.

num. 14.

Psal. 78.

num. 12.

Isaia 65.

num. 8.

144

Tertia expositio vulgaris est de sortitione, vt verba ipsa sonant, præfari autem oportet pauca ad hanc interpretationem spectantia. Non vnum sortium genus censetur, primum est earum, quas diuinatorias appellant, quarum duodecim, aut plures species incredibili diligentia collectas numerat noster Martinus del Rio, disquis. Magicarum lib. 4. sect. 3. atque robustis argumētis evincit earum nullū usum apud Christianos esse licitum, vt constat ex D. Thom. 2. 2. *D. Thom. 2. 2. q. 5. art. 8.* Ceterum istius generis sortium vsus ex institutione Dei ad eius voluntatem exquirendā apud Hebræos non insolens fuit. Nam Iosue 3. iudicio sortium ex præcepto Domini punitus fuit Acham. Et 1. Reg. 14. Saul etiam sorte deprehendit Ionatham nuncupatum ieiunium hauisto melle violasse. Secundum genus sortium dicitur *consultorium*. Tertium *dispositorium*. Lege D. Thom. in eo art. vbi sanctus Doctor perspicue tradit harum sortium vsus, quando licitus sit, quando illicitus, & huius rei longiorem disputationem videre cupiens adi Martinum nostrum

D. Thom. 2. 2.

q. 5. art. 8.

Iosue 3.

1. Reg. 14.

loco citato. Illud enim solum ad huius loci sententiam eruendam constituere necessarium est, scilicet aliquem sortium usum licitum esse.

145

Ergo cum Salomon scripserit eo tempore, quo diuinatoria sorte Hebræis ex institutione Dei solemnes erant (de his quidem haud inepte exponi potest, hoc modo, *Sortes mittuntur in sinum, &c.*) apparet (inquit Iansenius) in more positum fuisse, ut sortes in cuiuspiam sinu colligerentur, atque inde producerentur. Vel certe sinus appellatur urna, qua sortes excipiebantur, nam ut admonet Hebræi, illa vox פֶּזֶק *Chék*, ad cuiuslibet rei concauæ recessum significandum transferri solet. Ergo sensus est, Sortes quidem illæ, quibus diuinatione perficitur, vel in sinum, vel in urnam iaciuntur, sed tamen, quod hæc potius, quam illa perducatur, ex Dei consilio, & moderatione fit. Hoc autem dici potuit à Salomone, ne quis putaret aliquam ipsis sortibus inesse vim ad diuinandum, cum videret earum iudicio res certo definiiri, atque declarari, sed illud in prouidentiam Dei referret, cui per sortes rerum euentus manifestare libitum erat.

146

Quod si de aliis sortibus sermo sit, quæ in electionibus, rerum partitionibus, vel aliis licite adhiberi solent, aliter sententia cõformanda est Caiet. Ergo Iansen. & Rodolph. sic exponunt, *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur*, nimirum ubi sortes in urnam coniectæ sunt, casu, & fortuna excidere videtur, ut hæc potius fors, quam illa educatur. At non sic accidit, sed tota sortitio ex Dei moderatione, & dispensatione perficitur. Hæc ille. Quæ mihi sic in vniuersum accepta non satis apte dicta videntur, putaret enim quis ea ratione sortium usum suaderi in electionibus, partitionibus, & aliis, quia scilicet sortium iudicium speciali Dei arbitrio regeretur, quod est planè absurdum. Quapropter obseruandum est duplicem esse Dei prouidentiam, alteram generalem, qua res omnes in vniuersum moderatur iuxta naturalium causarum exigentiam, & imperium. Alteram specialem, qua res singulari consilio perficit, & ad finem aliquem bonum instituit. Ergo in sortibus hanc specialem Dei prouidentiam intercedere, ita ut ea, quæ Dei voluntati maxime congrua sunt, fors semper enunciet asserere nefas est. Si enim ita se res haberet, omnem quidem electionem, vel rerum distributionem ad sortes referre satius esset, quam suffragiis illam definire. Atqui ab electionibus sortes relegandas esse docet August. ad Inquisitiones Ianuarij. D. Thom. ubi supra, &

August.  
S. Thom.

A Beda in cap. 1. Actuum Apostolorum ubi ita scribit, *Matthias (inquit) ante Pentecostem ordinatus sorte quæritur, quia scilicet nondum erat plenitudo Spiritus sancti in Ecclesiâ effusa, septem autem Diaconi postea non sorte, sed electione cooptati sunt.* Hæc ille. Putat enim Matthiam sorte delectum, cuius electionem, aliis suffragiis peractam fuisse docent, obseruantes Græci textus germanam vim. Omnino autem ne Ecclesiastica, & Canonica electiones sortibus peragantur, cadet in cap. fin. de sortilegiis, tit. 21. lib. 5. & can. non statim, & can. non exemplo 26. quaest. 2. Rationem autem offerunt Doctores, quia sortes temerariæ sunt, & incertæ. Ergo prouidentia Dei, quæ in sortibus intercedit, generalis est, quemadmodum alearum iactus ad eum modum cadere finit, quo ipsa iacientis manus impulit, sic etiam de sortibus existimandum est. Deus quidem illas in vniuersum sic euenire permittit, quemadmodum ipsa per se cadit, & manus postulat educantis, propterea temerariæ sunt, ancipites, atque dubiæ. His ergo præmissis Salomonis verba sic exponi debere existimo, *Sortes mittuntur in sinum, id est, sortes in urnam iaciuntur, quæ ex se quidem temerariæ sunt, & casuales, sed à Domino temperantur.* Hebraicè, *Sed à Domino iudicium earum*, nimirum ut sublata temeritate aliquid consilij, atque iudicij habeant, Deus implorandus est, ut & ipse non generali solum, sed etiam speciali prouidentia iactus illarum moderetur, *Nam à Domino iudicium earum.* Hoc est, Dominus speciali sua prouidentia præstat, ut illis non sit temeritas, sed consilium, & ordo. Itaque Salomon non suadet sortibus utendum esse, quasi illæ Dei arbitrio, & dispensatione regantur, sed potius id sibi vult, ut si quando res ad sortes deducta sit, Deus precibus euocetur, ut sortium temeritatem arbitrio, & consilio suo peculiari prouidentia gubernet. Ob eam causam D. Thom. ubi supra inter alias conditiones, quas postulat, ut sortitio licita sit, sic scribit, *In sortibus peccatum intercedit, si quis in necessitate, absque reuerentia Dei sortibus utatur: Vnde super Actus Apostolorum dicit Beda: sed si qui necessitate compulsi Deum putant exemplo Apostolorum sortibus esse consulendum, videant hoc ipsos Apostolos, non nisi collecto fratrum cœtu, & precibus ad Deum fuis egisse.* Et infra, *si verè necessitas imminet, licitum est, cum debita reuerentia sortibus diuinum officium implorare.* Locus igitur ad hunc modum interpretatus vtile satis documentum cohibet.

147

S. Thom.

*Laus Deo Virginiq; Matri.*



# REPERTORIUM RERVM, ET VERBORVM.

*Prior nota caput: secunda capitis numerum significat.*

**A**

*Aborsus.*



TVLTVRVM feminarum est aborsum ex concupiscentia pati, cap. 10. n. 326.

*Abraham.*

Abraham recepit filium suum Isaac in parabolam, multiplex huius sententiæ sensus, c. 1. n. 24. & seq. Fuit exemplum obediendi in rebus arduis, ibid. n. 26. Cur Deus non permiserit Isaac e-mori Abrahamæ patris gladio percussum, ibid. n. 28. Noluit Deus filium ab Abrahamo re ipsa cædi, ne confortem haberet hominem in vnigeniti filii immolatione, cap. 1. n. 30

*Aberro.*

Aberrones qui dicantur, cap. 10. n. 230

*Actio.*

Qui sibi totus vacat, purius fortasse viuit: qui aliis vero, fructuosius, cap. 10. num. 20. *Quære Con-templatio.*

*Adamas.*

Adamas malleis percussus non cedit, c. 3. n. 107. Adamas suis met pulveribus, aut ramentis elaboratur, c. 3. n. 108. Igne non læditur, ibid. Cum ipse indomitus sit, reliqua tamen demat corpora, ibid. num. 109. Maleficiis resistit, ibid. n. 110. Venena deprehendit, lymphationes abigit, metus pellit, ibid. Reliquæ gemmæ adamantibus elaborantur, ibid. num. 109. Adamantis anagogia, ibid. n. 107. & seq. Magnesi iuxta adamantem positus non rapit ferrum, aut raptum remittit, c. 3. n. 111. Et huius rei anagogia, ibid.

*Adiectio.*

Adiectiones in iure quid significet, c. 10. n. 277.

*Admonitiõ.*

Admonentis prauitas omnem monendi libertatem adimit, c. 10. n. 192. Iniqui monentis aut suadentis os fons cæno infectus, falsus, & mortuas aquas effundens, ibid. n. 193.

In secretis delictis secreta admonitione uti oportet, c. 10. num. 203.

Monitoris fons inexhaustus: quidquid in alios effundit, ad ipsam redit, cap. 10. n. 190.

Admonitio similis esse debet aquæ dulci, ibid. Recta monentis oratio aqua viua est, ut distinguitur contra mortuam, ibid. n. 191.

Flumen est, in quo auditores more piscium non lasciuunt tantum, sed etiam nutriuntur, ibid. Publica admonitio sanat aliquando delictorum vulnera, sed cicatricem relinquit: secreta non item, c. 10. n. 203. Admonitio ex ira profecta non corrigit mores, sed rixas prouocat, ibid. nu. 198. Quæ verò placita est, ac beneuola, operit contentiones, ibid. Debitum, quo tenentur peccatores erga illos, qui ipsos admonet, vel corripit, ibid. n. 199. & 200. Qui corripit alterius scelera, ipsa tegere, & Chirurgi instar obligare debet, ibid. n. 101. & seq. Admonitio cum tempestiua est, & opportuna, placet, ac proficit plurimum, c. 9. n. 188. & 189. Vir sapiens admonitiones, etiã importunas, & intèpestiuas libenter

audit, ib. n. 190. *Quære Corruptio, Doctor, Doctrina, Adolescens, Adolescentia.*

Adolescentes libido, sicut segetes vredo torret, c. 10. n. 94. Adolescentes libidinosi, nec cor iugio, nec sacerdotio idonei: tanquam frumentum vredine corruptum, quod neque ad molendum, neque ad ferendum est aptum, ibid. num. 94

Adolescentia vitæ æstas, & cur. c. 10. n. 91. Si impendatur vitis illa inflammat: si virtutibus, illas decoquit, ibid. n. 91. & 92.

Adolescentiæ germana vitia, ibid. Adolescentia ætas media, quasi ex senectute, & pueritia cõgruè temperata, ad sapientiam addiscendã optima est, c. 4. n. 17. & 18. Lethargus ex febris ardentissima deprauatæ adolescentiæ corruptionem exprimit, c. 10. num. 93. *Quære Iuuenis, Iuuentus, Puer.*

*Adulatio, Adulator.*

Adulatorum libertas ad monendum ficta, debilis & intermis, c. 10. n. 168. & seq. Qui adulationes adamant, suis assentatoribus libenter credunt, c. 14. num. 71. Molles adulationibus capiuntur, ibid. Adulatio decipula est, ibid.

Adulatores nonnũquã libertate monedi vtuntur, vt adulatione ipsã cõdiat, c. 10. n. 169. Libertas adulationi admixta: sicut venenũ mero infusum, ibid.

Adulator similis cœnotapho, c. 10. n. 36. & 37. Amicitiam exterius metitur: sed intus inanis est, ib.

Adulatio demorat, infatuatque eos qui ipsa deliniuntur, c. 11. n. 38. Iustus homo adulationem, & amicitiam probe discernit, ibid.

Stulti adulationibus capiuntur, c. 10. n. 161. & seq. Stultus labiis assentatorum vapulat, ibid. n. 162. Adulatores quoque stulti, & bardi, ibid. n. 163.

Adulatoris symbolum Polypus, ibid.

Adulator deprehensus pœnas refert, ibid.

Adulator *ἄπο ἁδύλας*, id est, à seruo dictus, ingenio, ac moribus seruus: atque ad eõ seruorum pœnis subiectus, ibid. n. 164. & 165.

Adulatio detractione sibi sociam adiungit, adulatur præsentibus, detrahit absentibus, c. 10. n. 219.

Prudentissimi quique adulationibus lætari solent, c. 1. n. 176

Adulatorum germana pœna verbera, & flagella, c. 10. n. 165

Adulator ei similis, qui fontes publicos veneno inficit, c. 10. n. 194

Adulatores ex sua arte nunquam ditescunt, c. 14. n. 100. Adulatoris, & amici discrimen, ibid. Adulatores seruales, ibid.

Adulator clauum figit in oculo eius, cui assentatur, c. 10. n. 159

Adulatores cur coruis similes, ibid. & 160.

Adulatio scorpionis punctura, ibid.

Adulatores scorpionibus in Caria natis haud dispares, ibid.

Assentatio delictis putredinem afferre solet, cap. 13. n. 16.

Adulatores multi apud Principes, c. 16. n. 55

Adulatorum ingenium, & mores, c. 14. n. 85

Adulatores solis nutibus assentari solent, cap. 13. n. 16.

# INDEX.

10. num. 157. Adulator et si ad tempus indulgeat: non tamen aufert, sed differt tristitias, *ibid.* & num. 158

*Adulter, Adultera, Adulterium.*

Adulterium cæcitas mala, oculorum morbus, c. 6. num. 189. Adulteri rationis expertes, *ibid.* Eorumdem mollities, *ibidem.* Olim lana coronari soliti, *ibidem.* Adulteri ignominia sordidissima est, *ibidem.* num. 191. Adulterorum ignominiosæ pœnæ apud omnes gentes, *ibid.* n. 192. Adulterorū interni cruciatus maximi, *ibid.* n. 193. & 194. Adulterium secretum omnino esse non potest, c. 6. n. 175

Adulter vltionem fugere non potest, *ibid.* n. 177. Adulteri, & struthionis comparatio, c. 5. n. 144. Adulter oculos hominum veretur: de oculis autem Dei nihil curat, *ibid.* n. 145. & 146. Qui lasciuo aspectu intuetur alienam vxorem, congregat viro tristitiam, c. 10. n. 151

Adulterium ingens vecordia, cæcitas, & oculorum morbus, c. 2. num. 151. & 152. Hunc morbum Christus aptissimè curauit, *ibid.* Adulteri uīdololatriæ aliquo modo preferendum docet Chysostramus, cap. 6. num. 182. Homicidio præfertur, *ibid.* Cum periurio confertur, *ibid.* Infra crimen læsæ Maiestatis est maximum, *ibid.* Cum furto comparatur, atque eidem malitia, & infamia anteponitur, *ibid.* num. 183. & sequent.

Adulteræ volaticæ, sicut & alatæ, & quo sensu, cap. 7. num. 47. Adulteræ mulieres venificæ, c. 12. n. 22. & 23. Quære *Libido, Venus, Meretrix, mulier.*

*Ænigma.*

Ænigma quid. Ifag. fol. 2.

*Æstimatio.*

Æstimatio hominis statæræ ad instar obtinet, c. 11. numero 5.

*Ætas.*

Quatuor hominis ætates veri, æstati, autumnō, & hyemi similes, c. 10. n. 90.

*Agnus.*

Agnus stultitiæ, & stoliditatis symbolum, c. 7. n. 81. & 82. Agni post lupos, & vulpes abire solent. Et huius rei anagogia, *ibid.* n. 82. Agni ex venere præmatura marcescant, *ibid.* n. 83

*Agricultura, Agricola.*

Optima ratio parandi diuitias ad filios locupletandos est agricultura, cap. 13. n. 97.

Iustis agrorum suorū fructibus perfrui licet: iniustis non item, cap. 15. n. 23

Agriculturæ laus, cap. 10. n. 80.

Pauperum agelli vberiores referunt fructus, quam diuitum fundi, c. 13. n. 90

Agricultura præfertur mercaturæ, *ibidem.* num. 91

Agricultura negociationi, & mercaturæ præponitur, cap. 12. n. 50

Agricultura ad augendas opes honestissima ars: ab omni fraude, & dolo aliena, c. 10. n. 88 & 89. Agricole aliena non appetunt, *ibid.* Beautissimus populus, qui agricolis totus constat, *ibid.* Agricultura parcimoniæ, diligentia, iustitiæ, magistra est, *ibid.*

*Aloës.*

Aloës quid, & quotuplex, eius species, cap. 7. n. 64

*Amaranthus.*

Amaranthus immarcescibilis flos in cælo tantum germinat, cap. 1. num. 173

*Amicitia, Amicus.*

Amicitia præcipua lex onera inuicem portare exemplo ceruorum, c. 5. n. 120

Falsi amici, & prædonis vias obsidentis comparatio, cap. 16. n. 117

Improborum amicitia, & concordia qualis, cap. 14. n. 36. & 37

Amicitia amicos protegit, cap. 10. n. 204

Amicus infidelis mercatori ad similes, c. 11. n. 52. & 53. Non donat, sed vendit amicitiam, *ibid.* & seq.

Simulata amicitia reprehenditur, cap. 3. n. 226. Amici ficti veluti dolones, c. 11. num. 15. Quære *Charitas.*

*Amor.*

Tres amoris differentiæ ex Platone, cap. 5. n. 62. Amor lasciuus ferinus est, *ibid.* Omnes animi passionēs proritat, *ibid.* Zelotypiam adiunctam semper habes, *ibid.* n. 63

Amorem aliquis contentio, & reluctancia iucundiorē reddit, c. 7. n. 68

Lasciui amoris incendium, cap. 6. n. 171. & 172. Quære *Charitas, & Dilectio.*

*Angelus.*

Angeli sunt viridi agricæ August. cap. 3. num. 139

Angelorum motus rectus, circularis, & reflexus, c. 2. n. 80. Istorum motuum anagogia, *ibid.*

*Angulus.*

Anguli appellantur præfecti pagorum apud Hebræos, c. 1. n. 229. & sequent.

Angulos vrbis adire solebant meretrices: propterea vulgo dicuntur *Cantoneras*, *ibid.* n. 230. & 231.

*Anguilla.*

Anguilla in strigmento quid, eiusque anagogia, c. 2. num. 143

*Anima.*

Iustorum animæ tres angelorum motus, rectum, circulare, & reflexum imitari debent, cap. 2. n. 81. & 82

Anima suscipit omnes ætatis differentias, & capit etiam quinque corporis sensus, c. 1. n. 90

Anima domus sapientiæ septem columnis affabre constructa, c. 9. n. 7. Quære, *Cor.*

*Annona.*

Qui annonam flagellant, omnium execrationes in caput suum accersunt, c. 11. n. 124. & sequent. Eorum bona malè pereunt, *ibid.* n. 125. ipsi quoque infeliciter perduntur, *ibid.*

Annonæ flagellatores caupones sunt humanarum calamitatum, cap. 11. num. 126. Quære, *Auarus, Auaritia.*

*Anser.*

Anseres auditu pollent, cap. 2. n. 10

*Annulus.*

Hebræicorum, quos diligebant nomina in auribus, & bullis incisa ferebant, c. 7. n. 19. & 20. Cur digito auriculari annulus inferi solitus, cap. 7. n. 22. Cordis coronamentum est, *ibid.*

Annulus ingenuitatis nota, libertatis symbolum, signum fidei datæ, potestatis insigne, nuptiarum pignus, *ibid.* n. 23. & seq. Gygis annulus, & eius anagogia, *ibid.* n. 26. Seleuci annulus, & illius mysterium, *ibidem.* Quære *Bulla.*

*Aper.*

Apri auditu præstant: his similes esse debent auditores, c. 2. r. 7. & 8

*Apis.*

Diuinitatis nescio quid in apibus agnouerunt antiqui, c. 6. n. 65

Apes Regem sui generis habent, cap. 6. num. 58. Cellas suas eleganti artificio elaborant, *ibid.* num. 59. & sequent. Sexangulares construunt, *ibid.* Operas partiuntur, *ibid.*

Apes victus parcissimi sunt, c. 6. nu. 50. & 51. Pugnares valde sūt, & illa uī exercitatio tota militaris



# INDEX.

ibid. num. 52. Mellificium abscondunt, & secretò peragunt, ibid.

Apis est animal omnium mundissimum, ibid. n. 54. Casta, & virgo est, ibid. n. 55. & 56. Libidinosos insectatur, ibid.

Apis discipuli esse iubemur, vt ab ipsa industriâ, & laborandi studium hauriamus, cap. 6. num. 46. & sequent. Hominum eximie diligentium, & politicorum manes in apes migrare sensit Plato, ibid. num. 47

Apes assiduo laborant, onera leuant viribus imparia, desides fucos arcent, ibid. num. 48

Apis gloria, & pulchritudo pavoni præfertur, cap. 6. num. 63. Quod viribus deest, arte comperat, ibid. num. 64

Apis lapillis acceptis se se liberat contra ventos, c. 3. n. 31. Et huius rei anagogia, ibid.

### Aqua.

Dei prouidentia in liberandis aquarum venis maximè enituit cap. 8. num. 357.

De aquis, quæ super cælos sunt, verior sententia, cap. 8. num. 343. & sequent.

### Aquila.

Aquila tarda ad iram, facile cicuratur, cap. 14. num. 119. & 120.

### Aranea.

Aranearum quarundam morsus ad saltandum impellit, donec occidat, c. 2. n. 116

### Arbor.

Arbor vitæ vim habebat vitam in perpetuum prorogandi, cap. 3. num. 148

Arboris vitæ, atque virtutis collatio, ibid. num. 150. & seq.

Arbores autumnales quos notent, cap. 3. num. 167

Arbor vitæ in medio paradyfi sita erat, cap. 3. num. 150

Cætera ligna illius viriditate florebant ex Ambrosi. ibid. num. 141. Charitatem significat, ibid. Lignum vitæ ex vtraque fluminis parte quid significet Apoc. 22. ibid. num. 154

### Argentum.

Argenti venæ habet caput, & cor, cap. 2. num. 41.

Argenti examen quomodo fiat, cap. 10. num. 264. & seq. Et huius rei anagogia, ibid. Argenti puritas, & valor ex sono certissime deprehenditur, c. 10. n. 260. & seq. Et huius rei anagogia, ibid.

### Ars.

Artem aliquam addiscere omnes debent, vt ex illa victitare possint, cap. 6. num. 269. & 61. Iners dictus quasi sine arte, ibidem. Quære *Industria, Labor.*

### Astutia, Astutus.

Astutus fabricat, & architectatur dolos cap. 6. n. 129. Dolus fabrica quædam est valde infirma suopte nutu ruens, ibid.

Astuti difficiles cognitu, c. 10. num. 260

Astutia ex metu in varias formas se commutat, cap. 10. num. 143. & 144. Chameleonti similis est, ibid. n. 144. Astutus omnes virtutum colores sibi inducit, præter simplicitatis candorem, quem imitari nescit, ibid. & num. 145. Astutiæ definitio, ibid. num. 146

Astutia non longo tempore fallit, ibid.

Astutus sibi ipsi perniciem affert: & huius rei similitudo ex Athanasio, ibid. n. 147

Astutia alia bona, & laudabilis: alia mala, & vituperatione digna, cap. 1. n. 77.

Astutiæ utilis, ac bonæ natura, & de finitio, c. 14. n. 33. & 34. Astutus est, qui viam sibi conuenientem agnoscit, & illac gressus regit suos, ibid. Hæc astutia serpentis propria est, ibid. Quære *Fraus, Dolus.*

Tom. I.

### Atheismus.

Atheismus magnum æqui, bonique contemptum affert, cap. 1. n. 145

Atheismus est profundum, & centium peccatorum, ibid.

### Auaritia, Auarus.

Auaritia claudit fontem misericordiæ, cap. 10. n. 186

Auaritia nomine perditionis sæpè significatur, ibid.

Auarus claudere viscera sua cur dicitur, ibid. n. 187

Ex iniustus lucris afflictio penditur vice additamenti, vel adiectionis, & vlturum loco pœnæ æternæ, cap. 10. n. 177

Diabolus cum auaris eidem mensæ assidet, cap. 10. num. 65

Auarus diabolo suis sumptibus mensam instruit, & quod sibi detrahit, diabolo impendit, ibid.

Diabolus auaris tanquam canis bolum eripit de faucibus, ibid.

Auarus ipse diaboli pabulum, ibid.

Fidelium auaritia pauperes tanquam agros otiosi finit, ibid.

Sicut frumentum curgulio: ita auari viscera crudelitas exedit, cap. 11. num. 125

Auaritiæ sordes fugere docet nos apis, cap. 6. n. 54

Auari cum iniuste partis etiam quæ iuste obtinent, per vomitum egerere coguntur, cap. 4. num. 131. & 132

Lacrymæ eorum, quos bonis suis spoliant, hunc vomitum ipsis mouent, ibid.

Auarum penuria, & egestas amicitiam tanquam vestimentum, cap. 10. num. 107.

Tenacitas omnium iacturarum origo, ibid.

Qui contra fas ditari vult ex iniuste partis, similis ei, qui arentes, & steriles sylvas ferit. c. 10. n. 81

Sicut arbores foliis, sic auari spe nudantur, cap. 11. num. 133

Auari virgere solent iustos pro delictis, cap. 11. num. 70

Auarorum oculi iniqui, obscuri, ac cæci, cap. 11. num. 132

Auari cupiditas insatiabilis, cap. 13. n. 101. Scipios fame conficiunt, ibid.

Auarus multas habet manus ad depredandum, c. 11. n. 95. & 96. Briarii manus sunt manus auari, ibid.

Diues venari volens pauperes alterius ditioris præda ipse fit, cap. 11. num. 35. Probatum id exemplo piscium, ibid.

Auari, ac liberalis discrimen, cap. 11. num. 81

Qui in alios parci sunt, in semetipsos saui existunt, ibid.

Auari atque ebrii omnino similes, cap. 4. n. 128. & 129

Auari iniusta lucra, quæ contra fas deuorarunt, per vomitum extrudunt, ibid. no. 130. & 131

Auarus caninam famem patitur, cap. 10. num. 31. & 32

Affligitur etiam bulimia, ibid. n. 33. Patitur etiam limonanchim, famem, ibid. n. 34. & 35

Auaritia mira velocitate hominem ad tartara transfert cap. 11. n. 24.

Auari nesciunt misericordiam, cap. 14. num. 97. & 98

Auarus iniusta lucra quærens, aues sectatur volantes, cap. 10. num. 75

Auari sibi metipsis paupertatem quasi propriis manibus fabricant, cap. 10. num. 44. & 45

Auari ocyus rapiuntur, c. 11. n. 141. Quære, *Annona, Fur, Furtum, Diues, Diuitia, Sordes, prado,*

R. ij

# INDEX.

*Quæstus Mercatura, Vsuræ.*

*Aucupium.*

Ars aucupandi aues certissima, sed prohibita, c. 12. num. 120. Et eius anagogia, ibid.

*Auditor.*

Auditores apris similes esse debent audiendi vi, cap. 2. num. 7. & 8

Auditor debet esse humilis ad excipiendam doctrinam, cap. 9. num. 172.

Auditor superbus *ἀσχηματιστός*, id est, Iouis nutritius, & quo sensu, ibid. & n. 173. Superbi auditoris alicuius vitia, ibid. & sequentibus.

Quoniam modo auditor seipsum comparare debet ad vtiliter audiendum, cap. 15. num. 36.

Auditor in sui doctoris verba tanquam in speculum attentius inspicere debet, cap. 4. num. 3 & 4

Auditor in eum, qui dicit, oculos defigere debet, vt attentionem suam testetur, ibid.

Illud *Auditor, & non factor, similis viro consideranti vultum suum in speculo*: serio expenditur, cap. 9. num. 194. & sequentibus.

Auditor verborum, quæ à magistro accepit, sequester est, cap. 4. num. 8

Quod malum est, multos conuocat auditores: quod bonum, vix paucos, cap. 4. num. 155.

Auditoris attentio excitat Doctorem, ibidem, n. 156

De auditoris, & discipuli silentio, cap. 5. num. 4. & 5. Silentium discipulum ad docendum comparat, ibid. num. 5

Qui non audit præceptores, priusquam doceat, *ἀσκητός*, id est, peregrinus, c. 10. num. 1, 9. & 140.

Auditor anseris præstantem auditum imitari debet, cap. 2. num. 10

Auditor tam attentus, quam distractus ceruo similis, ibid.

Stultus præ fastu edocere se non sinit, c. 10. n. 134.

*Quære Discipulus, Doctor, Sermo.*

*Auis.*

Impastis auibus plumæ excrefcere solent, cap. 12. num. 43. Et huius rei anagogia, ibid.

*Auris.*

Aures similes bilancibus, quas beneuolentia tanquam pondus flectit, c. 2. n. 12.

Aurium structura, & forma, cap. 4. numero 158

Aures veluti lituus quidam obliquus conformate, vt voces dulcius insonent, ibid. num. 159. Et huius rei anagogia, ibid.

*Aures nostre*, quid apud Ambros. ibidem num. 160. *Quære Auditor.*

*Aurora.*

Auroræ etymologia, cap. 4. n. 141

*Aurum.*

Aurum ideo pallidum, quia multos habet insidiatores, & quia apud fraudulentos manet, c. 10. num. 109.

*Auxilium Dei.*

Deus præsentissime iustis adest, tanquam satellites, aut lateranus miles, cap. 3. num. 204. *Quære Gratia, Inspiratio.*

*Axones.*

Axones quid, cap. 3. num. 137.

## B

*Baptismus.*

Baptismus Hereticorum, cap. 9. num. 277.

*Beatitudo.*

Iusti beatitudinem, & æternam felicitatem decorant, cap. 10. num. 311. Non solum ipsi beatitudinem suam: sed illos etiam beatitudo expectat,

ibid. & n. 312

Beatitudo est perfectus dies, seu merities perpetuus, c. 4. n. 145. & seq.

Beatitudo dies correctus, à nostrorum dierum imperfectionibus liber, ibid. n. 146

Cælum, seu beatitudo proponitur nobis venalis, cap. 3. num. 94. & sequentibus. Eius pretium charitas, & fides ibidem, num. 95

Adimpletio mandatorum Dei, ibidem. Et labor, seu tribulatio, ibidem. Fides, & deuotio, ibidem. In hac vita nundinæ sunt, & quibus beatitudo mercatur, ibidem, & num. 96

Deus thesaurizat rectis essentiam suam, cap. 2. n. 61

*Belial.*

Belial quid significet in scriptura, cap. 6. n. 82. sequentibus.

*Beneficium.*

Opportunitas benefaciendi nisi captetur, ocyus abit, cap. 3. n. 219

Beneficia à tempore pendent, & eidem subduntur, sicut Charites Horis, ibidem n. 220

*Qui cito dat bis dat*, examinatur hoc proloquium, ibid. num. 221

Beneficium magnum homini tenui donatum duplex redditur, ibidem.

Beneficium duplicem gratiarum relationem poscit, ibid. num. 222. Et duplex apud Deum præmium nanciscitur, ibid. Qui cito dat, tempus iterum dandi licetur, ibid.

Beneficia non esse differenda multis suadetur, c. 3. n. 317. & sequentibus.

Beneficia, quæ precibus obtinentur, carè constant, c. 3. num. 218

Opportunitas in beneficiis plurimum eadem auget, ibid. n. 219

Indignis, qui donant, sibi detrahunt, & malos roborant, ibidem.

Iidem Charites Virgines meretrices faciunt, ibid. n. 215

Ingratis etiam benefacere oportet, cap. 12. num. 49

Non est beneficium, quod in quæstum mittitur, ibidem.

Donum, seu gratia indignis collata meretrix est: dignis verò coniux, cap. 3. n. 215

Qui beneficia malè collocant sua, crudeliores sapius sunt dando, quam essent eadem abnegando, c. 12. n. 48

Beneficia sua differens cruciat animum sperantis, & quasi morbum caducum illi inspirat, cap. 13. num. 52. & 53

Beneficium non dilatatum, tanquam arbor vitæ, ibidem. Animum mirificè recreat, & in memoria accipientes semper viget, ac viret, ibid. Palmæ durationem imitatur, ibid. Anteuertere beneficium grauissimum est, ibid. n. 54

Beneficium cito conferentis, & seminantis comparatio, ibidem.

Beneficia differentis, & palmæ similitudo, ibidem. *Quære Liberalitas, Elemosyna, Gratiarum actio.*

*Bombix.*

Bombix, & alii vermes, quotquot foliis pascuntur, fila ex ore ducunt, & huius rei anagogia, cap. 14. n. 66.

*Bos.*

Boues ad agrorum cultum maxime idonei, c. 14.

# INDEX.

14. num. 18. & sequenti.

## Bulla.

Bulla cordis effigiem referebat apud Hebræos: ideo domus animæ dicebatur, cap. 3. num. 9. & 10.

Bullam gestabant pueri, & fœminæ, ibid. num. 10. In bullis nomina, aut simulachra eorum, quos adamabant, incidere solebant Hebræi, ibid.

In bullis, aut annullis, obscurioribus notis res describebantur, cap. 6. num. 138. & 139. Quare *Annullus, & torques.*

## C

### Cain.

Cain propterea dicitur malè diuissse, quia optimis sibi seruatis, deteriora obtulit Deo, cap. 3. n. 66.

### Calcaneus.

Calcaneus iniquitatis dicitur merces iniquitatis, cap. 1. num. 17.

Calcanei iniquitas pro culpa minima, aut pro culpa obliuioni tradita, ibid. n. 18.

### Callis.

Callis quid propriè, & eius etymologia, cap. 2. numer. 170. Iustorum via callis angustus, ibid.

### Cancer.

Cancris non quo intendunt oculi, sed in latus moventur, c. 2. n. 123.

Cancer a uerso motu mira velocitate retrorsum fertur, ibidem. Vtriusque anagogia, ibidem.

Cancer Herculis cum Hydra decertantis pedem inuasit, & huius rei anagoges, ibidem. num. 125.

### Canis.

Decipula ad canes captandos qualis esset olim, cap. 7. num. 86. Canes intemperantiæ, symbolum, ibidem. n. 87.

Canis tardus ad iram, humi sedentibus parcat, c. 14. num. 119. & 120.

### Canere, Cantus.

Priorum hominum vitam carminibus celebrare: impiorum verò flagitia satyris irridere præcipit Solon, cap. 11. n. 41. Cantus securitatis cuiusdam merus expertis signum, ibid. Cantica meretricia, & lasciuia. Quare *Meretrix.* cantica Ecclesiastica.

Quare *Psalmodia.*

### Castitas.

Castitas fermento similis, cap. 13. num. 17. Pro castitate videnda sunt eius contraria. *Libido & Venus.*

### Centrum.

Centri beneficia erga corpora grauius, c. 8. num. 335. & 336.

Centrum aliud est magnitudinis, aliud grauitatis, ibid. num. 374.

### Ceruus.

Ceruorum venatio, cap. 7. num. 93. Et illius anagogia, ibidem.

Ceruorum ad trananda flumina mutua auxilia, cap. 5. n. 120.

In ceruorum genere Hinnulus quid sit, ibidem num. 123.

Ceruorum innocens, ac mitis est natura, ibidem num. 125.

Maris, ac fœminæ congressus nunquam fit in aperto, ibid. num. 127.

Cerna ob pulchritudinem commendatur, ibid. num. 129. Cerui pro fœminis depugnant, ibidem, & num. 130.

### Chameleon.

Chameleon exanguis & timidus, c. 10. num. 62. & 63. Colorum diuersitas ex metu illi accidit, ibid.

Chameleon candidum colorem imitari nescit, ibidem, num. 64.

Chameleontis historia, & eius anagoges, ibid. num. 62. & seq.

### Charitas.

Charitas delictorum multitudinem operit, cap. 10. num. 196. & sequent.

Charitas succedens præteritis obliterat iniurias, cap. 10. n. 197.

Charitas non solum vulnera delictorum sanat: sed cicatrices etiam delet, cap. 10. n. 207. & 203.

Charitas Dei statera est, in qua appèdendi sunt aliarum rerum amores, cap. 11. numero 6.

Omnes alii aliis indigemus, c. 9. n. 104. & seq.

Charitas chymica compositio, cap. 4. num. 142. Quare *Amicitia, Amor, Timor Dei.*

### Charites.

Charites, atque Horè Iouis, & Eurinomes filia, & huius rei anagogia, cap. 3. num. 220. Gratia natu minores: Horè verò maiores, ibidem.

Charitum corona, c. 1. num. 147.

Charites duæ virgines, & altera coniugata nomine Pasithea, & huius rei anagogia, cap. 3. num. 215. Trium Charitum munera, ibidem.

### Cherubin.

Cherubini paradysum custodientis anagogia, c. num. 152.

### Chiron Centaurus.

Chiron Centaurus optimi pædagogi symbolum, cap. 3. num. 52. Achillem ceruorum, atque leonum medullis innutriebat, & huius rei anagogia, ibid.

### Chorea.

Draco ille antiquus sese in volumina gyrans docuit homines turpes saltationes, & gyros in choreis, cap. 2. num. 127.

### Christus, Christianus.

Christus in quantum homo Rex supremus fuit, super omnes alios Reges, & Principes ius habens, cap. 8. n. 99. & seq.

Hoc iure vsus non est, ibidem. Eius Vicarii sunt ceteri Reges, ibidem. n. 101. & 102.

Christus in quantum homo rerum omnium directum dominium habuit: eo tamen dominio vsus non est, ibid. num. 104. & seq.

Hoc dominium eiusmodi est, vt homines, Angeli, & demones tanquam mancipia ei inseruire debeant, ibid. n. 110.

Christus idèd Regum Rex, quia omnes sancti illi parent, ibid. n. 111.

Christi corpus domus sapientiæ septem Spiritus sancti donis, tanquam septem columnis insistsens, c. 9. 10. & 11.

Deus verbi incarnatione ab exordio mudi prælusit, c. 8. n. 411. & 412. Christus ex hominibus delictis sibi fecit, non ex Angelis, ibid. n. 413. & 414.

Prædicationis venatione, & crucis aucupio homines cepit Christus, ibid.

Christus de magnis rebus elocutus est, cap. 8. n. 23. & 24. Non obscure, vt Prophetæ, sed clarè admodum, ibidem.

Christi Domini, ac cerui comparatio, c. 5. n. 119. Christi, & formicæ collatio, cap. 6. num. 28.

Christus ab æterno fundatus, quo sensu, cap. 8. n. 287. Christus in Mariæ Virginis vtero fundatus, ibid. n. 286. & n. 309.

Cur aliquando Christus clamasse dicatur, cap. 8. num. 19. & 20.

Christi Domini immolatio in cruce omnium ad instar victimarum obtinuit, cap. 9. n. 53.

Christus per vnionè hypostaticà à patria potestate matris non est exemptus, cap. 8. n. 142. & seq.

Christi amor impensus erga homines, ibid. n. 150. & 151. Christus non magis amat, & ante, ibid. num. 152.

# INDEX.

Christus loquebatur tanquam potestatem habens, quo sensu, cap. 1. num. 6.

Christus dominus diuinæ iustitiæ statera, & quomodo, cap. 16. num. 50.

Christi obedientia erga patrem, & erga Matrem, c. 4. n. 34.

Christus initium viarum Dei quo sensu dicatur, cap. 8. num. 245. & sequent. Nisi Adamus peccaret, Christum carnem non suscepturum verior sententia fert, ibid. num. 251. & sequent.

Christi & fideiussoris comparatio, cap. 6. num. 10.

Christus cur ab origine mundi occisus dicatur, cap. 8. num. 291. & 292. Annulo donatus à Patre, sicut Ioseph à Pharaone, ibidem.

Christiani atque fornicæ comparatio, cap. 6. n. 26. & 27

Christianus quadrato lapidi adsimilis cap. 3. num. 77

## *Circenses Iudæ.*

Circensium ludorum anagogia, cap. 4. n. 96. & 97.

## *Circulus.*

Circulus freni genus, quo animalia effera regerantur, cap. 11. n. 188.

## *Citrus.*

Citri, ac cedri discriminem, cap. 9. num. 74. & sequent.

## *Ciuitas.*

Ciuis, ac ciuitatis eadem beatitudo, ac felicitas est, c. 14. n. 147.

Ciuitas non viuendi solum: sed magis bene viuendi gratia inuenta est, ibid.

Externa ciuitatis alicuius felicitas tribus rebus continetur: & tria item mala ab oppositis peccatis ipsi inuehantur, ibid. n. 148. *Quære Magistratum.*

## *Cælum.*

Dextrum, & sinistrum in cælo ex sententia Pythagoræ, cap. 4. num. 235

## *Cenaculum.*

Cenacula columnarum ordinibus fulciebantur, c. 9. n. 20. Ex his columnis aula suspei debantur supra mensas ad puluerem prohibendū, ibid. n. 21.

## *Cogitatio.*

Cogitatio venerea serpentis caput, c. 15. n. 110. A cogitationibus impuris incipienda est victoria libidinis, ibid.

Cogitatio impura adulterii radix, ibid. num. 111.

Cogitationes impudicæ quasi vitreæ imagunculæ, quibus diabolus animas deludit, ibid.

Cum cogitatio custoditur, cordis fugacitas continetur, cap. 5. num. 2

Cogitatio boni quid præstet in homine ad ipsum regendum, cap. 8. num. 6. Huius cogitationis, & Mercurii, seu Hecatis tricispitis in triuui de fixæ cõparatio, ibid. & n. 7. *Quære Conscientia, Mens.*

## *Columba.*

Ars optima aucupandi columbas, & illius anagogia, c. 10. num. 77

Columba Hebraicè *Ionath*, & huius nominis veteris etymologia, cap. 1. num. 86

## *Communitas.*

Communitas, aut cætus multorum similis belluz multiformi, ac variæ, cap. 12. num. 62. & 63

*Quære Ciuitas, Congregatio, Societas.*

## *Concionator.*

Concionatoris, & cisternæ comparatio, cap. 5. num. 91

Concionator non tantum sententias, sed verba etiam præmeditari debet, cap. 16. n. 93

*Quære, Prædicator, Sermo, Verbum, Doctor.*

## *Confessio.*

Qui sua peccata confitetur, similis fonti perennibus aquis mananti, c. 10. n. 172.

Similis item fontibus, qui æstate hyemeque fluunt, ibid. num. 173

Confessione vti oportet quolibet tempore, ibid.

Confessio vera tanquam fons dulces effundens aquas, ibid. num. 174

Os, quod confitetur peccata, tanquam fons viuus, ibid. num. 175

Confessarius illis, qui aquæ ductibus præfident, similis esse debet, ibid. num. 176

Confessarius similis ei, qui venam scindit, ibid. num. 177

## *Congregatio.*

Congregationibus, & sodalitiis sibi consecratis Virgo Deipara interest, & serpentis omnem astutiam sodalibus suis præbet, cap. 8. num. 40. & sequent.

Plures sodalitates, & confraternitates virginis nomini dicatæ, & cur c. 9. n. 92. & 93

Sodalitia ipsi dicata sunt coniurationes contra mundum, &c. ibid.

## *Conscientia.*

Hominis male sibi conscii dies omnes mali, infauti, tempestatibus, ac turbinibus pleni, cap. 15. num. 60

Pro diebus noctes tenebrosas agit, quibus nulla sponte succedit dies, ibid.

Tranquilla, & bona conscientia ad instar conuiuui iucundissimi, ibid. n. 51

Huius conuiuui splendor, & apparatus, ibidem.

In hoc conuiuio discumbit animus tanquam Rex, conscientia veluti Regina, virtutes omnes tanquam conuiuæ, cap. 15. nu. 62

Bona conscientia est scyphus Ioseph: ibid. & Nepenthes herba ibid.

Bonæ conscientie conuiuium iuge, & quomodo, ibid. num. 63.

Bonæ conscientie abundans est penus, & nunquam exhauritur, ibid. numero. 63.

In conscientia litæ, ac litigatores, cap. 12. num. 25

Conscientie tribunal nullis horis vacat, ibid. & num. 26

Conscientie iudicium incorruptum, ibid.

Conscientie tribunal condemnat, & punit etiam delicta, cap. & num. 26.

Nulla ibi exceptio, aut appellatio, ibid.

Conscientia culpæ similis gelu, & algori, cap. 10. num. 297

Conscientia axi similis, in aliis stridet, in aliis vero delinita est, cap. 3. num. 142

Qui bonam habet conscientiam, volubilem conuersionem rerum temporalium haud sentit, ibid.

Bona conscientia pro curru, in quo virtus sine labore defertur, ibid. num. 143

Bona conscientia cliuos virtutis in curules vias conuertit, ibid.

Externa solatia itinæ conscientie angores non leuant: sed augent, cap. 14. num. 47

Triplex huius rei idonea similitudo, ibid.

Conscientie malè affectæ cruciatus tanquam præcordiorum dolor, cap. 3. n. 47.

Conscientia similis pericardio, ibid. n. 49.

Bonæ & malæ conscientie discriminem, ibid.

Bona conscientia homines impavidos, & magnanimos efficit, cap. 10. num. 318. Mala item pavidos, ac pusillanimes efficit, ibid.

Bona conscientia tanquam mundi muliebris theca, cap. 4. n. 187.

Conscientia criminis hominem assidue perfe-

# I N D E X.

- quitur, sicut canis venaticus, cap. 13. num. 84. & tanquam umbra, ibid.
- Conscientiæ bonæ gaudium faciem virere, atque efflorescere facit, c. 15. n. 51.
- Conscientia, *Quære Mens, Ratio.*  
*Consideratio.*
- Consideratio in homine, idem quod in mundo Sol, cap. 16. n. 93. Vide *Contemplatio Cogitatio.*
- Consilium Consiliarius.*
- Omnes Consiliariis opus habent: solus Deus consiliario non indiget, cap. 12. num. 68.
- Nemo sibi æquus iudex: omnes indigent consilio, c. 12. num. 69.
- Consilia detractare, & suis ipsorum sententiis tenacius adherere, aut insipientum est, aut improborum ibid.
- Fœlix Respublica, quæ plures habet Consiliarios, cap. 11. n. 59.
- Quemadmodum vna mens, & quinque sensus: sic vnus Princeps, multi autem consiliarij esse debent, ibid.
- Aliorum consilia propriis sententiis præferre oportet, cap. 15. n. 94.
- Aliquando vulgus in consilium adhibendum est, ibid.
- Reges plurimum deferre debent suorum consiliatorum consilijs, ibid. n. 95.
- Cum quis sine consilio aliorum aliquid decernit, facile subinde sententiam mutat, ibid. nu. 96.
- Consiliarij adhibendi sunt ex diffidentia proprij consilij, quia nimirum homo in propriis iniquus iudex est, ibid. nu. 98.
- Homines improbi non sunt consulendi, & cur, cap. 15. num. 100.
- Improbis homo in consilium vocatus, similis ciuitati quæ optimas leges habet: tamen secundum leges non iudicat, ibid.
- Consilia improborum de veneno semper suspecta, cap. 2. n. 103. & 104.
- Tanquam vada, & syrtes, ibi. n. 105.
- Et tanquam pharus, vel lumen è scopulis accensum ad nauas deludendos, ibid.
- Et tanquam naues magnæ assidua succussione nauseam commouentes, ibid.
- Consilia improborum hominum simplicium capitibus vertigines immittunt, ibid. n. 107.
- In consulendis alijs ad res agendas imitanda est prudentia serpentis, cap. 13. n. 69.
- Qui de proprijs rebus alios cõsultat, breuissimum, ac certissimum, suæ consultationis compendium nactus est, cap. 12. n. 70.
- Improborum consilia cautè declinanda exemplo auium, cap. 1. num. 214. & sequentibus.
- Subdialterius consilio valde difficile capite 15. num. 133.
- Consilia Dei qui exequitur, dici splendore: qui mandata tantum peragit, lucernæ lumine vtitur, c. 6. num. 147.
- Optimi consiliarij conditiones, cap. 10. n. 190.
- Consiliarij nutricibus adsimiles, mores suos cum doctrina transferunt, cap. 1. nu. 181.
- Improborum consilia minimè auscultanda, ibid. n. 178. & sequent.
- Veneni lacte diluti adinstar obtinent, ib. n. 182.
- Consolatio.*
- Qui alios consolatur, ipse etiam solatium accipit à Deo, cap. 12. n. 66.
- Consolatio maturè, & opportunè adhiberi debet, ibid.
- Opportunitas consolationis in eo sita est, ne vel anticipetur, aut differatur, ibid.
- Consolatio opportuna est fructus oris, & cur fructus appellatur, ibid. n. 66. & 67.
- Consolatores fatui lacrymas augent, dum illarum fluxum obstruere volunt, c. 14. n. 43.
- Consuetudo.*
- Consuetudo virtutis adminiculum, capite 3. num. 155.
- Improbi consuetudine delinquendi voluptatem peccandi deperdunt, cap. 13. nu. 77.
- Contagium.*
- Vitia detecta paucos inficiunt: eadem vero tecta multos contaminant, cap. 15. n. 47.
- Contagij latentis vis, ibid.
- Eius, qui contagio suo alios inficit, curatio quomodo perficienda, cap. 15. n. 48.
- Contemplatio.*
- Actio, & contemplatio ambidextros efficit: Sunt duæ alæ, terræ quoque, & mari similes, cap. 1. n. 63. *Quære Consideratio, Oratio.*
- Conuersio.*
- Conuersio impiorum ad iustitiam implet gaudium iustorum, cap. 13. n. 78.
- Post suam beatitudinem nihil iustos æque delectat, sicut conuersio impiorum ad probitatem, ibi. num. 79.
- Improbos eadem conuersio plurimum angit, ibi. nu. 79. *Quære Penitentia.*
- Conuiuium.*
- Amicitia post conuitia, aut non coeunt, aut ciuiticosa coeunt, cap. 10. n. 245.
- Conuitia recipiens echo adsimilis, c. 15. n. 4. & cap. 11. num. 47.
- Stultitiæ, ac fatuitatis argumentum est probri probri rependere, ibid.
- Conuiuium.*
- Conuiuia problematis, griphis, & quæstionibus condire solebant veteres Hebræi. Ifag. fol. 3. & sequent.
- In conuiujs aliqua apertæ, & obuia sententiæ proponi solebant pro rudibus, Ifag. fol. 5.
- Splendida conuiuia ex victimis parari solita, c. 6. nu. 54. & 55.
- Vinum aqua dilutum in conuiujs temperatis exhibendum, ibid. num. 56.
- Conuiuiorum castrensiu vsus, & finis apud antiquos, cap. 9. n. 104. & 105.
- Census eorum, qui conuiuia scripserunt, Ifag. folio 7.
- Qui conuiuia scripserunt, ex sacrificijs, aut victimis occasionem epulandi sumpserunt, Ifag. folio 8.
- Splendidissima conuiuia olim ex victimarum carnibus, ibidem.
- In conuiujs sapientum interd dicebantur mutue propinationes, & dabatur vinum aqua dilutum, quoties problemata, aut quæstiones seriæ agitanda erant, ibid.
- In conuiuio iunioribus silentium imperat Iesus Syrach, Ifag. fol. 9.
- Salomon vicit omnes alios conuiuiorum scriptores, Ifag. fol. 10.
- Conuiuium sapientiæ ex sacrificio paratum, & publicum, vulgo *Mesafianca* Potus vinum dilutum. Conuiuia sapientes, & insipientes, Ifag. f. 10. & seq.
- In conuiujs sapientiæ interlocutores Salomon, Agur, & Lamuel, Ifag. fol. 12.
- Problemata, & griphos ferendi in conuiujs mos apud veteres, capite 9. numero 14. & sequentib.
- Conuiuia ex victimis Deo mactatis instrui solebant, cap. 7. num. 58.

# I N D E X.

Christus præstantissima fidei dogmata in cœna, & sub cœnam dedit: vbi etiam adhibuit griphos, & parabolas, Ifag. fol. 15.

In conuiuio docti cum rudibus sicut vocales literæ cum mutis, Ifag. fol. 6.

Conuiuia ad discordias abolendas, & amicitiam confirmandam instrui debent, c. 15. n. 69.

Conuiuij, & exercitus instruendi rationes conferuntur, ibid.

Qui conuiuia scripserunt post Salomonem ipso vti sunt magistro, Ifag. f. 14.

## Cor.

Cor paradus est, & eadem custodia seruandum, qua Deus paradusum muniuit, capite 4. num. 182.

Cordis arcana secretissima Deo parent, cap. 15. num. 42. & sequent.

Potestas Dei in cor hominis quanta sit, ibid. num. 46.

Cor diligentius custodiendum, quam thesaurus, cap. 4. n. 177. & sequentibus.

Cor ita custodiendum est, sicut thesaurus à dracone, ibid. n. 178. & sequentibus.

Et sicut draconites, ibid. n. 180. & 181.

Cardiaci morbi vis, & illius anagogia, cap. 14. num. 57.

Cor vitæ fons, cap. 4. num. 174. & huius rei anagogia, ibid.

Cordis custodia, ibid. n. 175. & sequent.

In spiritali corde asseruando naturalis cordis munimenta imitari oportet, cap. 4. n. 183. & seq.

Cor tanquam res pretiosa in arca, tanquam filius in domo, & tanquam reus in carcere custodiendum est, ibid. n. 186. & sequent.

Vincula, & compedes cordi addere oportet, ibidem numero 160.

Hæc vincula ex ferreis aurea fieri possunt, ibidem numero 191.

